Hi 9585

UNIVERSITEITS

90

Digitized by Google

Digitized by Google

Hi 9585

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

90

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

QUÆ

LIPSIÆ PUBLICANTUR,

SUPPLEMENTA.

TOMUS I.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JO. GROSSII Hæredes,
JO. FRID. GLEDITSCHII B. Fil.
ET
MAURIT. GEORG. WEIDEMANNUM.
Venduntur etiam Amſtelodami in WAESBERGIORUM & WETSTEINIORUM officinis.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.
A. MDCCXXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Lectori Salutem!

I*llud agentes maxime, quod ſit e tuis, Lector, commodis, nova ad* Nova Acta Eruditorum Supplementa *paramus. Ita prudenter inſtitutum olim ab his, quos* Acta *hæc noſtra auctores aut parentes ſuos agnoſcunt, ut, ſi quid boni Scriptoris tardius veniſſet Lipſiam, cujus in ipſo* Actorum *Opere, quippe iis tantum, quæ ſunt inter eruditos geſta recentiſſime, deſtinato, vix eſſe aliquis locus poſſet, id, ne aut indictum ipſis, aut prorſus incognitum Lectoribus, maneret, migrare in Volumen ſingulare, ab* Actis *ipſis quodam-*

Digitized by Google

modo diverſum, juberent, cui, ne titulus deeſſet, receptum dudum inter cujuscunque generis Scriptores Supplementorum *nomen impoſuerunt. Nec caruiſſe ſucceſſu ſuo bonum conſilium, poſtea res ipſa docuit, & ii optime norunt, quibus decem illa* Supplementorum *Volumina, ab anno inde MDCLXXXII ad præſentis Seculi tertium & trigeſimum publicata, non exiguum præſtare uſum ſolent. Quorum ſi audias de labore noſtro ſententiam, nihil curabis clandeſtinos malevolorum quorundam ſermunculos, ita moleſte ferentium hoc quicquid nobis laudis & gloriolæ acquirunt Muſæ noſtræ, ut minime eos pudeat, de re vix inſpecta ſibi, nedum explorata, turpiter & contemtim judicare. Eos ipſos putamus, qui, vix audito* Supplementorum *nomine, ita ſtatim, rem acu tangentes ſcilicet, callide & aſtute ſuſpicantur, non niſi levia, & in triviis collecta, quæque* Actis *ipſis dedecori futura eſſent, in hanc velut latrinam a nobis*

Digitized by Google

nobis conjici, nec ſatis hæc digna eſſe, quæ avide expetantur melioris doctrinæ cupidis. Quibus ſi unis data eſſet inter eruditos judicandi de rebus noſtris auctoritas, nec liceret nobis ad æquioris judicis tribunal provocatione uti, quid eſſet in poſterum, quod nos fruſtra ad rem publicam ſtudia conferremus operamque noſtram? Sed dudum didicimus has invidiæ artes, ut cetera calumniarum monſtra, auctori ſuo turpiſſima, magno animo contemnere, ipſa quippe experientia edocti, plurimos eorum, unde nihil minus olim quam plauſus & acclamatio nobis venerat, poſtea, ubi fruſtra omnia tentari in perniciem noſtram, fruſtra oppugnari virtutem noſtram, viderint, ſponte in pudorem conjectos, de rebus noſtris mereri optime cœpiſſe. Habent omnino, ut res humanæ omnes, ſuas maculas hæc Supplementa, *easque cum* Actis *ipſis communes, ſed quas dudum cognovimus ejus*

 gene-

generis pleraſque eſſe, ut ab Opere tam varii, tamque late patentis, inſtituti abeſſe vix poſſint. Ubi temperari aliquantum a rigore, & æquitatis aliquam rationem haberi, nos quidem jure noſtro poſcimus. Sed, quod nec ipſum diſſimulandum, maculas interdum clamitant, qui aut rogati neſciunt, quid maxime ſit maculoſum, indicare, aut meliora edocti, accuſationis ſuæ turpitudinem agnoſcunt. Commemorari paſſim in his Supplementis, (*& quidni in ipſis* Actis?) *levia, nec literato orbe digna ſatis, non ſolum non vituperandum, ſed quodammodo laudandum etiam, putamus. Quam vellemus, ita comparatum eſſet cum literis, ut nihil non præclarum & eximium eruditorum manibus exiret, nec eſſet nobis interdum de re vili & inutili leviter & abjecte dicendum. Sed peſſima ſcilicet hac ſorte utitur res literaria, ut colligentibus regales hederas ſæpiſſime infe-*

lix

Digitized by Google

lix lolium obveniat. Ubi muneris nos arbitramur noſtri eſſe, probra hæc & dehoneſtamenta eruditionis ante oculos omnium exponere, &, ut tempeſtive ab his caveant Lectores, prudenti admonitione efficere. De quo gratiam habere nobis, ſi non alius quisquam, certe ii ſolent, qui externo Operis ornatu, aut ſcribendi genere magnifico, decepti aliquando, in optimis habendum duxerant Scriptorem, re vera peſſimum. Itaque tantum abeſt, ut nos pœniteat moris tam ſalutaris, ad hunc uſque diem conſtantiſſime ſervati, ut & in poſterum eundem, bona Lectorum cum venia, habituri nobis ſimus commendatiſſimum. Quod ut in tanta librorum, quotidie ad nos advolantium, copia fieri & commode & tempeſtive ſatis poſſit, operam dabimus in poſterum, ne vetuſta tantum, & ob id quodammodo ingrata, in Supplementis *his legas, ſed admixtum his ſemper aliquid novi ſit, quod animum antiquio-*

tiquio-

Digitized by Google

tiquioribus ſat fatigatum aliquantum reficere, & jucunda placere viciſſitudine poſſit. Nec ita lento gradu, ſicut olim forſan, ſucceſſu temporis procedet nobile hoc inſtitutum noſtrum, ſed, quod omnium eſſe gratisſima, quæ ſunt nova, ſoleant, ita futurum certisſime ſpondemus, ut bimeſtri quoque tempore nova Sectio, exacto vero biennio integrum Volumen, veniat in manus tuas. Id quod ignorare Te noluimus, ut vel hoc ipſo documento, quam nos ſtudioſi amanteſque tui ſimus, intelligas. Jam Tu Muſis noſtris, quod inde a tot annis feciſti, favere perge, & conatus noſtros, ſi potes, juva.

Digitized by Google

AD
NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomus I Sectio I.

MAGNI AURELII CASSIODORII, SENAtoris, Viri Patricii, Conſularis, & Vivarienſis Abbatis, Opera omnia, in duos Tomos diſtributa, ad fidem MSt. Codicum emendata & aucta, Notis & Obſervationibus illuſtrata, cum Indicibus locupletiſſimis; quibus præmittitur illius Vita, quæ nunc primum in lucem prodit, cum Diſſertatione de ejus Monachatu; opera & ſtudio J. GARETII, Monachi Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

Venetiis, typis Anton. Groppi, Bibliopolæ Veneti, proſtant vero apud Bartholomæum Javarina, 1729, fol.

Tom. I Alph. 7 pl. 14, Tom. II Alph. 10 pl. 6.

Tanto majori animi voluptate ad recenſendam hanc Operum *Caſſiodorii* editionem nos accingimus, quanto gratiorem ejus cognitionem Lectoribus noſtris paulo accuratiorem fore confidimus. Præſtantiſſima ea ac ſuo jure nova hæc

 editio

Digitized by Google

editio dici poſſe videtur, a Cl. *Garetio* procurata, propterea quod nemo ante Virum Doctiſſimum ſingulas Scriptoris celeberrimi lucubrationes in unum corpus redegit. Huc accedit, quod plura, quæ deſiderabantur in editis Operibus, ex antiquioribus MStis probatæ fidei reſtituit Cl. Editor, ut ea taceamus, quæ nunc primum edita fuerunt. Ipſum Opus diviſum eſt in *Tomos duos*, quorum *alter* ea continet omnia, quæ *Caſſiodorius* Politicus & Hiſtoricus exaravit; *alter* vero, quæ in Sacram Scripturam edidit, quibus accedunt libri de divinarum & humanarum literarum Inſtitutionibus, ac liber, quem de anima inſcripſit. In *Tomo* igitur *I* primo loco comparet Opus duodecim in libris abſolutum *Variarum*, ſive varii generis Epiſtolarum, quas ſub Regibus Gothis, *Theodorico, Athalarico, Theodabato, Vittigo*, & eorum nomine, ſcripſit. Neque vero ſolum horum librorum editiones, quotquot nanciſci potuit, percurrit Eruditiſſ. Editor, verum etiam eas omnes cum MStis & contulit & ex iis emendavit. Auxilio autem potiſſimum ipſi fuere MStus Codex *S. Audoeni*, ſed in quo deſiderantur *Libri V, VI & VII*, & antiquiſſimæ membranæ *S. Remigii*, Remenſis, in quibus tamen pariter præter quatuor priores libros ceteri deſunt. Adhibuit etiam e Bibliotheca ſui Ordinis Editor horum librorum editionem, a *Mariangelo Accurſio* A. 1533 evulgatam, quam Vir Clariſſimus, *Claudius Grulartus*, Supremi Normanniæ Senatus olim Princeps, cum exemplari Cel. *Cujacii* Bitugiribus contulerat. Quod quidem *Cujacii* exemplar cujus notæ fuerit, etſi divinare non potuerit, plurimas tamen & optimas tum caſtigationes, tum obſervationes, ipſi ſuppeditavit *Grularti* liber. Inprimis denique Editori profuerunt *Franciſci Jureti* notationes & diverſæ ad fidem plurium MStorum Codicum in *Variarum* libros lectiones, quas, ipſius *Jureti* manu conſcriptas, cum eo communicavit *D. Boubierius*, in ſupremo Burgundiæ Senatus, Præſes infulatus, & *Jureti* ſcriptus hæres. Ad has varias ex MStis collectas lectiones accedunt in fine cujusque Epiſtolæ non ſolum ea, quæ jam publici juris fecerant *Fornerius* & *Broſſæus*, ſed etiam laudati *Jureti* Annotationes varia eruditione conſpicuæ,

ſpicuæ, quibus *Caſſiodorii* verba & ſententias illuſtrat, & *Fornerii* Animadverſiones ita caſtigat, ut plures ab eo cum JCtorum, tum aliorum Autorum, vitioſe allatas autoritates vel corrigat, vel reſtituat. Aliorum obſervationibus,ſuæ quibusque Epiſtolæ in calce adjectis, ipſe ea, quæ difficilia, ſubobſcura,nec cuiquam facile pervia, exiſtimavit; explanavit Editor, notitiamque dignitatum, locorum, fluminum, & id genus aliorum, tradidit. Cumque animadverteret, ſummaria, quæ ad ſingulas *Caſſiodorii* Epiſtolas nonnulli præmiſerant, adeo pingui Minerva elaborata eſſe, ut tolerari vix poſſent, novas ipſe Synopſes,cuique Epiſtolæ præmiſſas, ſtudioſe confecit. *Variarum* libros proxime ſequitur *Hiſtoria*, quam ideo *tripartitam* vocarunt, quod eam ex tribus Græcis Autoribus, *Socrate*, *Sozomeno*, & *Theodoreto*, per *Epiphanium* Scholaſticum verſis, collegit, & in compendium redegit, ne Monachis ſuis, ut ipſe fatetur, Vivarienſibus deeſſet. Huic Hiſtoriæ emendandæ Editori ſuppetias tulit antiquus Codex Monaſterii B. Mariæ de Lyra, quadringentorum plus minusve annorum, optima manu exaratus. Nec minus ipſi profuit alter MStus *Theodorici* prope Rhemos, qui ſexcentorum circiter annorum characterem præ ſe fert. Diſſimulare quidem Cl. *Garetius* nequit, in his MStis Codicibus eos inveniri loquendi tropos, quos Barbariſmos & Solœciſmos vocavit *Rhenanus*, ſed hos tamen benignius condonandos cenſet Latino interpreti apud Gothos & Gothis ſcribenti, præſertim cum horum Codicum auxilio difficultates non modicæ tolli poſſe videantur. Duos hanc in rem affert locos in Præfatione, mentemque ſuam effuſius exponit Editor. Primus occurrit tot eruditorum diſputationibus celeberrimus *Lib. IX Cap. 38*, ubi ita legitur: Pag. 323.
Romani enim tres ante Paſcha ſeptimanas præter Sabbatum & Dominicam ſub continuatione jejunant. Hic licet Viri doctiſſimi nullum in *Tripartita* mendum arguant, ſed vel *Socratis* errore, vel Hiſtoriæ illius Scriptoris oſcitantia, peccatum fuiſſe plerumque ſuſpicentur, tamen, cum MStus Codex Lyrenſis & vetus editio, quæ ex aliis Codicibus MStis prodiit, non *tres*, ſed *ſex hebdomadas* habeant, re ſerio diutiusque per-

Digitized by Google

penſa, MSti & veteris editionis lectionem textui inſeruit, cujus facti tres inprimis ſe habuiſſe rationes fatetur; 1) quod *ſex hebdomadarum* ante Paſcha jejunium *Socratis* tempore Romæ obſervatum fuit; 2) totidem *hebdomadis* a Romanis jejunatum luculenter docet ipſe *Caſſiodorius in Explicatione tituli Pſalmi XL*; 3) certiſſime conſtat, eo in *Tripartitæ* Capite agnoſcendum aliquod Scriptoris erratum, ipſis id fatentibus adverſariis. Interim tamen alteram illam lectionem, quæ *tres hebdomadas* habet, in marginem rejecit, ut cuique integrum ſit, utram velit, lectionem eligere. Quemadmodum igitur huic loco lucem affudit Codex MStus Lyrenſis, ſic alterum, qui eſt in eodem *Libro Cap. 39*, Codex *Theodorici*, ab Editore conſultus, illuſtrat. Nam in verbis ex *So-*
Pag. 324. *zomeno*: *In qua Eccleſia,* (Romana,) *neque Epiſcopus, neque alter quiſquam coram populo docet;* pro *docet*, Codex hic MStus habet *dicit.* Quæ quidem lectio alium omnino ac veriſſimum ſenſum Cl. Editori efficere videtur, licet eandem in margine tantummodo exhibuerit. Et, quoniam *Caſſiodorius* in *Tripartita* ſua præter Autorum nomina nullum aut librum, aut locum, unde verba deſumſerit, ullibi aperuit, bene omnino fecit Cl. *Garetius*, quod cujusque Scriptoris Librum, Caput & paginam ſecundum *Chriſtophorſoni* & *Valeſii* editiones, unde ſua hauſerit *Caſſiodorius*, in margine indicavit. Præterea utraque hac editione ita uſus eſt, ut in difficilioribus & in aliis vel librariorum interpunctionibus, vel orthographorum imperitia depravatis *Tripartitæ* locis emendationi lucem non modicam attulerit, ac tandem, ubi a Codicibus MStis & editis præcipue diſſiderent, in margine annotaret, additis etiam ſæpius æræ Chriſtianæ annis pluribus. *Tripartitam* excipit *Chronicon*, quod *Caſſiodorius* jubente *Theodorico* compoſuit. In eo Cl. Editor cum *Baronio, Bucherio*, & *Jureto* parachroniſmos non Autori, ſed ſcribarum imperitiæ, cenſet imputandos, in exhibendo autem textu *Onuphrium* inprimis & *Cuſpinianum* ſecutus eſt, quia iſti MStos ſe Codices vidiſſe teſtantur. Quocirca omnes eorum lectiones, quotiescunque variant, in margine annotavit, ita, ut nihil in hac ipſa editione deſit,

deſit, quod in omnibus aliis editionibus invenitur. Tandem hunc Tomum claudit *Jornandes*, ſeu *Jornanus*, Epiſcopus Ravennas, de *Getarum*, ſive *Gothorum*, *origine & rebus geſtis*. Nam, cum *Hiſtoria Gothorum*, quam in duodecim libros partitam edidit *Caſſiodorius*, perierit, & *Jornandes* hujus Hiſtoriæ quaſi Synopſin quandam poſteritati reliquerit, eam ſuo jure ad compenſandam jacturam, in ipſius *Caſſidorii* Hiſtoria factam, adjiciendam exiſtimavit Cl. *Garetius*. Uſus vero eſt editione a *Bonaventura Vulcanio* apud Batavos excuſa, in qua totum Opus Capitibus diſtinguitur, & accuratiſſimæ Capitum Synopſes exhibentur. Huic igitur editioni cum aliis collatæ acceſſerunt præter *Vulcanii* Annotationes variæ *Jureti* Lectiones & Animadverſiones.

Tomus II ea, ut jam diximus, cum complectatur, quæ ad Sacram Scripturam, vel ad ſacrum ejus ſtudium, pertinent, merito ordinem in eo ducit *Commentarium in Pſalmos*, ſeu *Pſalterii Expoſitio*. Duæ hujus Expoſitionis editiones extant, quarum altera Baſileæ, altera Lutetiæ, cum characteribus Gothicis, & frequentiori literarum abbreviatione, prodiit. Quare cum minus accommodatæ non ſolum uſibus hominum noſtra ætate eſſent, ſed & rarius in majoribus Bibliothecis reperirentur, hanc ſibi Expoſitionem Pſalmorum iterum edendam primum duxit Editor, quæ deinceps edendis omnibus Autoris Operibus primam dedit occaſionem. Præter laudatas vero hujus *Commentarii* editiones in eo emendando uſurpavit Cl. *Garetius* quatuor Codices MStos. Primus, qui totum Commentarium exhibet, quemque ipſi e Bibliotheca *S. Germani* ad Lutetiam ſuppeditavit *Lucas Dacherius*, ſine dubio ante nongentos, vel circiter, annos exaratus dicitur. Alterum, itidem integrum Commentarium referentem, quem debuit Monaſterio Sanctiſſimæ Trinitatis Fiſcanenſis, ante quingentos annos ſcriptum eſſe conjicit. Tertium, ejusdem fere ætatis, commodavit ipſi Monaſterium B. Mariæ de Lyra, quem ſponte conceſſum ſervat Regalis Abbatia *S. Audoeni Rotomagenſis*, quique pariter univerſum tenet Commentarium. Quartus vero, qui eſt Monaſterii Beccenſis, eandem quidem æta-

Digitized by Google

tem præfert, ſed mutilus eſt, ac centum priores Pſalmos non excedit. Horum Codicum beneficio innumera pæne menda ſuſtulit, & expoſitionem ipſam mirifice correxit. Indicavit etiam locos Sacræ Scripturæ, qui vel perperam citati erant, vel in duabus ſuperioribus editionibus deerant, annotatis etiam SS. Patrum locis, quos *Caſſiodorius* hinc inde laudavit. Huic Commentario in Pſalmos, qui genuinus eſt *Caſſiodorii* fœtus, proxime ſubjecit Editor alium in *Cantica Canticorum*, ex editione Germanica, quam cum ipſo communicavit *Emericus Bigotius*. Sed hos Commentarios ſuppoſititium eſſe *Caſſiodorii* partum, tribus cenſet argumentis inprimis demonſtrari. Primum enim in hoc Opuſculo citatur *Gregorius Magnus* ſuper Evangelia, cui Operi poſt mortem *Caſſiodorii* manus demum admota eſt. Deinde hic Commentarius a *Caſſiodorii* ſtilo & ſcribendi charactere multum abhorret. Denique, Tractatum hunc a ſe conſcriptum eſſe, nusquam memorat *Caſſiodorius*. Propter utilitatem tamen legentium & libri dignitatem, quæ tanta eſt, ut inter Opera *Iſidori*, Hiſpalenſis, locum obtineat, tam illuſtri licet parente deſtitutus, hic iterum in publicum profertur. Tertium in *Tomo altero* locum occupant libri *de divinis & humanis literis*, ſeu *lectionibus*. In libro de divinis literis emendando uſus eſt antiquioribus membranis quingentorum minimum annorum, quos ipſi ſuppeditarunt tum Bibliotheca *Audoeni*, tum Monaſterium in confinio Ebroicenſium & Conchenſium. His acceſſerunt caſtigationes plurimæ, quas ex aliis MStis Codicibus exſcripſerat *Juretus*, a quo plura in hunc librum obſervata ſubjunguntur. Librum *de humanis literis*, mirum in modum depravatum, hiulcum ac mutilum, ope Codicum ita ſupplevit, correxit, emendavit Doctiſſ. *Garetius*, ut pæne novus videatur eſſe. Ad manus vero præſtoque ipſi fuerunt Codex *S. Germani Pratenſis*, cujus ætatem ad *Hincmari Rhemenſis* tempora referunt, *Simon Bougis*, qui edita cum vetuſtiſſimo MSto Bibliothecæ Thuanæ contulit, & varias lectiones ad Editorem transmiſit, & *Petrus Pelheſter*, Rotomagenſis Metropolis Bibliothecarius, qui ex MSto Bibliothecæ Regiæ octingentorum

ſaltem

ſaltem annorum diſcrepantes congeſſit lectiones. Huic libro ſuccedit *Commentarius in Donatum.* Duos quidem ipſe *Caſſidorius* narrat a ſe conſcriptos eſſe Commentarios in *Donatum*; ſed, quoniam hi, quantum conſtat, nondum editi fuerunt, unicum tantummodo dare potuit Editor, quem ſuppeditavit vetuſtiſſimus Codex MStus Bibliothecæ *S. Michaelis* in monte, ſeu in periculo maris. Tam apte hic Commentarius cum iis, quæ in libro de Grammatica leguntur, cohæret, ut, quæ in hoc ſub finem deſiderantur, ex illo poſſint abunde ſuppleri. In libro de Orthographia, reliquis editionibus non penitus omiſſis, eam cumprimis ſecutus eſt, quæ Antwerpiæ prodiit opera *Ludovici Carionis*, quam vero denuo cum Codice illo, quem modo adduximus, quemque unicum in hac materia habuit, ſtudioſe contulit. Librum *de Schematibus & tropis*, quem vulgo & *Bedæ* & *Caſſiodorio* tribuunt, non eſſe cenſet genuinam prolem *Caſſiodorii* Cl. Editor, licet ei adſcribatur in membranis Cœnobii Floriacenſis. Librum *de Anima* licet *Caſſiodorius* ante ſcripſerit, quam Monaſticen profiteretur, placuit tamen noſtro Editori proxime ſubjungere Tractatibus illis, quas ſenex edidit. In eo iterum nævos abſterſit multos auxilio MStorum Codicum *S. Audoeni Rotomagenſis* & Abbatiæ de Noa, quibus denuo inſigniter prælucet *Juretus* ſuis Animadverſionibus. Ceterum uterque *Tomus* clauditur Indice rerum & verborum locupletiſſimo. *Primo* vero *Tomo* præter Præfationem, ubi inſtituti & laboris adhibiti rationes copioſius exponuntur, præmiſſa eſt Diſſertatio & erudita & lectu digniſſima *de Caſſiodorii Vita*, & *de ejus vita monaſtica*, in quibus concinnandis adjutum ſe fatetur Cl. *Garetius* opera *Nicolai Nourriti*; quibus tandem omnibus accedunt teſtimonia Autorum *de Caſſiodorio.*

HISTOIRE DU THEATRE ITALIEN &c.

h. e.

HISTORIA SCENÆ ITALICÆ, AB OCCAſu inde Comœdiæ Latinæ deducta. Acceſſit Catalogus

Tra-

Tragœdiarum Comœdiarumque Italicarum, quæ ab Anno inde 1500 ad Annum 1660 typis expreſſæ ſunt; itemque Diſſertatio de Tragœdia hodierna, cum Figuris perſonarum, Autore LUDOV. RICCOBONO.

Tomi II.

Pariſiis, apud Andr. Cailleau, 1730 & 1731, 8 maj.
T. I pl. 21, T. II Alph. 1, cum figg. æn. 19.

EJUSDEM DALL' ARTE RAPPRESENTATIVA.
h. e.
DE ARTE IN SCENA AGENDI CANTUS VI.

Londini, absque mentione Typographi, 1728, 8 maj.
Plag. 4½.

Quem *Lælii* nomine inſignem & *Flaminia* etiam uxore felicem jam quadraginta annos in amoribus & plauſu habet Italia ſua, Gallia autem decem annis inter ſcenæ ornamenta fovit, Vir ingenioſiſſimus, qui viginti duo annos natus jam caput & magiſter ludi ſui fuit, magnam his ipſis rebus ſpem de Opere ſuo concitat, quod expreſſit ipſi amor, ut apparet, patriæ. Cum enim videret, ignorari vulgo popularium ſuorum in ſcenica ratione merita, ita quidem ut, *Hedelinus* ille, Albiniaci Abbas, in uſu ſcenæ (*dans la pratique du theatre*) tenuiter admodum, quin contemtim, de iis judicaret, (quæ nimirum noſſe nunquam laboraverat,) ejusque judicium *Mererius*, hunc autem reliquum vulgus ſequeretur; operæ pretium putavit *Riccobonus*, tum Catalogum dare fabularum, (qua in re ſibi profuiſſe non diſſimulat *Leonis Allacii Dramaturgiam*,) tum nobiliorum argumenta & de iis judicia. Incipit autem ab Hiſtoria ſcenæ ſequioris, & putat poſt barbarorum invaſionem duraſſe illas diutiſſime partes, quæ minus ar-
Pag. 5. tis haberent, plus delectationis, verbo *mimos*. Horum *can-*

tan-

tunculi cum mentionem faciat in Apologia *Apulejus*, inde derivat veſtem *Arlequini* recentioris, ex panniculis varii coloris triangularibus conſutam, & *centonis* hanc ipſam ob rem nomine dignam. Cumque *Arlequini* etiam *Zanni* vocentur apud Pag. 8.
Italos, nomen illud a *ſannis* putat & *ſannionibus* derivatum. Quidni enim conveniat in Scapinos illos & Arlequinos *Ciceronis* illud *de Orat. II n. 61*: *Quid enim tam ridiculum, quam ſannionem eſſe, qui ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore ipſo, ridentur.* Hanc itaque etymologiam con- 25.
tra *Carolum Datium*, cui temere aſſenſus eſt *Menagius*, defendit. His Viris *Zanni* ſunt *Gioanni*, h. e. *Joannes*, quo nomine ad contemtum abutuntur Itali, Galli, (& noſtri etiam Germani, quorum *Hans Wurſt*, quaſi tu *farciminatum*, vel *ſuffertum Joannem*, dicas, cum *farciis* Gallorum, a *farciendo* dictis, cognationem habet,) non minus, quam Galli *Nicodemo* ad ſtupidum hominem deſignandum (& quibusdam aliis Germani). *Illam* originem Comœdiæ recentioris a mimis etiam inde reddit probabilem, quod *hiſtrionatus* artem ſui temporis commemorat *Thomas Aquinas*, qui *Comœdiam* dicturus fuerat, ſi formulam *Terentianam*, aut *Plautinam*, illius temporis ſcenici ſecuti eſſent. Interim tales erant eo tempore hiſtriones, quos *non putaret* S. Thomas *eſſe in ſtatu peccati.* Ludebant 30.
autem, ut videtur Noſtro, ludos Atellanis veterum ſimiles & *extemporales.* Cum literarum amor rediret Italiæ, Comœdiæ etiam veteris ſtudium rediit, circa ipſam, ut putat, *Dan-* 32.
tis ætatem, quod ex *Florianæ* ſtilo & genio apparere ait. *Calandra* Cardinalis *Bibienæ* & ipſa minimum circa A. 1490 ſcripta videtur, quæ vulgo prima recenſetur, quam *Arioſti* fabulæ mox ſecutæ ſunt, & has *Jo. Ge. Triſſini*, tum *Firenzuolæ*, 35.
Salviati, *Dominici*, *Lorenzini de Medicis*, *de Ambra*, qui omnes vel tranſtulere Latinas, vel exemplum certe earum ante oculos ſibi poſuere. Idem *Triſſinus*, *Sophonisbe* Tragœdia edita, & *Rucellajus*, *Roſmunda* propoſita, Græcorum & Latinorum veſtigiis ita inſtiterunt, ut, ſi quid peccatum ſit, potius nimia cura & obſequio præceptorum veterum, etiam ubi mores noſtri repugnant, peccatum ſit; adeo falſum eſt, quod Albiniaci Abbas objecit Italis, eos pa-

triæ artis oblitos. Cum igitur horrorem animis objiceret Tra-
gœdia, voluptatis autem parum haberet, non emendata illa
Pag. 38. parte eſt, ut a Gallis, ſed abjecta. Interim, reducta licet arte
dramatica, mercenarii ſcenici extemporales ludos agere per-
rexerunt, reliqueruntque eruditis hominibus & ſocietatibus
ſuas fabulas. Ipſi materiam tantum rudem & impolitam de-
derunt ſuis Actoribus, ut hodieque fit in Italica ſcena, ubi affi-
guntur ad exitus ſcenæ ſingulæ partes, quæ breviſſimis verbis,
quid agendum ſit, commonent; verba ipſa & dialogus acto-
ribus relinquuntur. *Flaminius Scala* illam materiam fabula-
rum typis primus vulgavit, paulo illam quidem minus brevem,
ſed infinitum quantum ab elaboratis eorum, qui integras fa-
44. bulas dederunt, operibus diſtantem. Hujus ætate, h. e. circa
dimidium Seculum XVI, primum in ſcenam prodiere mulieres.
Circa eadem tempora Academicorum exemplum & labores
produxerunt etiam ſcenici mercenarii: cujus rei *Guarini* ille
fidelis paſtor nobile exemplum eſt, ſæpe recitatus a ſcenicis.
Ab eo inde tempore utrumque genus per Italiam floruit, tum
46. *extemporale* illud, tum alterum laborioſius. Poſt finem Se-
culi XVI corruptum queritur Autor judicium Italorum ut in
reliquis literis, ita etiam in hiſce; ſucceſſerunt Tragœdiæ illi
veteri & auguſtæ monſtra quædam Tragicomica, Tragiſati-
rocomica, *Arlequinus* in ipſam Tragœdiam admiſſus &c. Quod
Hiſpanorum inprimis Principum aulis imputat Noſter, a *Caro-
lo V* in Italiam introductorum. Poſt iſta refert originem di-
verſarum perſonarum, quæ regnant in Comœdia Italica, ridi-
culæque illius permixtionis dialectorum, Venetæ præſertim,
Bononienſis, & Lombardicæ, quæ *Ruzantem* videtur Auto-
50. rem habere, qui A. 1530 floruit. Hic idem perſonas etiam
præter *Arlequinum* reliquas larvis primus inſtruxit. Ceterum,
quantum Hiſpanorum præſertim gnava opera deceſſit ſanita-
tis & bonæ mentis ſcenæ Italicæ, tantum actores ſua arte &
ingenio celebritatis illi adjecere, adeo quidem, ut in aulas illu-
57. ſtriores omnes evocati ſint. Eſt penes Autorem Diploma,
quo *Matthias* Imperator *Petro Maria Cecchinio*, qui *Arle-
quini* partes ingenioſe & venuſte egerat, nobilitatis jura tri-
buit.

Digitized by Google

bnit. Nominat etiam Autor, qui *Ludovico XIII* cari fuerint. Pag. 58.
Illud neque nobis omittendum, quod de *Carolo Borromao*, Cardinale & Archi-Epiſcopo Mediolanenſi, refertur, illum oblatam ſibi fabularum materiam & ſynopſin examinandam idoneis hominibus dediſſe, &, ſi his nihil videretur ineſſe, quo mores læderentur aut pietas, nominis ſui ſubſcriptione veniam & autoritatem accommodaſſe. Rogat hic lectores ſuos Autor, ut, ſi qua incidant in exemplaria ejusmodi, eorum ſibi copiam non invideant. Synopſes illæ & conjectiones fabularum occaſionem ſuppeditant Autori diſputandi de commodis & incommodis ſcenicæ illius extemporalitatis, qua Italorum conſetur Comœdia. Plus illam habere ſpiritus, &, ſi bene agatur, jucunditatis, certum eſt. Poterat Autor huc transferre *Terentianum* illud *Andr. IV, 6, 5*: *Paulum intereſſe cenſes, ex animo omnia, ut fert natura, facias, an de induſtria?* Sed unde actores ita ingenioſi, ita eruditi, ut ſubſervire alter alterius orationi poſſint, & neque turpi ſilentio, neque frigidis nugis, ſomnum concilient auditoribus? Remedium aliquod excogitarunt, quod *Lazzi* appellant, *laqueos* interpretatur Noſter, (cum, qui *Lacci* dicendi erant, *Lazzi* dicant Lombardi,) aut vincula potius, quibus, cum interrumpi videatur actio, potius nectatur. Nimirum ſentit, frigere actionem; *Arlequinus* Prodit ſubito, immiſcet ſe ſermoni, nugas interim agit, dum ad rem ipſam redeatur commode. Sed & nobis redeundum eſt ad ſeriem hiſtoriæ. Toto fere Seculo XVII nihil prope ſalubris habuit Scena Italica, cum nugæ extemporales & ſæpe obſcœnæ larvatorum hominum expuliſſent veterem & ſanam Comœdiam. Tentavit Autor noſter reducere cives ſuos ad 82.
meliora. Et in Tragœdiis quidem tum ex Gallico traductis quibusdam, tum vetuſtioribus Italorum, tum inprimis *Scipionis Maffei*, quem nunquam ſine honore a nobis nominari par eſt, felici adeo ſucceſſu, ut *Maffeiana Merope* uno anno quater recudenda eſſet: nec in Comœdiis qua Gallicis, qua ſuis, infelicior fuit, quas nimirum aliquantum ad mores & judicium civium ſuorum inflecteret. Supererat, ut *Arlequino* illo & larvis remotis etiam Comœdiam daret paulo graviorem

Pag. 86. honeſtioremque. Selegit ad eam rem *Scholaſticam Arioſti*, quam,
mutatis centum quinquaginta verſibus, ad ſobrietatem & mo-
deſtiam redegerat. *Arioſti* nomen Venetiis, ubi primum ex-
perimentum facturus erat, magnam vim hominum conciliave-
rat ad ſpectaculum. Verum, cum *Orlandum furioſum* expe-
ctaret populus, eaque ipſum ſpes deſtitueret, tantum ſubito fri-
gus, ſomnus, pandiculatio, occupavit caveam, ut cum quarto A-
ctu absque *Plaudite* eſſet velum demittendum, (loquimur enim
de hodierna ſcena, ſi de veteri ſermo eſſet, *tollendi* verbum
erat adhibendum,) ne, quod ait *Cælius*, ſibilo & ridentum ſtri-
dore exigeretur. Quo facilius deinde conceſſit ab civibus ſuis,
medicinæ impatientibus, in aulam Gallicam, cujus a decem in-
de annis in deliciis & amoribus eſt: Comœdiam autem Ita-
licam ſuo genio & judiciis Albiniacenſis Abbatis reliquit; nun-
88. quam certe deteriore eam, quam nunc eſt, loco fuiſſe, in ipſo
fine Hiſtoriæ fatetur. Occupatum eſt ſpatium mediocris li-
bri recenſioni deſtinatum & nihil diximus de Catalogo fa-
bularum Tragicarum & Comicarum, Introductione & Notis
quibusdam Criticis inſtructo. Hoc lecto Catalogo, apparebit,
nihil non veteris Tragœdiæ Italice converſum, nullam par-
tem Hiſtoriæ non productam eſſe in ſcenam: characterem
nullum animi, nullum actionis intricandæ vel explicandæ ge-
nus non eſſe in Comicis fabulis tractatum. Si quis vero etiam
examinare quasdam velit, nihil monſtroſi ibi deprehenſurum.
116. Non poſſumus invidere Lectoribus noſtris indicium deſcri-
ptionis Theatri Olympici, a *Palladio* Vicentiæ ſuæ exſtructi,
cujus ſcena proſpectum trium platearum exhibet ſpectatori-
bus, qua ratione poteſt perfici, ut duo actores quærere alter
alterum videantur, licet uterque æque præſens ſit Spectatori-
145. bus; neque illud, quod de *Arioſto* narrat. Hunc pater ju-
venem aliquando aſperis verbis caſtigavit; hic audit attente
detonantem, ſed verbum nullum profert vel excuſandi cauſa
vel deprecandi. Interrogatus poſtea a fratre, cur nihil re-
ſpondiſſet, ſe, inquit, cum maxime occupatum in ſcribenda
Comœdia, & in ſcena quidem ea, ubi *iratus Chremes tumido*
delitigat ore: itaque occupaſſe occaſionem capiendæ hauri-

endæ-

endæque imaginis, quam ſtatim in fabulam ſuam transferret. Sequitur poſt Catalogum & ejus Indices Diſſertatio de Tragœdia hodierna, cujus ſumma capita ſunt iſta. Finis Tragœdiæ Græcæ, tyrannide prohibere populum, pingendis tyrannorum ſceleribus & ſuppliciis. Latini, Itali, Galli, artem & elegantiam imitati ſunt, finis ſecuri. Placuit Græcis tyrannorum miſeria; nunc auguſti Reges populis. Itaque apud Italos plane cecidit Tragœdia; in Gallis *Petrus Cornelius*, ut placere poſſet Regi juveni & aulæ, amorem intulit, & genium fabularum Romanenſium. Tolle amores, &, quicquid ſupereſt in Tragœdia, bene cohærebit ſæpe, & unico fere Actu poterit includi. Cum omnia hodie agantur in penetrali, chori uſus & coryphæi ſublatus. Eadem res familiares illos (*les confidans*) introduxit, quorum nullæ partes niſi narrandi vel audiendi. Unitatem loci ſuperſtitioſe nimis ſervat Gallorum Tragœdia; tanto negligentior eadem in unitate actionis. Notationem morum in perſonis parum curant recentiores Tragici, easdem ſententias grandes, ſublimes, ex Romanenſibus fabulis hauſtas, omnibus tribuunt; quas dum nimis frequentant, artem illi quidem ſuam oſtentant, admirationemque concitant, ſed parum movent animos, cum nimis a natura diſcedant. Eodem pertinet, quod perſonis veteribus ſuos mores, quin veſtes adeo, accommodant. Verſus rhythmici & orta inde quædam monotonia, omnem prope vim orationis frangunt. Hæc fere *prima Pars* Opuſculi; ad quem adjecta a librario eſt ars in ſcena agendi Carmine Italico ſcripta, illo quidem genere, quod *terza rima* ab illis dicitur. Sed longi nimis fuimus, ut neque de hac, neque de *Parte altera* Hiſtoriæ, quæ epitomas & judicia nobilium fabularum continet, itemque explicationem perſonarum, quarum in Theatro Italico uſus eſt, adjicere quidquam liceat. Qui quidem iſto genere eruditionis delectantur, illi non ſine voluptate librum *Roſcii* hujus totum cognoſcent, quem ornant etiam adjectæ *alteri Parti Ruſſæi* (*Rouſſeau*) & Autoris Epiſtolæ. Pag. 255.

JO. ZANGERI, ALIORUMQUE SUMMOrum JCtorum, de Exceptionibus & Replicationibus Opuſcula ſelecta; quibus ZANGERI de Exceptionibus Tractatus ita ſuppletur, ut Partis ſecundæ locum obtinere poſſint. Collegit, præfatus eſt, Diſſertationem de Exceptione Juris Germanici, qua evocationes illicitæ dicuntur, nec non geminos Indices adjecit HENRICUS CHRISTIANUS SENCKENBERGIUS, JCtus, & Conſiliarius Rhingravicus.

Françofurti ad Mœnum, ſumtibus Jo. Benj. Andreæ & Henr. Hort, 1733, 4.

Alph. 8 pl. 18.

Conſultiſſ. *Senckenbergius*, qui ante tres, & quod excurrit, annos *Zangeri*, nobilis illius exceptionum architecti, de exceptionibus & torturis reorum libros, nova facie indutos, ex tenebris in lucem revocavit, felici Operis ſucceſſu lætus, nunc *Tomum ſecundum* de Exceptionibus in manus emtorum tradidit, in quem pleraque, quæ de exceptionibus dicenda ſupererant, conjecit, reliqua *Tomo tertio* reſervavit. Dolemus miſeram Editoris vicem, cui magno ſudore conſtitit hic *Tomus*. Percurrendæ enim ipſi fuerunt ſexcentæ, & ultra, de Exceptionibus Diſſertationes, ut ex iisdem optimas, præſtantiſſimas, & maxime ſua ſeſe commendantes raritate, ſeligeret, & in hunc *Tomum* transferret. Sed, ſi vera proferre licet, exiguo id delectu perfecit *Senckenbergius*. Vix enim *tres quatuor*que *Diſſertationes* reperiuntur in hoc Opere, quæ raræ ſunt. Ceteræ omnes proletariæ, obviæ, & ubique venales proſtant in libellionum tabernis. Præfatio ſubitaria atque vulgaris eſt, neque quidquam continet, quod vel ad Autorum, qui in hanc Syllogen commigrarunt, vitam moresque, vel eorum ſcripta, pertinere videri poterat. Præterea & charta carbonibus nigrior eſt, & tot typothetarum erroribus ſcatet hic

liber.

Digitized by Google

liber, ut Herculea induſtria ad purgandum hoc Augiæ ſtabulum plane requiratur. Noſtro itaque defuncti erimus officio, ſi, quos libros Academicos contineat hæc Sylloge, per indicem indicaverimus. Occurrunt in hoc Opere I *Jo. Zangeri* Commentarius ad Titulum Inſtitutionum de Replicationibus, cum Commentario ad Titulum de Exceptionibus; II *Joachimi Nergeri* Diſſertatio de Exceptionibus hodierno ſoro accommodatis; III *Andreæ Mylii* Diſſ. de inveniendis cauteque objiciendis exceptionibus; IV Ejusdem Diſſ. de remediis, quæ per modum actionis & exceptionis proferri poſſunt; V *Mich. Heberi* Diſſ. de eo, quod intereſt inter actionem ipſo jure nullam, & ope exceptionis eluendam; VI *Jo. Sam. Stryckii* Diſſ. de Excipiente non confeſſo; VII *Barth. Leonh. Schwendendœrferi* Diſſ. de eo, quod circa formale & fatale opponendarum exceptionum hodie obtinet; VIII *Sam. Stryckii* Diſſ. de remediis cauſæ vulneratæ propter amiſſas in Proceſſu exceptiones; IX *Jo. Amſel* Diſſ. de eo, quod extremum judicialem actum, ſeu executionem ſiſtit, & differt; X *Jo. Phil. Slevogti* Diſſ. de foro geſtæ adminiſtrationis; XI *Andr. Mylii* Diſſ. de remiſſione facinoroſorum, eorumque transportatione per territorium alienum; XII *Chriſtiani Thomaſii* Diſſertatio de foro competente, & ſubjectione Clericorum ſub poteſtate civili; XIII Ejusd. Diſſertatio de ſingulari æquitate Leg. unic. C. quand. Imp. int. pupill. ejusque uſu practico; XIV *Chriſt. Widvogelii* Diſſ. de controverſa Jurisdictione Eccleſiaſtica Principum Imperii in diverſos religionis ſubditos; XV *Henr. Bodini* Diſſ. de illicita a Principibus Proteſtantibus provocatione in cauſis Eccleſiaſticis; XVI *Jo. Fridemanni Schneideri* Diſſ. de Murmuratione præſcriptionem impediente; XVII *Caſp. Henr. Hornii* Diſſ. de Prærogativa morum Germaniæ in concurſu cum legibus receptis; XVIII *Chriſtoph. Phil. Richteri* Diſſ. de Defenſione neceſſaria extrajudiciali; XIX *Chriſtiani Wildvogelii* Diſſ. de Abolitionibus, & jure tertii circa eas; XX *Max. Hartmanni* Diſſ. de Rebus minimis;

Digitized by Google

mis; XXI *Nic. Chriſtoph. Lynckeri* Diſſ. de Formis Procurationis; XXII Ejusdem Diſſ. de Beneplacito; XXIII Ejusdem Diſſ. de Jurisjurandi invaliditate; XXIV *Jo. Joach. Schœpfferi* Diſſ. de Ceſſatione Legis Anaſtaſianæ; XXV *Car. Frid. Michaelis* Diſſ. de Exceptionibus illiquidis, ſigillatim exceptione non numeratæ pecuniæ in reconventionem deducendis; XXVI *Jac. Frid. Ludovici* Diſſ. de tribus Sententiis conformibus; XXVII *Jo. Strauchii* Diſſ. de Jure retentionis; XXVIII *Jo. Sam. Stryckii* Diſſ. de Rejectione ab Actis; XXIX *Jo. Phil. Schmid.* Diſſ. de Errore calculi; XXX *Guil. Hier. Brückneri* Diſſ. de Renuntiatione invalida; XXXI *Joach. Hoppii* Diſſ. de Joco; XXXII *Frid. Bœckelmanni* Diſſ. de reſcindendis & non ſervandis contractibus; XXXIII *Henr. Chriſtiani Senckenbergii* Diſſertatio ſubitaria de Exceptione Juris Germanici, quo evocationes illicitæ dicuntur. Gratulamur itaque bellorum forenſium athletis inſtructiſſimum hocce armamentarium, ex cujus penu adverſariorum tela in ſe emiſſa fortiter atque animoſe retundere poterunt. Illi vero, qui a forenſi illa cauſidicina natura quaſi abhorrent, & ultra ceteram plebem ſapiunt, non ſolum ſperant, verum etiam certiſſime confidunt, fore, ut Collectio nova Anecdotorum, inprimis Francofurtenſium, Hiſtoria Rhingravica pragmatica, & Commentarius in B. *Struvii* Syntagma Juris Feudalis, quorum librorum ſpem nobis fecit *Senckenbergius*, majorem præſtantioremque utilitatem civitati literariæ afferant.

TOXICOLOGIA PATHOLOGICO-MEDICA, ſive de Venenis Libri III; Autore CHRISTIANO GODOFREDO STENZELIO, Torgavienſi, Artis ſalutaris & Philoſophiæ Doctore, Facultatis Medicæ Aſſeſſore, ac Chirurgiæ Profeſſore Publico Ordinario.

Vitembergæ & Lipſiæ, 1733, 4.
Alph. 1 pl. 4.

Mul-

Multum utique cum ad perſanandos complures, qui ex venenis oriuntur, morbos, tum ad varias in foro diſceptandas cauſas intereſt, ut eorum indolem venenorum effectusque cognitos & exploratos Medicus habeat, beneque omnino & ſapienter agit, qui in illud argumentum paulo exquiſitius accuratiusque enucleandum incumbit; idque eo magis, quo certiusnon plebem tantùmmodo, ſed Phyſicos etiam Medicosque, miris circa venenorum doctrinam præjudiciis laborare, nonnulli pridem animadverterunt. At vero operæ in hac re pretium facturo id agendum foret, ut non minus venenorum naturam generatim perquireret, eaque ad certam & ſatis determinatam ideam revocaret, notasque characteriſticas, quibus a reliquis rebus naturalibus, hominum vitæ ſanitatique infeſtis, diſtinguuntur, exponeret, quam cujusvis ſigillatim veneni, quod vere hoc nomen meretur, notitiam externam, hiſtoriamque naturalem, traderet, tum effectus, ab illo in corpore animali excitatos, enarraret, & certa obſervationum fide, experimentisque, ubi locum habent, idoneis, confirmaret, elementa hujus facultatis modumque agendi varia arte erueret, & efficaciſſimam, quoad fieri poteſt, medendi rationem ſubnecteret, omnia denique pro ratione inſtituti ad uſus forenſes accommodaret. Non neglexit ea penitus Cl. *Stenzelius*, cujus in præſentia libellum de venenis commemorare conſtitutum habemus, ſed aliquantum attigit, quandoquidem magnæ venenorum partis & hiſtoriam naturalem, & effectus in corpore humano, agendique modum, & medicationem pertractat. Utinam vero ea, pro illa, qua valet, doctrina, copioſius & data magis opera perſecutus eſſet, & in nonnullis venenis, dum aliis inhæret, plane non omiſiſſet, in quibus nonnulla extant, quorum tantummodo nomina enumeravit, de ceteris autem, quæ ad ea attinent, ne verbum quidem adſcripſit. In plerisque id curæ cordique maxime habuiſſe videtur, ut varios de iſtis veterum Medicorum, aliorumque Autorum, locos, quod in laude ipſius ponendum eſſe autumamus, excitet, permultas etiam ex recentioribus obſervationum medicarum Scriptoribus hiſtorias, & haud raro fabulas, quarum fidem nemo

Digitized by Google

aſſerere ſuſtinet, ex adverſariis in medium adducat. Illud autem, credimus, demirabuntur non pauci, quare veneni natura generatim non ſatis evolvatur, & notio pro eo, ac decet, argumentique gravitas poſtulat, rite determinetur, quod in ejusmodi diſquiſitionibus perneceſſarium eſſe, ex Logicorum præceptionibus inter omnes conſtat. Tam late enim patet doctiſſimo Autori vocis veneni conceptus, ut omne illud, quod corpori humano noxam affert, cibusque & potus quilibet, item medicamenta propter abuſum, in venenorum ordinem referri queant; quam ſententiam Noſter variis locis pronuntiare non dubitat, & tot venenorum, ab ipſo recenſitorum, exemplis ſat confirmat. Tantopere enim iſtorum augetur numerus, ut non ſolum, quæ alii pridem e venenorum claſſe exterminaverunt, hic quaſi poſtliminio revocentur, ſed nova etiam, de quibus alii Autores ne per ſomnium quidem cogitaſſent, longo ordine enarrentur. Quod ſi vero tam ampla veneni notio non ſine inſigni Artis Medicæ confuſione admittenda eſſet, veremur, ut Doctiſſ. Autor omnem ejusmodi venenorum penum exhauſerit, e quorum ſane numero infinita adhuc ſupereſt copia, & tam late, quam univerſæ Pathologiæ ambitus patet. Ita e. g. majori veri ſpecie, quanquam ne ſic quidem ſatis accurate, quam multa alia, venenorum acutorum numero adſcriptus fuiſſet potus aquæ frigidæ, corpore nimium calente ingurgitatus, qui plurimos extemplo jugulavit. Sane, quicunque Phyſicorum Medicorumque noſtræ ætatis de venenis diſceptationes cognitas habet, & ut alios omnes taceamus, ſolam incomparabilis Halenſium Medici, *Hoffmanni*, Diſſertationem, qua errores circa venena vulgares docte eleganterque perſtrinxit, cum *Stenzeliano* hoc libello contendit, illum vix ac ne vix quidem in Doctiſſ. Autoris ſententiam ubique iturum eſſe exiſtimamus. Sed de ejusmodi rebus ordineque ipſo nihil amplius dicemus, ſummam potius libri breviter & bona fide traditurі. Quoniam iſte ex tribus Diſſertationibus, in Vitembergenſi Academia habitis, nunc vero conjunctim & uno faſciculo editis, coaluit, in *tres* etiam *Libros* dividitur, quorum *primus* de venenis terminatis & temporaneis, *ſecundus* de venenis

Digitized by Google

nenis acutis, *tertius* de venenis ſterilitatem inducentibus, ex-
ponit. De venenis itaque temporaneis agit *Liber primus.* LIB. I
Venena quondam in bona & mala dividere conſueverunt, cum §. 3.
omnia ea, quæ corporis naturam mutant, venena dicta fue-
rint. Noſtro de malis tantum ſermo erit. Quæ ſicut ra- 5.
tione elementorum particularumque ſuarum inter ſe magno-
pere diſtinguuntur ; ita non minus a diverſa conſtitutione 6.
ſolidorum fluidorumque in iis, qui venenum acceperunt, mu-
tantur, atque terminus etiam effectus jam protrahitur, jam 8.
acceleratur. Non vero hujus generis venena a Gallis vel Italis
demum inventa, ſed inter Ægyptios & Græcos, Romanosque 10.
& Arabes, cognita fuerunt, quod exemplis pariter atque teſti- 11.
moniis probatur. Diſtinguuntur autem inter ſe venena ter- 13.
minata, temporanea, & delibutoria. Per terminata intelli-
guntur venena artificialia, quorum adjumento homo intra cer-
tum temporis ſpatium, definitamque horarum, dierum, hebdo-
madum, menſium, annorum, periodum, uti quorundam fert
perſuaſio, quaſi chronico exhauſtus morbo, e vita tollitur.
Temporanea ſunt, quæ ſenſim quidem ſenſimque interimunt,
certum vero temporis terminum non habent præſtitutum.
Delibutoria ad utramque claſſem, item ad acuta etiam vene-
na, pertinent, atque id ſingulare habent, quod per res exter-
nas, iisdem imbutas, e. g. chirotecas, gladios, ephippia, &c. cum
corpore hominis perimendi communicentur. Ejusmodi autem 14.
venena terminata re vera exiſtere, maxime dubitat Cl. Autor,
quod venena pro diverſitate corporum humanorum maxime
mutentur, atque hinc nulla, ut ipſius verbis utamur, abſolute
talia, ſed omnia reſpectiva, dici debeant. Quid ? quod ex-
perientia teſtetur, unum idemque venenum, diverſis homini-
bus eodem temporis articulo exhibitum diverſo tamen tem-
pore eosdem interemiſſe. Quod ſi tamen veneficus illius, cui
exitium minatur, idioſyncraſiam exacte perſpectam habeat,
ejusque & robur, & veneni parandi indolem, modumque ope-
randi, cognoverit, fieri poſſe exiſtimat, ut terminata etiam ve-
nena propinentur. Quoniam venena non agunt, niſi quate- 16.
nus partibus ſolidis applicantur, ad variam harum partium 17.

vim, tanquam ad cauſam præcipuam, varii venenorum effe-
§. 18. ctus referuntur. Unde Medicus ſymptomata venenorum per-
ſanaturus, propinati veneni indolem æque, ac hominis ex eo
20. male habentis conſtitutionem, ad examen revocet. Inter len-
ta ejusmodi venena numerantur virus bufonum, cujus elici-
22. endi varios modos Noſter exponit; virus canis rabidi, ſive
morſu per ſalivam communicetur, ſive ab eodem prolectum, ci-
23. bisque admixtum, lentam inducat tabem; virus tarantularum,
24. venenum variolarum, morbillorum, petechiarum & purpuræ,
diu in corpore abſconditum, donec a cauſis externis & occa-
25. ſionalibus, quibus vulgo earum origo tribuitur, excitetur; ve-
27. nenum alcalinum, viſcidæ maſſæ aliquantum implicatum, in fe-
28, 29. bre hectica; cantharides; venenum acre alcalinum luis ve-
31. nereæ; venena acida, ſpiritus nitri, vitrioli, ſalis, ſulphuris,
oleum vitrioli, aqua fortis, aqua regia, ſolutio auri, cryſtalli
illius, ſolutio argenti, ejus vitriolum, lapis infernalis, ſolutio
cupri, & inde paratum ſal, ſolutio & calcinatio mercurii, ſpi-
ritu nitri & oleo vitrioli peracta, & hinc natus mercurius
præcipitatus ruber, albus, viridis, ſublimatus, antimonium, aqua
regia imprægnatum & ſaturatum, & calx illius eſcharotica, a-
33. qua ſtygia Alexandro Magno data, arſenicum, exigua quanti-
34. tate propinatum, venena adſtringentia, incraſſantia & exſic-
37. cantia, gypſum, ſaccharum ſaturni, ſtanni minera, limatura,
ſquamma, calx ceruſſa, minium, lithargyrium, cinis ſtanni uſti,
ſynopis, pſyllii ſemen, cynosbati ſpongia, agaricus, viſcum, abu-
40. ſus remediorum terreorum & adſtringentium, aquæ non-
41. nullæ ſaturninis & gypſeis elementis præditæ, pavimenta
42, 43. lapidea, fungi eſculenti, ficus Pharaonis; venena acria
45. mere mechanica, adamas, cryſtallus montana, limatura fer-
ri, limatura æris, alumen plumoſum, vitrum contuſum; ve-
46. nena narcotica, hyoſcyamus, datura, opium, ſolanum, mela-
48. noceraſon, antimonium crudum & auripigmentum, venena
49, 51. varia compoſita, item ſympathetica, philtra & venena deli-
52, 53. butoria varii generis. In iis etiam, qui bonam valetudinem
externo habitu præ ſe ferunt, ſive diætæ leges cuſtodiant, ſive
negligant, ſenſim ſenſimque & velut ſine ſenſu generantur
vene-

Digitized by Google

venena temporanea, i. e. cauſæ graviorum morborum, quæ deinceps, accedente cauſa leviori occaſionali, in actum deducuntur, & vel derepente, vel paulatim, & temporis ſucceſſu, vitam ſanitatemque lædunt. Hinc ad venena lenta referuntur ab Autore potus Thee, & Coffee, aromata, vinum, ſpiritus vini, aquæ vitæ, eſſentiæ amaræ, bezoardicæ, aliaque potus & medicamentorum ſpirituoſorum genera, chinchina, motus corporis, & quare non etiam caſeus & panis, optima alias fercula ſanis? Quando enim hanc veneni rationem ratam habemus, nullus ſupereſt cibus, nullus potus, nullum remedium, nulla plane res ſic dicta non naturalis, quin ex abuſu venenorum familiæ adſcribatur, ut ipſe Autor fateri non dubitat. Difficillimum, imo humani ingenii viribus ſuperius, negotium eſt, exhibiti veneni lenti & terminati præſentiam detegere, & de morte hinc inſecuta ſententiam ferre. Id enim modo ſenſibus non obvio in corpus agit, & non niſi tarde ſub ſpecie febris lentæ occidit. Nullam aliam viam has ſuperandi difficultates videt Cl. Autor, quam ut, ſi hujusmodi veneni ſigna, ſuperius hinc inde ſubminiſtrata ſe exſerunt, inſidiis callidaque perſuaſione, aut ſi circumſtantiæ, id patiantur, rigoroſo ſuſpecti hominis examine, datum venenum exploretur; hocque facto, an a veneno indicato, an veteri corporis morbo perierit demortuus, inquiratur. Pœnas in variis gentibus, varias ſubeunt, qui venena propinant, ubique tamen capitales. Hodie tamen pro circumſtantiarum ratione graviorem vel mitiorem a JCtis ferendam eſſe ſententiam, Noſter contendit. In *altero*, quem de venenis acutis inſcripſit, *Libro*, Medicos in determinanda vocis *acutus* ſignificatione ignaros admodum & inconſtantes eſſe, opinatur. Neque enim hæc vox id, quod breve, nec quod periculoſum, nec, quod breve & periculoſum eſt, tantum denotat; ſed præcipui morbi acuti characteres enumerantur, 1) pulſus naturali frequentior & debilis, per totum morbi decurſum perſeverans; 2) exigui temporis, quo terminatur morbus, ſpatium, omnis omnino intermiſſionis expers; 3) gravia, & quæ imminens denuntiant periculum, ſymptomata, ſigillatim

Margin notes: §. 57, 59, 60, 61, 62, 63. — 64. — 65. — 67. — LIB. II §. 1. 2 ſeq.

virium ſine cauſa manifeſta proſtratio; 4) anceps indicantium ſtatus, & mors improviſa, tanquam certum veræ malignitatis ſignum; 5) infida prognoſis. Hinc τὸ ὀξὺ, ſ. acutum, ſolis febribus, quas recentiores continuas malignas vocant, competit. Idcirco venena acuta eſſe concludit, quæ non modo graviſſimis ſymptomatibus hominem repente interimunt, ſed inprimis etiam febrem continuam cum maxima pernicie conjunctam accendunt, omnemque febris continuæ malignæ originem a veneno acuto eſſe arceſſendam, & viciſſim ex acuti veneni propinatione ejusmodi febrem ſemper oriri.

§. 7, 8. Hinc, perquiſitis febribus peſtilentialibus, petechialibus, miliaribus, variolaceis, & dyſentericis, indolem venenorum, a quibus
excitentur, eruere, examinatisque venenis acutis, tam naturalibus, quam artificialibus, quæ triplex naturæ regnum ſuggerit, modum, quo ab iisdem, præter alia ſymptomata, febres a-
9. cutæ generari ſolent, explicare conatur. Eo pertinent ex Regno minerali mercurius vivus, non ipſe quidem, ſed iſtius va-
10, 11. por, naribus & ore hauſtus, mercurius ſublimatus, præcipita-
12, 13. tus, albus, ruber, viridis, luteus, mercurius vitæ & ipſe dulcis, ab
14. omni ſuſpicione non immunis, lythargyrium, ærugo, ſquama
15, 16. æris & rubigoferri, lapis Lazuli cœrulei coloris, lapis Armenus viridis, & tutia, cryſtalli lunæ, lapis infernalis, butyr. an-
17.
18. timonii, ſalia vitriolica veneris & martis, ſpiritus nitri, alu-
19, 20. minis, ſalis, ſulphuris, oleum & ſpiritus vitrioli, aqua fortis
21. & aqua regia, cobaltum, arſenicum, crocus, & vitrum antimonii, antimonium diaphoreticum non rite præparatum, ipſum etiam antimonium crudum, ſi corporis diſpoſitio reſpondeat,
22, 23. calx viva, exhalatio carbonum foſſilium per ignem facta, &
24. ipſum fulmen. E claſſe vegetabilium, quæ venena ſua a mi-
26. neralibus & nonnullorum opinione, non ſemper & ſolum mutuantur, quanquam herbarum venenatarum vires pro ſoli diverſitate multum mutari, imo & mora temporis variisque artifi-
27. ciis variari, conſtat, eo referuntur, helleborus albus & niger,
28. non recte adhibiti, qui alias recto uſu magnarum virium me-
29, 30. dicamentum evadunt, elaterium, omnia purgantia acriora, gummi guttæ, euphorbium, agaricus, ſcammonium, mechoacanna

canna nigra, grana tigliæ, ſemina ricini, & lathyris, cicuta, napellus, fungi venenati, ficus, cucurbitæ, pepones & melopepones, venenum macaſſarienſe, fructus herbæ malabaricæ, mangas ſive bravas appellatus, nuclei pinei malucanorum, fructus lethalis arboris ahovai, hyoſcyamus, & opium, tabacus, ophiuſa, datura, crocus, ſemina lini, baccæ ſolani hortenſis, acini ſolani ſylveſtris, quod bella donna dicitur, flores colchici, flos Africanus, oleander, taxus, umbra nucis arboris, apium, riſus, erica baccifera, lolium, nux unguentaria, nux vomica, chamæleon nigrum verum, ſtophis agraria, pedicularis pratenſis, carpaſi & cyclaminis ſuccus, aromata ſtomachica, radix ari, ruta. Sed & animalia ſua venena habent, nec ſoli morſui, puncturæ & nervorum læſioni ſymptomata debentur. Veniunt in hunc cenſum ſanguis menſtruus, non tam a puris ſaniſque fœminis, ſed impuris & morboſis, excretus, ſanguis tauri, tunnorum, felis, ſerpentes, viperæ & lacerti, eorumque ſpecies, lacerti ormuzani, ſcorzon ſerpens Hiſpanicus, naſa cobras de Cabelo Luſitanis dicta, cenchris, ſive ſerpens miliaris, dipſas, alias preſter vocatus, hæmorrhous, tyrus, tres aſpidum ſpecies, nempe cherſæa, natrix, ptyas, ſive ſpuens, hynalis, Baſiliſcus, ſi quis exiſtit, ſcorpio, paſtinaca marina, ſtellio, ſalamandra, ſcincus marinus, hirudines, aranei, veſparum & muſcarum ictus, torpedo, ova barbi piſcis, ranæ, lepus marinus, ſalpuga, grylli, cimices, bupreſtis, ſcarabæi. Poſtquam de præſtantiſſimis horum venenorum antidotis diſputavit, ratione renunciandi & pœnæ infligendæ in veneni indolem ac doſin inquirendum, & remedia, contra illud a Medico adhibita ad examen vocanda, in conſtituendis vero pœnis non ad effectum a veneno ortum, ſed ad illius, qui venenum propinavit, animum reſpiciendum eſſe arbitratur. Venimus ad *tertium* de venenis ſterilitatem inducentibus *Librum*. Poſt brevem de generationis ratione, utriusque ſexus genitalibus, coituque fœcundo vel infœcundo, diſceptationem, (ubi velut in tranſitu notamus, quod, ſi, pene intra vaginam recepto, ſemen in arvum muliebre non immittatur, conceptionem fieri non poſſe exiſtimet Cl. Autor, ſecus, ac tot obſervationes certæ atque indubiæ

Margin: §. 31-35. 36, 37, 38. 39. 40, 41. 42. 43. 44. 45, 46. 47. 48. 49. 50. 51. LIB. III.

§. 9. biæ ſatis evicerunt,) venena ſterilitatem inducere, vel ſeminis
ſecretionem impediendo, vel ſecretum corrumpendo, vel ob-
10. ſtructis viis partes ſolidas exſiccando, aut penitus occludendo,
vel erodendo, oſtendit. Quapropter non ſpecifica quadam &
innata virtute ſuccos & organa genitalia reſpiciunt, ſed præci-
pua eorum ratio, a modo, quo applicantur, & organorum, qui-
buscum communicantur, diſpoſitione, poſita eſſe videtur, & u-
nius ejusdemque eadem methodo adhibiti veneni pro varia
ſuccorum & organorum, in quæ & per quæ agunt, conditio-
ne effectus admodum mutetur, & in alio fœcunditatis, in alio
ſterilitatis cauſa exiſtat. Multo minus certa proſtant venena,
quæ in viris tantum partes genitales corrumpant, illæſis fœmi-
nis, quoniam pro utriusque vel ſimili vel diverſa conſtitutio-
11. ne vel idem in iis erit veneni effectus, vel diverſus. Ipſa ve-
ro in mediata & immediata, item vel conceptionem impedien-
tia, vel jam factam deſtruentia, ſive abortiva, nec minus in ſu-
13. perſtitioſa, anilia & fabuloſa, & in vera dividuntur. Inter anilia
primum velut locum tenet recens nuptorum ligatura, quæ
non niſi pertinacis credulitate plebis, aut dyſcraſia melancho-
lica, & hinc orta imaginatione forti, vel ſuperſtitione ſponſi,
14, 15. nititur. Vera autem ſi adeſt impotentia maris, ea veneris
uſui debetur, diutius, vel plane, intermiſſo, meditationibus ni-
miis, odio, præmaturæ & nimiæ veneri, vel vitio etiam, ex im-
16, 17. puro coitu contracto. In fœminis ſterilitatem inducunt va-
18. ria genitalium internorum & externorum vitia, quorſum ta-
men menſium defectus ex *Hippocratis* mente non pertinet.
20. Ejusdem poſtea *Hippocratis* opinionem, qua ſterilitatem
in Scytharum gente, maſculis familiarem, a nimia equi-
tatione & venarum pone aures ſitarum ſectione derivat, Cl.
Autor diſcutit, eamque potius ab intempeſtive culta & nimia
21. venere repetendam putat. Sic & in illos invehitur, qui
Lœwenhœckii ſententia decepti, anthelmintica fœcunditati ini-
22. mica eſſe pronuntiant. Inter venena, de quibus hic agitur,
23. perperam & injuria numerantur radices epimedii & filicis a
24. *Dioſcoride* & *Plinio*, herba menthæ, nec rationem proverbii,
quo belli tempore mentham edere vel plantare vetamur, in
hac

Digitized by Google

hac facultate veteribus credita, ſed potius in nimio ſale acri volatili, corpora continuo belli tumultu delaſſata nimium reſolvente, quærendam eſſe, ſibi perſuadet Autor; ruta nymphæa, §. 25.
lactuca, portulaca, plantago, agnus caſtus, camphora, 26.
ſalix. Quæ omnia forſan in uno ſterilitatem induxerunt; uni- 27, 28.
verſim vero hanc virtutem non exercent. Major haud du- 29.
bie facultas eſt in ſaturni ſaccharo & gypſo, interne externe- 31.
que adhibitis, itemque in ſucci cicutæ uſu externo. Neque 32.
enim probabile videtur, ſine ſanitatis offenſione interne illum propinari. Male etiam audiunt, ſed ſine culpa ſua, potus coffee, & periclymenon peſatites, borrax, crocus, ſemen can- 33, 34.
nabis, cynoſorchis, aliaque anilia & ſuperſtitioſa remedia plura. 35, 36.
Ex altera claſſe venena abortiva vel ſuccum nutritium ſubtra- 37, 38.
hunt, vel ſpaſmos uteri movent. Ad illa pertinent largior & crebrior venæſectio, item remedia purgantia & vomitoria fortiora, frequentiorem in uſum vocata. Ex his noſtro ævo 40.
crebrius uſurpatur ſabina, item ſapo niger, & ſpiritus urinoſus, apud veteres cyclaminis radix, ſuccus cedri, epimedium, chryſocolla, & mercurius crudus. *Dioſcorides* quoque com- 41.
memorat, ſi vitibus coaleſcant helleborus, ficus agreſtis, aut ſcammonium, uvas horum vim ſuſcipere, embryonibus inimicam. Pœnam ordinariam homicidii in his veneficiis locum 43.
non habere poſſe, propterea putat, quod demonſtrari vix ac ne vix quidem queat, præſentem ſterilitatem propinato veneno deberi. Ubi autem de eo certo conſtat, atque totius ſimul corporis integritatem labefactatam, & lentam mortem introductam eſſe, liquet, utique homicidii pœna convenit. Multo autem magis capitis ſupplicium in eos conſtituetur, qui abortum nefanda arte concitarunt.

GNOMONICA FUNDAMENTALIS ET MECHAnica, worinnen gewieſen wird, ꝛc.

h. e.


IN QUA DOCETUR, QUO PACTO SCIATHErica varii generis, inprimis novum quoddam univerſale, delineare ac conſtruere liceat; Autore JO. FRID. PENTHERO, Conſiliario Cameræ Comitis de Stolberg.

D Augu-

Auguſtæ Vindelicorum, apud Jerem. Wolff, 1734, fol.
Plag. 13, cum Tabb. major. 15.

Recenſuimus nuper *Tom. X Supplem. ad Acta* noſtra *pag. 226* & laudavimus Nobiliſſ. *Pentheri Praxin Geometriæ.* Nunc ſimili methodo ac diligentia elaboratam *Gnomonicam* in lucem edidit. Succincte & luculenter in hoc Opere exponuntur res præcipuæ ad artem Gnomonicam pertinentes; totusque Tractatus diviſus eſt in *Capita octo.* Quorum *primum* de terminis quibusdam ac problematibus agit Geometricis; *alterum* de origine ſciathericorum, & poſitione indicis; *tertium* de conſtructione ſciathericorum regularium, in quorum uno etiam particulæ horarum ſexageſimæ deſignatæ ſunt; *quartum* de methodo quadam mechanica, ſuperficiebus quibusque mobilibus, ſive planis, ſive inæqualibus, ſciatherica facili ratione inſcribendi; *quintum* de zodiaco & horologio novo univerſali, quod non ſolum ſine ope magnetis, & ſine cognita poli elevatione, rite conſtitui poteſt, ſed ipſum etiam inſervit ad inveniendam lineam meridianam, declinationem magnetis, elevationem poli, & ad alia de hoc genere; *ſextum* de inſcribendis ſciathericis in ſuperficies immobiles; *ſeptimum* de ſciathericis declinantibus, itemque inclinatis & reclinatis; *octavum* de quibusdam inſtrumentis, ad delineanda ſciatherica omnis generis in ſuperficiebus, ſive æqualibus, ſive inæqualibus, opportunis. Horologium novum univerſale, cujus omnes partes Autor Capite quinto quam accuratiſſime deſcribit, a nobis
TAB. I. Tab. I exhibetur; nihilque aliud eſt, quam horologium æquinoctiale, utrique lateri diſci E more conſueto inſcriptum, Tabulæque planæ quadratæ, ope perpendiculi G & cochlearum I, K, L, in ſitu horizontali figendæ, inſiſtens, denique circa clavum R mobile, atque interventu bracchii & quadrantis deſignati, ad quamlibet poli elevationem attollendum. Ex centro diſci E deſcripti ſunt plures circuli, longitudinem umbræ determinantes, quam index, plerisque, vel præcipuis certe, anni diebus, vel majorem, vel minorem projicit, pro majore, vel minore ſolis declinatione. Ampliores circuli,

TAB. I ad Supplem. Nov. Act. Erud. T. I



Digitized by Google

Digitized by Google

culi, quos diſcus non capit, delineati ſunt in margine ſemicirculari D, cujus latitudo longitudini ſtyli, ſive indicis, reſpondet. Hos ipſos vero circulos, ex cognita ſolis declinatione & longitudine ſtili, non eſt arduum definire. Poſtremo circa diſcum horizontalem mobilem, cui machina affixa conſpicitur, ducti ſunt in Tabula quadrata circuli, decenter diviſi, ad lineam meridianam & declinationem magnetis indicandam. Quod ſi igitur nota fuerit poli altitudo, attollendum eſt horologium, ope quadrantis, ad gradum convenientem, ac deinde circa R eousque revolvendum, donec umbra ſtyli circulum attingat, ad datum diem pertinentem. Sin minus de elevatione poli conſtiterit, non modo circa R circumagendum, ſed & magis vel minus, ope brachii & quadrantis, attollendum horologium eſt, donec umbra & attingat circulum congruum, & ab eo etiam ſequentibus ejusdem diei horis nihil recedat. Atque hæc ad totam machinationem intelligendam ac dijudicandam omnino ſufficere arbitramur.

Das groſſe Sühn- und Sünd-Opfer des groſſen Verſöhn-Tages, ꝛc.

h. e.

MAGNUM PIACULARE, IDEMQUE PRO peccatis ſolenni expiationis die oblatum ſacrificium, tanquam perſpicuus paſſionis, mortis ac reſurrectionis Chriſti typus, ex S. Scriptura & Judaicis Antiquitatibus cum cura fuſe lateque illuſtratum a D. BERNHARDO WALTHERO MARPERGERO, in Aula Reg. Elector. Saxonica Sacrorum Antiſtite Primario, Conſil. Eccleſ. & Supremi Conſiſt. Aſſeſſore.

Norimbergæ, apud Jo. Frid. Rüdigerum, 1733, 8. Alph. 3.

Religio Veteris Teſtamenti divinitus patefacta, Patriarchalis atque Moſaica, ab ea, quam Servator ſuis præſcripſit a-

micis, ſanctiori diſciplina, ſi rem ipſam bene putes, nulla in re diverſa & ſejuncta fuit. Illa enim ſuos erudiebat cultores, quemadmodum ſub arcanis typorum umbris ſalutem a Domino per ſanguinem Novi, ejusdemque æterni, Teſtamenti mortalibus lapſis acquirendam fide præcipere deberent: hæc vero ipſa ſacroſancta exhibet Ἀντίτυπα. Quæ cum ita ſint, ex luce, hoc eſt, ex complementis, in divinis Novi Fœderis Pandectis declaratis, figurarum tenebras disjiciendas eſſe, res ipſa loquitur. Sicut enim antiqui typi Meſſiani, qui hoc eximium reapſe nomen promerebantur, a Spiritu S. originem ducebant; ita eorum declarationem veram, divinam, ſolidam, ac nervo demonſtrandi Theologico valentem, nemo, præter Scriptores Novi Teſtamenti, utpote quos idem Dei Spiritus egit, interpretibus ſacrarum literarum ſuppeditare poteſt. Ut adeo Novum Teſtamentum in Veteri latere, Vetus autem ex Novo patere Deus voluerit, inſpiratique hujus conditores divini illius interpretes jure meritoque cenſeantur. Cum ſeverior τῶν Τύπων ac τῶν Ἀντιτύπων meditatio & conſideratio extra omnem dubitationem hæc collocat ſcita: tum *Petrus* atque *Paulus*, divinitus eruditi Duumviri, eandem in Typis V. F. enodandis normam ac præſcriptionem ante oculos poſitam nos jubent habere, *2. Petr. I, 20, 21, Hebr. IX, 8.* Quo majorem vituperationem illi non immerito incurrunt interpretes, qui ingenio ſuo, in declarandis figuris, a Deo indultis, luxurianti, indulgent, & venam ejus fœcundam ducem atque magiſtram ſequuntur. Contra vero ea, qui S. Spiritum unicum & typicarum & Anti-typicarum veritatum autorem, eundemque omnis erroris expertem, in evolvendis, qui complicati ſunt, typis, omni, qua fas eſt, accuratione ſequi muneris ſui eſſe exiſtimant, illi demum de ſacra Chriſti civitate præclare inſigniterque merentur. Ex his, qui pauci ſunt, unus eſt, idemque facile princeps, ſummus hodie Sacrorum Saxonicorum Præſul, *Marpergerus*, magnum nomen, cui omnino aſſurgendum. Argumento nobis ſunt bina elaboratiſſima ſcripta, quæ in *Actis A. 1732 Menſe Junio p. 283 & 287* recenſuimus. Teſtem hanc etiam excitamus, cujus in præſentia

tia inſcriptionem præmiſimus, Commentationem. Nos quidem breviter, ſed enodatius, illi vacabimus enarrandæ, quo & omnes æqui peritique eruditionis Theologicæ æſtimatores, in quonam cardo rerum, a Summe Venerando Antiſtite propoſitarum, vertatur, ſine negotio intelligant, & ii, quotquot maximum limato judicio pretium ſtatuunt, oraculorum divinorum enarratores, eximium prorſus & in illuſtri poſitum loco habeant, quod imitentur, exemplum. Principia Vir poſuit magnus clariſſima Sacri Codicis enuntiata: cum his compoſuit, Critica arte in auxilium vocata, puriores Hebræorum, & veterum & recentiorum, antiquitates: atque his ipſis inſtructus præſidiis, multa, quæ adhuc prætererunt alios, in ſacro Judæorum Piaculari erudite obſervavit.

Poſtquam in præmiſſa lectu digniſſima *Præfatione* plurima de uſu typorum V. T. dogmatico, atque ad res N. F. arcanas velut in tabula repræſentandas idoneo, tum vero etiam de Ἀντιτύπων neceſſaria, qua typos vincunt omnes, eminentia ſuum haud ſegniter declaravit judicium; ad ipſam convertit ſe, miſſis ambagibus, pertractationem, quæ *tribus* abſolvitur *Libris*. Horum unusquisque variis *Meditationibus* diſtinctus eſt, quas *Obſervationes* ſingulis ſubjectæ, & literatiſſimæ, & ad animos lectorum ſalutariter emendandos accommodatæ, copioſius illuminant corroborantque. *Liber primus de magno ſolennis expiationis diei piaculari ſacrificio generatim* agit, & *octo* ſuo complectitur ambitu *Meditationes*, quarum *prima de Sacrificiis magni expiationum diei in univerſum omnibus* inſcripta eſt. Quo quidem loco *numerus* ac *delectus* eorum, *diviſio* item *mactatarum victimarum*, exque his *maxima*, exponitur. His declaratis, *ſacrificia Pontificis M.* commemorantur, &, *prærogativa ſacrificiorum pro peccatis oblatorum* explanata, *ſummum* ex his definitur, atque luculenter oſtenditur, *ſolennem expiationis diem* & *mactationis* & *mortis diem* re vera fuiſſe. Præter hæc, *quid populus Iſraeliticus ea de re cognoverit*, *quamque res Novi Teſtamenti arcana his typicis lucem præbeant ſacrificiis*, inquiritur. Inprimis *dies expiationis Novi Teſtamenti* con- Pag. 1-23.

 fer-

fertur, *Chriſti holocauſtum ac hoſtia pro peccatis oblata* e-
nucleatur, atque *omnium ſacrificiorum ἀντίτυπον, excepta co-
lumba, crebriorque ſanguinis ac mortis agni delineatio*, ex
interioribus typicæ & anti-typicæ Theologiæ adytis deſcri-
bitur. Poſtremo loco *numerus ſacrificiorum*, *memoriæ ju-
vandæ gratia, pie eruditeque computatur*, &, *unum* atque *o-
mnia in Jeſu* nos habere, demum concluditur. Hac finita
conſideratione, conſequuntur *Obſervationes*, quibus nihil eſt
Pag. 23 - 62. aut eruditius, aut nervoſius enucleatiusque. *Meditatio alte-*
63 - 78. *ra* evolvit, *qua ratione magnum piaculare ſacrum magni
expiationum diei nominatum ſit.* Duo nimirum nomina
ab ipſo Deo retulit: unum חטאה vel חטאת, quo *pecca-
ti* execrandi ac deteſtabilis *culpa*, & ſimul *Chriſti*, veri Ex-
piatoris, neceſſitas deſignabatur. Alterum, חטאת הכפורים
Num. XXIX, 11, Exod XXX, 10, eo quod totius rei divinæ,
quam Pontifex M. ſolenni expiationum die faciebat, prora
& puppis criminum populi erat piamen. Nec minus hac
appellatione ad Chriſti ſanguinem ac mortem, noſtræ *re-
demtionis* atque *expiationis* cauſam & autorem, reſpicieba-
tur; quandoquidem ille, ut *Sacrificium*, nos redemit, &, tan-
quam *Summus Pontifex*, nos expiavit. Ceterum occaſione
magni piacularis ſacrificii nomen *Jeſu* contemplandum pro-
78 - 109. ponitur, & *Obſervationes* annectuntur. *Meditatio tertia* cau-
ſas, *cur Deus ad magnum piaculare ſacrificium animalia*
109 - 161. *delegerit*, ejusmodi adducit, quæ rectæ defecatæque rationi
cummaxime probantur. *Meditatio quarta*, *quas ob cauſas
idem piaculare ſacrum ex hœdis conſtiterit*, additis *Obſerva-*
161 - 162. *tionibus*, demonſtrat. *Meditatio quinta* declarat, *quam ob
rem ad unicum magnum piaculare ſacrificium binæ victi-*
162 - 310. *mæ requiſitæ fuerint.* Cum hac *ſexta* ſocianda *Meditatio*,
*in qua, binas illas magni expiationum diei victimas uni-
cum Chriſti ſacrificiorum piaculare, idemque pro peccato ob-
latum, ſignificaſſe*, ex *Hebr. XIII, 10, 11, 12, 13*, oſtenditur. *Me-*
310 - 370. *ditatio ſeptima* eas res enodat circumſtantes, *in quibus duas
victimas magni piacularis ſacrificii, divino juſſu, inter ſe*
371 - 388. *æquales eſſe oportuit*; atque *octava*, eademque ultima, *Me-
dita-*

ditatio haud obſcure declarat, *qua ratione binæ magni piacularis ſacri victimæ, divina quidem voluntate conſilioque, ſejunctæ ſeparataque* fuerint. Obſervationes illuc pertinen- Pag. 389 -
tes, quæ egregium excellentioris doctrinæ ſacræ apparatum 416.
continent, hunc finiunt librum.

Alter, qui nos jam vocat ad ſe, *Liber de victima magni piacuris Sacrificii moriente ſpeciatim* exponit, ac totidem, quot primus, comprehendit *Meditationes.* Harum *prima de ſorte,* 417 - 441.
quæ in morientem piacularem cecidit victimam, inſcribitur. Hujus ἐπιγραφὴ erat ליהוה, id eſt, *Jehovæ!* quæ indicio erat, victimam ad Jehovam placandum, ad culpas ac pœnas criminum expiandas, & ad λύτρον ei ſolvendum, morituram.
Ad hanc inſcriptionem *Pſ. XVI, 2*, reſpicitur, certe hic 425 ſeq.
locus, ex orationis cohærentia, & hujus luce antiquitatis, illuſtratur. Cum quo & *ſors Jonæ* componitur *Cap. I, 7.* Sic 430 ſeq.
Dominus noſter *Jehovæ*, hoc eſt, ad *Jehovam* morte ſua placandum, mortuus eſt. Neque tamen cum hac pugnat veritate *Paulus*, divinus homo, *Rom. VI, 10*, ubi Chriſtum *peccato* 433 ſeq.
mortuum perhibet. Senſus enim eſt: Chriſtus, ut verum pro omnium peccatis mortalium oblatum ſacrificium, eo mortem oppetiit conſilio, quo unica morte totam peccati vim enervaret. *Notæ* totum ita illuminant confirmantque ar- 441 - 459.
gumentum, nihil ut ipſis deſit ad perfectionem. *Meditatio* 459 - 501.
ſecunda manifeſtum reddit, *quo modo Aaron morientem victimam, ante mactationem, tanquam hoſtiam piacularem obtulerit*; *tertia*, *quam conſiderationem contemplationemque* 501 - 555.
moriens victima, dum mactaretur, promeruerit; *quarta*, 556 - 611.
qua ratione moriens victima mactata fuerit; *quinta de* 611 - 677.
ſanguine morientis victimæ profuſo agit. *Sexta rationem* 677 - 735.
adipis mactatæ piacularis victimæ, in ara incenſi, declarat.
Septima monſtrat, *quo pacto mactata magna piacularis vi-* 735 - 796.
ctima educta & cremata ſit. *Octava* denique, & ea poſtre- 797 - 846.
ma, *Meditatio additamentum magni piacularis ſacrificii, tanquam* tertiam victimam, illuſtrat.

Tertius Liber de viva victima magni piacularis ſacrificii ſpeciatim inſcriptus eſt, & *quinque* continet *Meditationes*,

eas-

Digitized by Google

easdemque omnes, ſicut ceteras antecedentes, diligenter elabo-
Pag. 847 - ratas & tanquam elucubratas. *Prima de ſorte, quæ in vi-*
885. *vam magni piacularis ſacri victimam cecidit*, accurate ex-
ponit. Erat illa hac ſignata inſcriptione : לעזאזל, hoc
eſt, *gregi*, nimirum *ſuo viva reddenda eſt victima.* Quæ ex-
poſitio, quam haud ſit præſidio nuda, in *Notis* enucleatur. *Al-*
tera, qua ratione viva victima iterum Domino fuerit obla-
885 - 927. *ta*, explorat. *Tertia de manuum impoſitione & confeſſione*
peccatorum, ſupra vivam piacularem victimam facta, diſſe-
928 - 969. rit. *Quarta eductionem vivæ piacularis victimæ extra*
969 - 1004. *Iſraelis caſtra; quinta*, & omnium ultima, *Meditatio exitum*
1004 - 1072. *vivæ piacularis victimæ, per mortem ad vitam, ad gregem ſu-*
um, ante oculos lectorum ponit. De hoc ἔξοδῳ *Moſes* & *Elias*
locuti ſunt, *Luc. IX, 29 ſeq.* vid. *Luc. XVI, 21, 22.* In hoc victimæ
exitu Chriſtus, partim ut is, qui *tulit*, partim tanquam ille, qui
ſuſtulit peccata, repræſentatur. Hircus hic emiſſarius, antequam
ad gregem emitteretur, *ad locum judicii*, ſeu *ultimi ſupplicii*,
educebatur. In hunc & Servator ductus fuit, cum in monte
Golgotha pateretur, *Jeſ. LIII, 8.* Quod victima ad locum
ſupplicii educta quidem, ſed non occiſa, verum viva potius re-
licta fuit, iſtud inprimis reſurrectionis Domini, e morte ad vi-
tam redituri, umbram fidelibus V. T. præbuit. Vir, qui e-
duxerat hircum, e manu ipſum ſua & poteſtate dimittere
cogebatur. Sic *Pilatus* Dominum noſtrum *Joſepho* tradidit
Arimatheenſi. Cum vero poſtea Judæorum proceres mor-
tuum Servatorem ſuæ rurſus aſſererent poteſtati, *Pilatus*, ut
iterum ex ſua ipſum manu dimitteret, ſeſe videbat coactum.
Tunc ſibi, id quod & hirco evenerat emiſſario, *funes mor-*
tis ſolvit, *Luc. XXIV, 12.* Quin & Pater cœleſtis dolores ac
funes mortis ſolviſſe legitur *Act. II, 24, Jeſ. LIII, 8.* Viva
victima, a morte liberata, ad ſuum properabat gregem, *Levit.*
XXVI, 22. Conſimili ratione in vitam revocatus Servator ad
amicos ſuos rediit, neque in terris ſolum cum iis adhuc verſatus
eſt, verum etiam cum ipſis ad orbis uſque interitum ſeſe com-
moraturum promiſit in ſeque recepit *Matth. XXVIII, 20,*
Eph. IV, 10, I, 20 - 23. Omnibus explanatis, tres ſubjiciun-
tur

Digitized by Google

tur Indices, quorum primus ſumma omnium Meditationum capita, alter locos S. Scripturæ enodatos, ac tertius denique res potiores in medium prolatas, ante oculos erudito pioque proponit lectori. Pag. 1073 ſeq.

Non dubitamus, quin hæc brevis & conciſa elaboratiſſimi Voluminis adumbratio, iis omnibus, quotquot Theologiæ typico-antitypicæ juſtum didicerunt pretium ſtatuere, ſalivam motura, & ad illud legendum relegendumque ipſos excitatura ſit. Si enim unquam, in hoc certe Opere, Venerabilis Autor haud parum luculenter declaravit, quam ſit ipſe δυνατὸς ἐν ταῖς Γραφαῖς; quandoquidem, qua ratione erudite, & cum cultiſſimo judicio, in ſingulis Sacroſanctæ Theologiæ partibus verſandum ſit, præclaro ſuo nos hic erudivit exemplo. Primum Theologia Dogmatico-Elenctica hinc capit robur, dum totius, & veteris & novæ, œconomiæ Evangelii nervus ac nucleus ex præcipuis utriusque Teſtamenti oraculis exhibetur. Ex horum autem omnium dextra eruditaque explanatione, quomodo Acroamatica Hermeneutica ſacra comparata eſſe debeat, nemini non perſpicere licebit. Non enim *ingenioſæ Meditationes, meræ*, ut ita dicamus, *poſſibilitates, conjecturæ* ac *divinationes*, quas haruſpices exegetici in deliciis habent hodie, ſed *veræ, ſolidisque* ac *validiſſimis rationibus circumvallatæ, interpretationes*, in hac leguntur Commentatione. Id quod quam vere a nobis dictum ſit, ii demum, qui univerſam cujusque libri connexionem ac vinculum cum cura ac meditatione ponderabunt, ſagaciſſime odorabuntur. Deinde Theologia etiam Practica, quam & Moralem dicunt, atque Paracletica, inde firmatur, eo quod ex dogmatibus typico-antitypicis conſectaria moralia & conſolatoria facile expediteque ducuntur. Cumque adeo hæc, id quod poſtremo commonendum loco, non ſolum ex veriſſimis poſitis principiis conſequantur, ſed dogmata etiam perſpicue, moralia vero præcepta & ſolatia Chriſtiana, tanta dicendi efficacitate propoſita ſint, nihil ut ſupra eſſe poſſit; Homiletica quoque Theologia viribus ac nervis aucta & locupletata prodit in lucem. In votis habemus, ut hanc conſummatam, ponde-

E roſam

Digitized by Google

roſam ac nervoſam Theologiam omnes, qui hiſce ſacris ſuas devoverunt vigilias, diligenter ſtudioſeque imitentur.

Neue Erkläͤhrung des Buchs Hiob, ꝛc.

h. e.

JO. ADOLPH. HOFFMANNI NOVA EXPOSITIO Jobi, in qua, poſt exhibitam hujus libri Verſionem Germanicam, ad ipſos fontes revocatam, idem ex Antiquitatis & Philoſophiæ Orientalis præſidiis illuſtratur, ac ubique in eodem recondita ſapientia eruitur; nunc poſt Autoris B. mortem, cum adjuncta paraphraſi, & Prolegomenis de Jobi perſona, libro, ejusque Commentatoribus, edita.

Hamburgi, ſumtibus T. C. Felgineri viduæ, 1734, 4.
Alph. 6 pl. $5\frac{1}{2}$.

Prolixior, quem adduximus, libri titulus unum tantum *Hoffmanni* nomen in fronte gerit. Cum autem in eodem hoc Volumine bini Autores exhibeantur, de quorum laboribus ambiguum, uter ad *Jobum* illuſtrandum plus contulerit: ac nobis etiam in hoc noſtro recenſu de utroque ex æquo dicendum ſit; non poſſumus, quin alterius etiam Autoris nomen mox afferamus, quod ipſe quidem in Dedicatione, qua librum Magnifico urbis Hamburgenſis Conſuli, h. t. Præſidi, *Rutgero Rulando*, J. U. D. inſcripſit, ſemel duntaxat expreſſit. Eſt is *Herm. Sam. Reimarus*, cujus nomen ex editis aliis egregiis ſpeciminibus dudum erudito orbi innotuit. Ut igitur ſuſpenſa quadam a nobis hedera haud indiget; ita tamen ex nuda hac, & citra omne laudis præconium compoſita, præſentis libri recenſione ſatis elucebit, quam exiſtimatio illa, a Cl. *Reimaro* huc uſque parta, exantlato hoc novo labore inſigniter aucta ſit, & quam egregie ſparta docendi publice Linguas Orientis, poſt munera alibi geſta, inter cives ipſi tradita, ab eodem ornetur.

Ho-

Digitized by Google

Horum, quos nominavimus, Autorum operam in elucubrando integro hoc libro fuiſſe junctam, huc uſque dictum eſt; ſed &, quomodo illud factum, & quid cuique tribuendum, paulo arctius preſſiusque determinandum venit. De hoc autem negotio ex indicio, quod Cl. *Reimarus* in Præfatione ſua de eodem fecit, ſatis curate nobis conſtare poteſt. Quas B. *Hoffmannus*, ante biennium d. 17 Nov. A. 1731 morte præmatura nobis ereptus, in *Jobum* reliquit, Commentationes, ſic ſatis quidem elaboratæ & ad prelum paratæ, nova hujus libri canonici Verſione Germanica, juxta fontium integritatem adornata, & exegeſi paulo uberiori, qua verſionis illius potiſſimum rationem reddere conatus eſt, abſolvebantur. Quicquid præterea huic Volumini acceſſit, id omne curæ atque labori Cl. *Reimari* debetur. In his autem ſunt, quæ ſeorſim adjuncta, tum quoque, quæ *Hoffmanniano* labori paſſim ſubindeque interſperſa ſunt. Prioris generis, præter Dedicationem & Præfationem jam dictam, cenſemus Prolegomena paulo prolixiora, in quibus de *Jobi* perſona, itemque libro, & in eundem Commentatoribus, per diſtincta Capita diſſeritur. In his enim nihil *Hoffmannianæ* operæ deprehenditur. Nam, licet is in elucidationibus ſuis aliquoties mentionem injiciat vitæ *Jobeæ*, in qua de hiſtoricis quibusdam capitibus uberius dicturus ſit, morte tamen præventus videtur, quo minus hanc telam perficere potuerit: ut adeo integrum hoc, in quo deſudaret, argumentum Cl. *Reimaro* relictum ſit. Ad Acceſſiones *Reimarianas*, paſſim interſperſas, ipſo in Præfatione nos condocente, plura referre debemus. Subinde enim Capita in Sectiones diſtinxit, quibus & ſummaria, quæ dicuntur, addidit; chartas deinde, B. *Hoffmanni* manu exaratas, haud ubique digeſtas, nec ſatis etiam cohærentes, melius diſpoſuit, & in ordinem redegit; in quo negotio ut omnibus de fide, qua in eo uſus eſt, conſtare poſſit, ipſum *Hoffmanni* avtographum MStum, poſtquam prelo evaſit, publicæ Hamburgenſium Bibliothecæ dedit ſervandum. Sed inter cetera præcipuum momentum trahit Paraphraſis, quam Cl. *Reimarus* adjecit novam, ac demonſtratione exegetica prorſus egregia communi-

Digitized by Google

vit. Qua ratione ad illam conficiendam adductus ſit, & quem in ea modum tenuerit, ac quomodo illam diſtinctis typorum characteribus exprimi curarit, ipſe plenius commemorat, ut librum evolventes *Reimariana* ab *Hoffmannianis* ſine magno negotio poſſint diſtinguere. Cum in ipſa hac Paraphraſi & ejusdem exegeſi multum ſæpe inter ſententias *Hoffmannianas* & *Reimarianas* diſtet; in ſubjiciendo mox brevi recenſu aliquot ſpecimina afferre licebit, ex quibus, utra ſententia alteri ſit præferenda, cuilibet colligere pronum erit. Poſtquam huc uſque generaliorem præſentis libri notitiam ſuppeditavimus, nunc ad ſpecialiora nobis deſcendendum eſt, quorum inſignem proventum utriusque Autoris opera nobis ſufficit. Ac, dum nobis limites, quibus recenſionis noſtræ inſtitutum circumſcriptum eſt, reſpiciendi ſunt, non poteſt non eorundem delectus nobis quodammodo negotium faceſſere. Sed agedum, Cl. *Reimari* Prolegomena, quæ primo loco occurrunt, primum etiam percurramus. Quæ in his de Vita & Libro *Jobi* differuntur per *IX* diſtincta *Capita*, ſatis quidem prolixa videri poſſint, ſed intuitu prolixiorum de hoc argumento Commentariorum *Spanhemii*, *Serpilii*, aliorumque plurium, quos ſuo loco commemorat Noſter, ſaltem compendii inſtar haberi debebunt, in quod ampliores illos labores jam miſſos habemus; ita quidem, ut ſua etiam ſententia nonnunquam Autorem noſtrum ſtare deprehendamus, ſicubi eandem aliorum opinationibus præferendam eſſe putavit. *Cap. I* igitur mox diſquiritur, *an unquam Jobus quidam re vera extiterit?* Idque ubi argumentis, tum libro *Jobeo* inſitis, tum aliunde petitis, affirmatur, de iis etiam, qui illud negare, aut in dubium vocare dicuntur, id Autor noſter contendit, numerum illorum longe minorem eſſe, ac vulgo perſuaſum habeatur. Anabaptiſtas enim, quos in hujus rei ſuſpicionem quondam adduxit *Sixtus Senenſis*, ex hoc cenſu eximendos eſſe, cum *Voetio* atque *Carpzovio* ſtatuit: *Hobbeſii* autem, *Spinozæ*, atque *Clerici* opiniones in eo minus recte capi exiſtimat, quod ab iis non tam *Jóbi* exiſtentia,

quam

quam potius ſermonum inter *Jobum* & amicos reciprocatorum veritas, indeque demum canonica libri autoritas, in diſcrimen adducatur. *Cap. II de ortu & genere Jobi; Cap. III de patria; Cap. IV de ætate, in qua Jobus vixerit*, ubi Noſter diſſerit, in patentiſſimum diverſarum & inter ſe pugnantium ſententiarum campum, ac velut in gurgitem, abreptum offendimus. Ut vero inde eluctetur, mox inſidum illud præſidium, quod a lacinia, quæ LXXvirali verſioni citra omnem fontis Hebræi fidem circa finem libri *Jobi* aſſuta eſt, petitur, idoneis argumentis deſtruit: diſpulſis autem, quæ inde, vel aliunde etiam, naſcuntur, opinationibus variorum, *de ortu & genere Jobi* conſtituit, illud a *Nachore*, fratre *Abrahami*, repetendum; *patriam*, terram Uz, ſive Auſitidem hodie, in Arabia deſerta, ubi Euphrati propior eſt, quærendam; tempus atque *ætatem Jobi* denique cum ſervitute Iſraelitarum Ægyptiaca paulo ante ævum *Moyſis* rectius fore conjungendam. Quæ omnia cum argumentis firmioribus & maximam veri ſpeciem habentibus comprobare nititur, egregium ſimul eorum compendium facit, quæ *Spanhemius* prolixiſſime alioquin in hanc rem diſputavit. *Cap. V* ad *Jobi vitæ curriculum* deſcribendum pergit Noſter. Ut multorum hic iterum interpretamenta, vel confictas etiam ſubinde fabulas, ad examen revocet, de præcipuis quibusdam capitibus, 1) nempe de dignitate *Jobi* regia, ſacerdotali item atque regia; 2) de uxore atque liberis; 3) de tentationibus variis, ac inprimis morbi genere; 4) de ipſius reſtitutione; 5) de vitæ longævitate; 6) de morte, ſepulchro, reſurrectione, atque religioſo etiam poſt mortem cultu, ſeorſim ſibi tractandum ſumit. Speciminis loco ex his omnibus de *morbo Jobi* id notare liceat, cum ſaniores Medici, & ex his recentiores, *Wedelius* atque *Scheuchzerus*, illud morbi genus haud aliter determinare auſi ſint, quam ut θεῖον aliquod in eodem agnoſcerent, haud tamen defuiſſe, qui illum *Jobi* morbum luem veneream interpretari maluerint, quod poſt alios, quos *Bælius* in Lexico more ſuo commemorat, inter recentiores cummaxime *Calmetus* fecerit. Attamen hanc minus verecundam ſententiam, præter-

quam quod utriusque morbi phænomena peritiores Medici haud invicem conciliare norint, vel ex eo etiam redarguit Cl. *Reimarus*, quod amici inter objectas criminationes ceteras impuritatis labem tamen *Jobo* exprobrare haud ſuſtinuerint, quod haud omiſſuri fuiſſent, ſiquidem, ejusdem reum fuiſſe, tum facili negotio cognoviſſent. Licet hinc etiam mos ille jam antiquior forte ſit, ut peculiaris eorum, qui lue venerea laborant, patronus *Jobus* habeatur, atque noſocomia, hujusmodi ægrotis deſtinata, quale & apud Hamburgenſes eſt, eidem utplurimum ſacra ſint, id tamen nec inde omni vitio carere, Noſter exiſtimat. *Cap. VI* porro *de ſapientia & virtute Jobi* præcipit, ubi ſyſtema Theologiæ æque ac Philoſophiæ *Jobeæ*, quod hic κατ' ἐπιτομὴν exhibetur, labore ſane haud parvo Autori conſtitiſſe oportet. Copioſus enim non minus, quam appoſitus, locorum delectus id ſatis comprobat, in quibus doctrinarum, theoreticarum æque, ac practicarum, ampliſſima habetur ſedes. *Cap. VII*, quod *de genere dictionis*, ſive *ſtilo Jobi*, inſcribitur, inter varias aliorum hypotheſes pro puriori Hebraiſmo, in fonte *Jobeo* ſibi deprehenſo, Cl. *Reimarus* contendit. Cumque alii Arabiſmos frequentiores, vel Chaldaiſmos etiam, atque Syriaſmos, hic arbitrentur in ſubſidium vocandos, cavendum putat, ne, quod dictioni & phraſeologicæ poeticæ tribuendum videatur, id in maculis habeatur: ac ſane, dum in aliis linguis æque ac Hebræa ſtilum poeticum cum proſaico pererudite confert, & utriusque maximum diſcrimen oſtendit, huic ſuæ ſententiæ tantam veri ſpeciem conciliat, ut validiſſimis argumentis inſtructum eſſe oporteat, qui eam audeat infringere. Neque dubitat tamen, in tanta ſtili difficultate, & monumentorum Hebraicorum inopia, ſicubi neceſſitas urgeat, opem peti ab Arabica, Chaldaica & Syriaca linguis poſſe & debere. In *Cap. VIII*, ubi *de Autore libri, argumento, ac reliquis*, curate diſquirit Noſter, ea ſententia eidem maxime probatur, quæ libri hujus conſignationem ſcriptori cuidam ex gente Hebræa, qui tempore *Davidis* vel *Salomonis* vixerit, tribuit. Aliorum autem hypotheſes, qui originem libri vel recentiorem, vel antiquiorem etiam, faciunt,

ac

ac vel omnino ad ipſum *Jobum* referunt, quibus difficultatibus premantur, ſummatim indicat; de ſua autem comprobat, quam bene illa cum divina & canonica libri autoritate ſtare queat. *Cap. IX* & ultimum *Scriptores, qui ad Jobum illuſtrandum aliquid contulerunt*, recenſet, ubi ampliſſimus & longe inſtructiſſimus literarius apparatus eſt, quem poſt alios, qui hujusmodi notitiam alibi dare inſtituerunt, Cl. *Reimarus* hoc loco recludit, quemque ordinis cauſa ſequentibus §§. diſtinxit, ut 1) Scriptores de vita & libro *Jobi*; 2) Commentarios Judæorum; 3) Catenas in *Jobum*; 4) Patres Syros & Græcos; 5) Patres Latinos; 6) Commentarios Scholaſticorum & Pontificiorum; 7) Commentarios Reformatorum; 8) Commentarios Lutheranorum; 9) Homilias in *Jobum*; 10) Metraphraſes ejusdem in varias linguas; 11) Obſervationes in ſelecta *Jobi* loca, hosque labores omnes huc uſque ad ordinem Alphabeti juxta Autorum nomina diſpoſitos, ac denique 12) Scriptores ad ſingula Capita vel commata, proferat; ita quidem, ut omnium pleniſſima hæc Bibliotheca literaria *Jobea* non multitudine tantum & copia præſtet, ſed & ordine bene diſpoſito ſe commendet. Diu nos detinuit Cl. *Reimarus* in ſuis Prolegomenis, quod tamen bona Lectorum noſtrorum venia factum eſſe confidimus, qui ex illis, quæ deguſtanda dedimus, ſpeciminibus de inſigni rerum, in iisdem contentarum, apparatu argumentum aliquod capient. Sed nec in ipſa Commentarii *Hoffmanniani* recenſione, ad quam nunc progredimur, iſtam *Reimari* operam, utpote eidem ſubinde junctam, prorſus indictam relinquere poterimus. Interpretationes enim *Hoffmanni*, quanta etiam illarum præſtantia ſit, tamen, eundem hominem fuiſſe, ſatis arguunt; atque adeo de geminato clarorum Interpretum labore illud jure dici poterit, oculos plus videre, quam oculum. Modeſtum, quod de tota hac cauſa in Præfamine ſuo facit Cl. *Reimarus*, judicium ita comparatum eſt, ut eorum omnium, quorum a præjudicatis opinionibus animus eſt vacuus, aſſenſum facile impetret. Is enim etſi ingenue fatetur, quid præclari in Commentationibus *Hoffmanni* deprehenderit, nec reticet tamen, quid

quid in iis deſiderandum ſit, & cur nonnunquam ab eo ſeceſſionem fecerit. Nos in proferendis aliquot exegematum *Hoffmannianorum* ſpeciminibus illud Cl. *Reimari* judicium ſequemur, ex quo de integro labore rectius deinde ſtatuere pronum erit. Inter ea, quæ ab *Hoffmanno* præclare dicta ſunt, cum Cl. *Reimaro* primum referimus, quod totius libri ſcopum primarium minime poſthabuerit. Ut enim is in eo poſitus eſt, quod Deus mala ſubinde evenire permittat, ut inde bonum aliquod eliciat, ac ad finem homini magis ſalutarem dirigat; ita & *Hoffmannus* ubique ad illum reſpicit, ut, uno alteroque documento id comprobari, omnino ſuperfluum ſit. Deinde & is conatus B. *Hoffmanni* omnimodum Cl. Editoris calculum fert, quando Philoſophiæ & ſcientiæ naturalis præſidia & inventa, ad exemplum Cl. Virorum, *Scheuchzeri* & *Nieuwentytii*, cum documentis hujus rei, in libro *Jobi* obviis, diligenter contendit, iisdemque lucem ſubinde majorem exinde conciliare nititur. Ut unum alterumque hujus rei exemplum afferamus, ad *Cap. VII, 6*, circulatio ſanguinis, quæ recentioris ævi inventis vulgo accenſeri ſolet, adducitur, &, quod ea *Jobo* forte haud ignota fuerit, in vitæ hujus fugacitate deſcribenda per accommodationem quandam haud intempeſtivam eum huc reſpexiſſe, *Hoffmannus* noſter conjecturam facit. Ad *Cap. IX, 5-9*, modo in terræ motuum, itemque fluxus & refluxus maris, phænomenis, modo in aſtrognoſias obſervationibus veterum atque recentiorum inter ſe comparatis, multum nec inaniter laborat, ut inde *Jobi* nonnullis locis facem præferat. Quæ eodem *Cap. IX, 26*, de navibus velocibus commemorantur, in contemplationem rei nauticæ veterum Noſtrum deducunt; qua & ita ferente occaſione cymbæ Charontis, Poetis cummaxime celebratæ, originem perquam ſane veriſimilem nobis inveniſſe ac detexiſſe creditur. Sed, ut complura hujus rei documenta mittamus, unicum tantum adhuc addere liceat, quod prorſus eximium eſt, de generatione hominis & formatione fœtus humani in utero, ad quam cum *Jobo Cap. X, 8 ſeq.* provolvitur. Hic igitur verba *v. 8*, ויעשוני ידיך עצבוני, h. e. *manus tuæ formarunt*

&

& perfecerunt me, item *v. 10*, הלא כחלב תתיכני וכגבנה תקפיאני: *Nonne ſicut lac mulſiſti vel profudiſti me*, *& ſicut caſeum me coagulaſti?* denique *v. 11*, עור ובשר תלבישני ובעצמות וגידים תשככני: *Cute & carne induiſti me*, *& oſſibus nervisque pertexuiſti*, cum optimorum recentiorumque Phyſicorum & Anatomicorum inventis, obſervationibus, experimentisque diligenter contendit, iisque ſic ſatis bene ac fere per omnia cum *Jobo* convenire, nec quidquam, vel pauca ſane, eſſe, in quibus recentiorum ſcientia in hac etiam parte *Jobeæ* præſtet, prolixe & admodum luculenter comprobat; id etiam cum maxime urget, quod cauſæ omnium primæ, a qua hoc, quicquid eſt, dependet, *Jobus* noſter, ut doctuli noſtri ſæpenumero faciunt, minime obliviſcatur, ſed ad Deum & omnipotentem ejus manum, tanquam ad vim vere protoplaſticam, cuncta referat: quo nomine & *Spinozæ* impietatem hic nervoſe perſtringit. Alterum genus argumentorum, in quibus explicandis B. *Hoffmanni* induſtria, ut Cl. Editori ſuo, ita & nobis, egregie ſe probavit, ad ipſa Theologiæ & fidei noſtræ ſanctiſſimæ præcipua capita relatum eſt. Nec immerito ea in B. *Hoffmanno* animi integritas bonorum omnium merebitur plauſum, quod morem plurium neotericorum, eorum præcipue, qui præter officii rationem in aliena ſacra involant, minime ſecutus ſit, ut, religionis cauſa poſthabita, & locis Scripturæ ſacræ, ſic ſatis claris, in ſenſum alienum contortis, præcipua fidei dogmata, velut ſubtractis ſuis fulcris, ſubrueret, ſed ab omni novaturiendi pruritu hac in parte longe alienus, in eo fere ubique præclaram operam poſuerit, ut vim & nervum probandi ex hujusmodi dictis clarius eliceret, atque per allatam explicationem iſta fidei capita magis magisque firmaret, & in aprico collocaret. Ex pluribus capitibus, circa quæ idem præſtiterit, Cl. Editor in Præfamine nominatim commemorat doctrinam de ordine ſalutis noſtræ per Redemptorem Jeſum Chriſtum, de pluralitate & trinitate perſonarum, de providentia divina, de animæ immortalitate & reſurrectione mortuorum; & demonſtrationem horum dogmatum cogno-

Digitized by Google

ſcendi cupidos ad *Cap. XIV* & *XIX*; atque allata ad eadem exegemata, ablegat. Cum in adducto *Cap. XIX*, ejusdemque *v. 25 ſeq.* teſtimonium *Jobi* pro reſurrectione mortuorum inter illuſtriora hujus cauſæ præſidia jure referendum ſit; multorum autem hypercriticorum effræna licentia illud dudum ſolicitarit, ut omnem ejus probandi nervum inciderent, & ſenſum ejus haud adeo difficilem ad alia quævis detorquerent, ut vel ex indicio Cl. *Reimari* in Prolegom. *Cap. IX §. 12* ſatis liquet; juvat ex hoc loco ſpecimen decerpere, quod unum inſtar omnium argumento ſit, quam in recto hujusmodi oraculorum divinorum ſenſu indagando retinendoque, atque in demonſtrandis inde cœleſtis doctrinæ veritatibus, ſolicitum ſe B. *Hoffmannus* geſſerit. Ut igitur *Hoffmannus* huic effato *Jobeo* rectum ſuum ſenſum vindicaret, ex eoque veritatem reſurrectionis mortuorum indubiam, & a *Jobo* aſſertam conſtabiliret, ſequentibus uſum rationibus notamus. Primum namque huic ſententiæ præſidium affert ex totius hujus orationis nexu & cohærentia, ubi 1) *Jobus* in hoc Capite ad ſingula ſibi objecta a *Bildado Cap. VIII* reſpondeat, eademque diluat. Cum vero is inter alia *v. 14 ſeq.* contendiſſet, omnem ſpem atque ſortem *Jobi* tanquam impii ita funditus radicitusque exciſum atque deletum iri, ut ne ulla ejus apud omnem poſteritatem memoria ſuperfutura ſit; *Jobum* huic non melius occurrere potuiſſe, quam ut illi ſpem ſuæ reſurrectionis & futuræ melioris vitæ obverteret; 2) quod *Jobus* ſpem quandam hujus vitæ reſiduam præ ſe tulerit nullam *Cap. XIX*, *10* & *20*, id quod nec in præcedentibus fecerit, ubi reſtitutionem in ſtatum priſtinum nunquam, ſæpius vero fati ſupremum diem, ſibi exoptaverit; 3) quod peculiari ac ἐμφατικοτέρῳ prologo quodam hoc ſuum nunc proferendum teſtimonium, tanquam confeſſionem, quæ altioris maximique momenti ſit, præmuniverit *v. 23 & 24*. Deinde nec minus ex ipſis hujus textus verbis urget, quæ eidem ſcopo inſerviunt. Mox enim

Digitized by Google

enim quadruplex fundamentum fiducialis notitiæ *Jobi* de tota hac cauſa evolvit, & latius deducit, quod ea nitatur 1) experientia interna אני ידעתי: 2) *Goelem*, ſive Redemptorem univerſalem, ſupponat; 3) eumque & ſibi ſpecialem Redemptorem fore: גאלי; 4) huncque redemptorem fore *viventem:* חי. Quæ ſequuntur verba, ex proniori Hebraiſmo ad ipſum illum porro Goelem refert, redditque: *Et ipſe poſtremus erit, qui ſuper & in pulvere ſtabit;* idque τὸ אחרון cum *Eſ. XLIV, 6*, comparat, ut divinis illud elogiis vindicet. In *v. 26* prius quoque hemiſtichium nondum ipſam reſurrectionem aut ejus ſtatum deſignare, ſed potius præcedancum totius carnis atque cutis interitum deſcribere, contendit, ut verba ſint reddenda: *& poſtquam illa*, ſcil. corruptionis ſemina, *cutem meam diſtrinxerint*, ſive, ut rotundius *Reimarus* in paraphraſi: *ubi poſt cutem meam hoc, quicquid eſt, conciderit.* Poſt hæc ergo, ubi & ſtatus tempusque præcedens curatius determinatum ſit, ſequi demum ipſius reſurrectionis, quoad actum & ſtatum, deſcriptionem, verbis: *tum ex & in carne mea videbo Deum; ipſum mihi*, ut fontem ſalutis, *contuebor; oculi mei adſpicient, & non alienum*, vel potius *non alienus.* Verba denique ultima: כלו כליותי בחקי *conſumuntur renes mei in ſinu meo*, ad intimum hujus rei deſiderium exprimendum comparata eſſe, adſtruitur. Ut huc uſque in ipſo textu ſatis præſidii pro ſuo ſcopo deprehendit Autor, ita & demum *v. 28 & 29*, qui illum ſequuntur, ita ſibi conciliat, ut cohortationem *Jobi* ad amicos id cummaxime continere evincat, ut illis certitudinem ſpei ſuæ denuo in memoriam revocet, eosdemque ita ſecum agere debere commonefaciat, quemadmodum ſibimet ipſis judicem haud immitem aliquando futurum exoptent. Atque hæc hactenus ſummatim de *Hoffmanni* expoſitione hujus oraculi pereleganti, quam ille pluribus eruditeque more ſuo exornavit & illuſtravit; in qua & Editorem ſuum, Cl. *Reimarum*, ſibi ſuffragantem habuit, qui eandem novis ſubinde, firmioribus, ex intimio-

Digitized by Google

ribus Philologiæ ſacræ receſſibus petitis, præſidiis communivit; idque etiam ſupra ad *Cap. XIV* circa idem argumentum fecerat, poſtquam in Obſervationibus ad *Cap. VII* jam vanam iſtam *Jo. Clerici* perſuaſionem, *Jobum* animarum immortalitatem ac reſurrectionem mortuorum vel ignoraſſe, vel prorſus negaſſe, contendentis, ex merito caſtigaverat, vanitatisque convicerat. Sed & ſupra jam aliquoties monitum eſt, non ubique inter ſententias B. *Hoffmanni* & Cl. *Reimari* convenire, ſed illum ab hoc ſuo Editore ita nonnunquam deſertum eſſe, ut is diverſam prorſus ab eo ſententiam tueri haud dubitaverit. Id igitur noſtrarum adhuc partium eſſe exiſtimamus, ut de hac cauſa, antequam hanc recenſionem finiamus, Lectorem noſtrum paucis adhuc condoceamus. Tantum autem abeſt, ut ipſe Cl. *Reimarus* hunc ſuum diſſenſum diſſimulet, ut potius in Præfamine, non modo in quibus potiſſimum partibus ab *Hoffmanno* ſuo diverſus abierit, ſed & quibus rationibus ductus id fecerit, diſerte prodat. Seorſim autem duas *Hoffmanni* hypotheſes, quæ per integrum fere librum regnent, nominat, in quibus cum illo haud faciat aut facere voluerit. Altera ad Philologiæ rationes pertinet, quando nominum divinorum diverſitatem eo tractam cupit, ut quolibet nomine certum ac diſtinctum aliquod attributum denotetur. Sic namque nomen *Jehovah* deſignare Deum æternum & ineffabilem; *Elohim* creatorem rerum omnium; *El* Deum benignum, ſive bonitatem Dei; *Eloah* Deum ſupremum, ſive majeſtatem Dei; *Schaddai* Deum omnipotentem, ſive omnipotentiam Dei; *Adonai* Deum Dominum, ſive principatum & imperium Dei. Utut autem *Hoffmanniana* hæc hypotheſis tum in applicatione ſobrie ſatis inſtituta, tum quoque in conjectura, exinde de polytheiſmi origine facta, haud forte periculi aliquid habeat, ſolido tamen ac firmo ſatis præſidio eandem deſtitui, Cl. *Reimarus* pronuntiat. Altera autem *Hoffmanni* hypotheſis Philoſophorum æque ac Theologorum vineta cædit. Duplicem illa in homine corruptionem ſtatuit: aliam belluinam, ſive beſtialem quandam,

quam

Digitized by Google

quam Behemoth ille apud *Jobum* adumbret, quæque ita in corpus agat, ut non modo humores ejus omnes veneno ſuo inficiat, ſed & *τὸ Nephesch*, ſive animam ſenſualem, h. e. vires animæ, quoad illæ corporis in eam actionibus ſubjacent, ad mala quævis inducat; aliam vero in homine eſſe corruptionem ſpiritualem, ad quam *Leviathan* apud *Jobum* reſpiciat; hanc autem eſſe illam, quæ *τὸ Neſchamah*, ſive vires animæ ſuperiores, ad omnis generis vitia concitet. Tacemus reliqua, in quibus *Hoffmannus* hypotheſi ſuæ inſerviens, iſtius corruptionis originem æque ac remedia, quibus ad reprimendam illam Deus utatur, explicare nititur. Ut autem in hac ſententia ſunt, quæ non modo ἄγραφα, ſed & ἀντίγραφα merito haberi debeant, ita prorſus ab ea alienum Cl. *Reimarus* ſe profitetur. Adjecit etiam in paraphraſi ſua ejusque demonſtratione de Behemoth & Leviathan, in locis, ubi de iisdem ſermo eſt, explicationem ſimpliciorem & magis perſpicuam, quæ inſtar ulterius confutationis eſſe poſſit. Nec tamen intermittit ipſam *Hoffmanni* ſententiam in mitiorem, quam licet, partem interpretari. Putat, hæc forte eſſe ita capienda, ut intimam hominis quoad corpus & animam corruptionem denotare debeant, & quod Deus etiam ita in his rebus agat, ut tum per caſtigationes externas, tum etiam per interna ſpiritus & gratiæ ſuæ media, his malis obicem ponat. In univerſum autem de ſcopo *Hoffmanni* id ſibi ſatis conſtare affirmat, quod nullam aut vim, aut fraudem, ſanctioribus doctrinis hoc ipſo inferre voluerit, ſed id potius ſibi habuerit propoſitum, ut non modo corruptionem noſtram, ſed & Dei potentiam æque ac ſapientiam & bonitatem, in majori quadam luce collocaret. Nos aſſeverationi huic Cl. Editoris fidem eo minus detrahimus, quod nec ex aliis B. *Hoffmanni* ſcriptis nobis conſtet, eum hujusce monſtri quid unquam aluiſſe: de ipſa autem æquiori ac mitiori interpretatione Cl. Editoris, qua illa B. *Hoffmanni* durius difficiliusque dicta, quantum ſane potuit, emollivit, nec non de univerſa ejusdem opera, quam in poliendo perficiendo-

Digitized by Google

endoque hoc labore præſtitit, haud aliter pronuntiare poſſumus, quam quod ipſe quidem non adeo infelix Interpres *Hoffmannus* fuerit, eo tamen felicior, quod *Reimarum* nactus ſit Interpretem.

ELOGIUM JACOBI AUGUSTI FRANCKENSTEINII, J. U. D.

Quem repentino ante aliquod tempus extinctum lugemus fato, *Jacobum Auguſtum Franckenſteinium*, Muſarum noſtrarum ſedes protulerat Lipſia, celeberrima apud nos & inter eruditos gente oriundum. Patrem habuit *Chriſtianum Godofredum*, ſupremi, quod hic Lipſiæ floret, Aulici, nec non Eccleſiaſtici Judicii cauſarum Patronum diſertiſſimum, & Scabinum meritiſſimum, avumque *Chriſtianum Fridericum Franckenſteinium*, Hiſtoriarum in Academia noſtra Profeſſorem clariſſimum. Prima literarum fundamenta poſteaquam privata jecerat inſtitutione, ſcholam, quæ S. Nicolao apud nos ſacra eſt, adiit, ubi ducibus *Crellio*, nuper etiam pie defuncto, *Keilbackero*, *Drechslero*, *Petzoldo*, & *Schwartzio*, annos aliquot humanioribus, quas vocant, literis aſſiduam navavit operam, quibus inſtructus ſatis, A. 1705 ad altiores in Academia ſcientias progreſſus eſt. Quod iis, qui ad Academiam advolant, ſolet eſſe primum, Philoſophiæ ſtudium, præeuntibus *Oleario*, *Cypriano*, *Lehmanno*, &, quem ante nominavimus, *Crellio*, pro viribus coluit, in quo cum profeciſſet tantum, quantum ei ad addiſcendas reliquas doctrinas fuerat opus, ſcholis intereſſe cœpit JCtorum, ex quibus ſibi *Lyderum Menckenium* præ ceteris, *Schacherum*, *Titium*, & *Olearium*, elegit doctores. Verum, quia ejus omnis in Jurisprudentiæ illo ſpatio curſus & labor ad Juris Naturæ & Publici doctrinam, nobiliſſimas Jurium partes,

tes, feſtinabat, tanquam ad metam, neminem autem in patria inveniebat, qui melius ad has artes viam ipſi monſtraret, quam ipſe *Franckenſteinius* parens, hujus ſe potiſſimum concredidit diſciplinæ, ut ab eo, cui deberet vitam, vitæ etiam acciperet culturam. Nec mirum adeo fuit, quod juveni, in addiſcendis bonis literis ab ineunte ætate indefatigato, juſta laboris præmia decerneret A. 1713 alma mater, lauream nempe Magiſtri Philoſophiæ, quam haud immerenti collatam fuiſſe, eleganti ingenii fœtu probavit; Diſſertatione A. 1715 de titulo Fraternitatis publice propoſita, quam altera ejusdem argumenti brevi temporis intervallo ſecuta eſt. Tum autem primum, quicquid antea ipſe e doctiſſimi Parentis fontibus hauſerat, fideli inſtitutione effudit iterum in alios. Non intermiſit tamen inter medios hos labores ad altiora etiam in Jurisprudentia ſibi parare aditum, quo tandem effecit, ut A. 1719 Erfordiæ, *Diſputatione inaugurali de uſu Albinagii in Germania* absque Præſide publice non ſine plauſu habita, ſummos in utroque Jure honores adipiſceretur. Duo vix ex eo præteriere anni, cum, quam privatim huc uſque ornaverat, nunc publice a Rege auguſtiſſimo illi demandaretur Jus Naturæ & Gentium docendi ſparta, ad cujus rite capeſſenda auſpicia Oratione de Legationum jure dubio, d. 10 Sept. A. 1721 publice dicta, ſe accinxit, poſteaquam ad audiendam illam Academiæ proceres Programmate, de dolo in bellis illicito, invitaverat. Aſt annum nondum integrum præfuerat huic muneri, cum alius jam honos extra patriam ipſum expectaret. Anno enim inſequenti a Sereniſſimo Duce Anhaltino Serveſtano ad obeundam Conſiliarii Aulici dignitatem evocatus eſt, qua ſe tamen ipſe paucos poſt annos abdicavit, adeo per breve tempus vitæ pertæſus aulicæ, ut inter egentes Muſas, quam in aula, ubi invidiæ plena ſunt omnia, mallet conſeneſcere. Ex eo igitur tempore, reverſus ad penates, totum ſe juventutis literis deditæ commodis conſecravit, ut dies

ei

ei vix præterierit, cujus non maximam partem docendo alios conſumſerit. Quorum tamen mercedem laborum non niſi anno demum tulit 1732, quo a Principe auguſtiſſimo penſio ipſi annua clementiſſime fuit conſtituta, quam tamen & ipſi mors atra videbatur invidere, ſuperioris quippe anni menſe Majo rebus humanis præmature erepto. Scripta ejus ſi ſcire aveas, præter commemoratas ſupra Diſſertationes, reliquæ hoc loco merentur recenſeri, quæ ſunt de Collatione bonorum, de Juribus Judæorum ſingularibus in Germania, de Theſauris, de Prærogativis Domus Auſtriacæ, de Proſopolipſia, de Rigore pœnarum militarium, de Feudo in pecunia conſtituto, de Locatione Juriſdictionis. Proſtant præterea varia ingenii ejus monumenta, tam præpoſito Autoris nomine, quam absque illo, in lucem emiſſa, quæ de inſigni ejus rerum hiſtoricarum ac politicarum cognitione abunde teſtantur. Eminent inter illa Theatrum hiſtoricum Luſitaniæ, Angliæ atque Helveticæ, Halberſtadii A. 1723, 1724 & 1725 publicatum, Chronici, quod *Zedleri*, Bibliopolæ, ſumtibus prodiit, univerſalis *Tomus I*, & *Tomus VII* Juris publici *Speneriani*, Notæ ad *Benzonis* Vitam Henrici IV, Imperatoris, Scriptoribus *Menckenii* Saxonicis *Tom. I* inſertam, denique Præfationes ad *Gundlingii* Collegium Politices & Notitiæ Statuum. Nec ſilentio præterire poſſumus, quantum ei debeant Annales literarii, & inter illos præ ceteris *Acta* noſtra, quippe qui præſtitam iisdem a B. *Franckenſteinio* per decem fere & ſex annos ſingularem induſtriam nunquam ſatis prædicabimus. Præter noſtra autem, illa etiam *Acta*, quæ vernaculo ſermone publicantur Lipſiæ, habent aliquid, quod Noſtro referant acceptum. His addimus andem Meditationes feliciſſimas, de titulo magni Sigilliferi in Thuringia, quas, ad defendenda jura Sereniſſimæ Domus Saxonicæ, Diarii literarii, *die vermiſchte Bibliotheck* dicti, *Parte XXI* publicavit.

✲ ✲ ✲

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomus I Sectio II.

EDMUNDI MARTENE ET URSINI DURANDI, Presbyterorum, & Monachorum Benedictinorum e Congregatione S. Mauri, veterum Scriptorum & Monumentorum Hiſtoricorum, Dogmaticorum, Moralium, ampliſſima Collectio.

Tomus IV, V & VI.

Pariſiis, apud Montalant, 1729, fol.
T. IV Alph. 5, T. V Alph. 4 pl. 20, T. VI Alph. 4 pl. 19.

Ne diutius juſto in ære maneamus, ſiſtimus tandem Lectori noſtro ampliſſimæ hujus Collectionis *Tomum IV, V & VI*, quos producere hactenus ob uberrimum novorum librorum proventum nobis non fuerat integrum. Facillime ſibi in memoriam revocabunt Lectores, quæ in *Actis* noſtris *A. 1725 Menſe Aprili p. 146* de univerſo Editorum inſtituto dicta ſunt, diſtributum nempe hoc Opus in *Claſſes quatuor*, quarum *prima*, Diplomatica tota & Epiſtolaris, *Tomis tribus* antecedentibus fuit abſoluta. *Alteram* nunc Claſſem, Hiſtoricam, *tribus* hiſce *Tomis* inſequentibus exhibent Collectores, qui quid novi nobis apportent, jam ſumus traditurі.

Digitized by Google

turi. *Tomum* itaque *IV* Collectores noſtri, cum ampliſſimæ huic Collectioni occaſionem dederit iter ipſorum Germanicum, a Germanicis rebus ordiuntur, quarum frontem ornant Acta varia de exauctoratione *Wenceslai* Imp. & *Ruperti*, itidem Imp. electione. Non eſt ſane quisquam, qui vel primoribus, ut ajunt, labris Hiſtoriæ patriæ guſtaverit delicias, quem fugere poſſit, quibus artibus *Wenceslaus* ad ſummum regni Germanici faſtigium evectus, quasque ob cauſas ab eodem poſtea fuerit dejectus. Ad illud Hiſtoriæ Germanicæ momentum multum faciunt Acta hæc, ex MSto Codice Germanico, opera R. P. *Ambroſii*, Monachi Ordinis Ciſtercienſis, prope Duſſeldorpium, in Latinam converſa linguam. Comparent in iisdem inter alia fœdus inprimis, ab Electoribus ad negotia ſanctæ Eccleſiæ & S. R. I. fideliter & concorditer tractanda initum, literæ convocationis Electorum, ſententia depoſitionis *Wenceslai*, Capitulatio *Ruperti*, Regis, Epiſtolæ ejusdem variæ, quæ iis poſſunt eſſe ſupplemento, quas a Reverendis Collectoribus in Theſauri Anecdotorum *Tomo I* jam olim deprehendimus ſuppeditatas. Larga hic præterea ſeges reperitur negotiationum cum Principibus tam Germanis, quam exteris, &, quæ ad illas requiruntur potiſſimum, memorialium (vulgaribus verbis utimur, ut rem intelligant Lectores,) ac inſtructionum Legatorum. Sequuntur Geſta Trevirenſium Archi-Epiſcoporum ab A. Chriſti 880 ad A. 1455. Fœtus hic, de cujus genitoribus certi nihil poteſt definiri, niſi quod pro comperto habeatur, collatis illum Trevirenſis S. Matthiæ monaſterii monachorum deberi laboribus, a Reverendis Collectoribus in celeberrimo S. Maximini Monaſterio fuit repertus, atque ex Codice MSto feliciter erutus. Eſt autem hæc nova Trevirenſium Hiſtoriarum, ab *Acherio Tomo XII* Spicilegii, & *Leibnitio* in Acceſſionibus Hiſtoricis jam ante publicatarum, editio, iisdem tamen emendatior multo atque auctior. Nec ſilentio hic prætereundum, inſervire illam inter alia etiam emendandis non minus rebus geſtis *Balduini*, Lutzenburgenſis, a *Baluzio Tomo I* Miſcellaneorum, quam aliorum ſex Archi-Epiſcoporum Trevirenſium, ab *Eccardo Tomo II* Scriptorum medii ævi publicatis. His Archi-Epiſcoporum Treviren-

renſium geſtis additam conſpicimus Appendicem, qua continentur libellus de propugnata adverſus Archi-Epiſcopum Trevirenſem libertate Epternacenſis Monaſterii, deque inſtitutione feſti commemorationis *S. Willibrordi*, ex MSto Epternacenſi antiquo, porro declaratoriæ contra *Henricum*, Trevirenſem Præſulem electum, qui, pallio non geſto, Archi-Epiſcopum ſe in literis nominavit, & ſacris immiſcuit. ex MSto Cardinalis Ottoboni, qui poſtea fuit *Alexander* VIII, Papa, a *Mabillonio* erutæ, fragmentum Chronici *S. Matthiæ*, Trevirenſis, ex MSto *S. Matthiæ*, breve Chronicon Epternacenſe, ex MSto Epternacenſi, aliud breve Chronicon Epternacenſe, ſeu prioris continuatio, breve Chronicon, ex MSto Prumienſi. Comparent III Annales Noveſienſes, ex MSto Codice Noveſienſi deſcripti, quorum Autor, *Wernerus Titianus*, Monachus, Auguſtinorum apud Noveſienſes addictus Ordini, licet oppidi *Noveſii*, vulgo *Nuys*, ſuique præſertim Monaſterii, Hiſtoriam conſcribendam ſibi propoſuerit, in Archi-Epiſcoporum tamen, civiumque Colonienſium, & aliarum adjacentium regionum, res geſtas longe lateque exſpatiatus eſt. Cum itaque Collectores noſtri jam circa illuſtrandas verſentur res Colonienſes, Geldrenſes, Noveſienſes, de quibus hactenus potiſſimum actum fuerat, atque etiam Leodienſes, quas repræſentant ſubſequentes Scriptores rerum Leodienſium, operæ pretium ipſis viſum fuit, hic interſerere IV Excerpta quædam Libri II de geſtis *Ludovici XI*, Autore *Amelgardo*, Presbytero Leodienſi, deſcripta ex MSto Codice Bibliothecæ Regiæ, in quibus præ ceteris Autor ſingulares, ſed funeſtos, patriæ ſuæ eventus, tanquam teſtis oculatus, recenſuit. Excipiunt hæc V ipſa rerum Leodienſium Scripta varia, quorum agmen ducunt geſta Pontificum Trajectenſium & Leodienſium a *S. Remaclo* ad *Vazonem*, quæ ex MSto Codice Andaginenſi Monaſterii S. Huberti, ante annos 600 exarato, *Anſelmum*, antiquum Leodienſium Hiſtoricum, ornatiorem nobis ſiſtunt atque ampliorem, quam quidem apud *Joannem Chapeavilla* conſpicitur. veterum Scriptorum Leodienſium Collectorem. *Anſelmo* ſubjecere Venerandi Patres Cantatorium, ſeu Hiſtoriam Andaginenſis S. Huberti Monaſterii,

Digitized by Google

in qua *Henrici* atque *Otberti*, Epiſcoporum, acta diligentius, quam ab *Ægidio*, Aureæ-Vallis Monacho, referuntur. Subjunxerunt denique inclyti S. Laurentii Monaſterii Hiſtoriam, aliaque id genus monumenta, quæ longo hic ordine recenſere facile ſuperſedebimus, id monuiſſe ſatis habentes, ad illuſtrandam Leodienſium Hiſtoriam illa ſpectare omnia ac ſingula.

Sequitur nunc *Tomus V*, in cujus fronte tanquam poſtliminio quodam apparet Præfatio Venerandorum Collectorum ad *Tomum IV* & *V*, plena querelarum, a Gallica gente vix ante unquam auditarum, jacere in ſuis terris literas, languere inprimis rem librariam, apud Germanos vero Italosve jam nobile quoddam Muſarum domicilium haberi. Teſtantur id elegantiſſimæ Celeberrimorum Virorum, *Eccardi* & *Muratorii*, veterum Scriptorum Collectiones, quorum alter in Corpore ſuo Hiſtorico medii ævi, veteris Chronici Saxonici *Anonymi*, alter in Scriptoribus rerum Italicarum, Actorum Archi-Epiſcoporum Neapolitanorum editione, (hinc enim illæ lachrymæ,) Collectorum noſtrorum induſtriam antevertit. Non tamen his tantum Collectioni ſuæ putant detractum, ut in nobiliſſimorum Scriptorum abundantia, de continuanda illa prorſus deſperare debuerint. Quibus rite præmiſſis, varias ad evulgatos a ſe Scriptores afferunt Obſervationes, quales ſunt ad Regum Galliæ Hiſtoriam ſpectantes, de Epiſcopis Leodienſibus, de Leodienſi S. Laurentii Monaſterio, aliæque Eccleſiaſticæ de diſciplina, quæ non poſſunt non Lectori eſſe jucundiſſimæ. Nunc, ubi ad ipſum Scriptorum hoc Tomo contentorum pergimus Catalogum, videntur ſane Collectores noſtri, quod cœperant in Tomo antecedenti, in hoc pertexere voluiſſe de rebus Leodienſibus filum. Prodeunt itaque primo loco in ſcenam *Lambertus Parvus*, Leodienſis, *S. Jacobi* Monachus, cujus Chronicon, a *Reinero*, ejusdem cœnobii Aſceta, continuatum, ex ipſo, ut videtur, avtographo conſpicitur, nec non *Cornelius Zanfliet*, Monaſterii S. Jacobi pariter Monachus, probatæ ſatis fidei Hiſtoricus, cujus Chronicon Scriptorum de rebus Leodienſibus agmen claudit, adjuncto illi in fine brevi Chronico Bremenſi, ex MSto Bodecenſi, quod tamen vix paginam explet. Succedunt Scriptores de ſacra expeditio-

Digitized by Google

ditione Hieroſolymitana varii, inter quos primus *Ekkebardi*, Abbatis, libellus de expugnatione Hieroſolymitana, ex MSt. Bibliothecæ Regis Chriſtianiſſimi deſcriptus, atque *Erkemberto*, Abbati, anno circiter 1117 dicatus, quo, teſte Chronographo Saxonico, Abbas Corbejenſis, *Erkembertus*, pluresque de Saxonia Hieroſolymam ſuſceperunt iter, eo majoris eſt pretii, quod Autor coævus, in tanta Scriptorum ſegete, ſingularia tamen nonnulla atque hactenus refert inaudita. Huic, poſt ſcripta alia minora exigui momenti, ſubjunctum eſt Chronicon terræ ſanctæ, Autore *Radulfo Coggesbale*, Ordinis Ciſtercienſis Abbate, ex pervetuſto Codice Pariſienſis S. *Victoris* Bibliothecæ, Autoris ætate conſcripto, in quo Autor, in locis ſanctis tum peregrinans, infauſtam illorum a *Saladino* expugnationem teſtis oculatus repræſentat. Scriptoribus tandem, qui geſta Dei per Francos expoſuere, Collectores noſtri aggregarunt *Guillelmi*, Archi-Epiſcopi Tyrienſis, continuatam belli ſacri Hiſtoriam, quæ quidem ipſa a *Jacobo Bongartio* inter belli ſacri Scriptores fuerat evulgata. Hæc autem, quam ab antiquo Autore ad annum uſque 1275 extenſam conſpicimus, Continuatio idiomate conſcripta eſt Gallico, quemadmodum & integrum *Guillelmi* Opus a Continuatore ſuo in hocce idioma fuerat translatum, quod tamen & ob immenſam ejus molem, & ob antiquiſſimum idioma Gallicum, quod nauſeam certe peperiſſet Lectori, haud imprudenti conſilio, a Noſtris non fuit appoſitum, atque in ejus potius locum ſubſtitutum Gloſſarium vocum Gallicarum exoticarum, nec non de excidio urbis Acconis Libri II, & de expugnatione urbis Conſtantinopolis Tractatus. Exhibentur inde duo de rebus Anglicanis libelli, quos, cum nulla adſit materiæ affinitas, ob famam tantum præſtantiamque Autoris hoc loco videmus inſertos, nempe Chronicon Anglicanum ab A. 1066 ad 1200, Autore *Radulfo Coggesbale*, cujus ſupra mentionem fecimus, ex MSto Codice Bibliothecæ Pariſienſis S. *Victoris* & de Motibus Anglicanis ſub *Joanne* Rege Commentariolus, ab eodem Autore conſcriptus. Habent omnino, de quo hic præreptam ſibi a Gallis gloriam conquerantur Angli, quod editione tam eximii Scriptoris patrii,

 cujus

cujus Chronicon per tantam annorum ſeriem in tenebris delitescere paſſi ſunt, ab iisdem ſint præventi. Pergimus ad Annales veterum Francorum, ex MSto Codice Bibliothecæ Regiæ protractos, quorum Autor *Anonymus*, uti quidem ex ipſo, quo deſinunt Annales, tempore patet, Seculo nono videtur floruiſſe. Continentur his *Caroli Magni* avorumque res præclare geſtæ ab A. 670 ad 813. Convenientia illorum cum Chronico Moiſſiacenſi, a *Chesnio Tomo III Hiſt. Gall.* vulgato, quam ipſi obſervant Collectores, nil pretio Libri detrahit, cum, quicquid in Moiſſiacenſi, ipſo fatente *Cheſnio*, mancum eſt atque obſcurum, ſuppleatur in hoc noſtro, clareque ac perſpicue tradatur. Hos comitatur Chronicon Turonenſe, Autore *Anonymo*, Canonico Turonenſi S. Martini, ex MSto Codice Bibliothecæ Regiæ, a Viris eruditis diu deſideratum, quo quicquid a mundi creatione ad A. 1226 notatu dignum accidit, ex probatæ fidei Scriptoribus commemoratur. Integrum hic dare Opus, operæ non exiſtimarunt pretium, atque adeo initia ejus, aliunde ſatis nota, ad *Decii* uſque Imperatoris tempora prudenter hinc reſecta cernimus. Aſt lugendum omnibus, qui in veterum Scriptorum monumentis quærunt delicias, rapacis illius hominis furtum, qui Codici hujus Chronici MSto otioſam aut invidam intulit manum, duosque inde quaterniones avulſit. Quorum quidem jacturam, cum, quem Patres e Societate Jeſu apud Pariſienſes ſervant, ejusdem Libri Codicem nullis ab iisdem precibus potuerint obtinere, reſarcire aliunde non potuerunt Collectores, quam ex Excerptis quibusdam ex eodem Codice, a *Carolo Carteau*, Paſtore Eccleſiæ Novigenti prope Pariſios, ſibi oblatis, & fragmentis ex MSto Eccleſiæ Nannetenſis. Additur his Hiſtoria Monaſterii S. Florentii, Salmurienſis, ex MSto ejusdem Monaſterii ſuppeditata, quæ varios habet Autores, eosque omnes fere coætaneos, qui ſuorum temporum memorabilia literis conſignarunt. Hanc Hiſtoriam ſequitur breve Monaſterii S. Florentii Chronicon, ex quo nova hiſtoriæ lux affulgere poterit. Progredimur ad Fragmenta Chronicorum Comitum Pictaviæ, Ducum Aquitaniæ, Autore, ut videtur, Monacho *S. Maxentii*, nec non Chronicon *Richardi Pictavienſis*, Monachi Cluniacenſis, ab A. 754 ad 1153. ex MSto

Digitized by Google

MSto *Colbertino*, quæ ſingula paucis tantum plagulis conſtant. Ultimò loco leguntur *Franciſci Carpeſani*, Flaminis Parmenſis, Commentaria ſuorum temporum, Libris X comprehenſa, ab A. 1470 ad 1526, quæ ex MSto Codice olim Bibliothecæ Altaempenſis, deinde Cardinalis *Ottoboni*, qui poſtea fuit *Alexander* VIII, Papa, eruit *Mabillonius*. Ex eo maxime videntur commendanda, quod florenti & eleganti ſtilo res non modo Italicas ſui temporis proſequantur, ſed bella etiam, ſub Francorum Regibus, *Carolo VIII, Ludovico XII* & *Franciſco I*, geſta, deſcribant. Ad eandem Claſſem referendi ſunt Proſperi Sanctacrucii de civilibus Galliæ diſſenſionibus Commentariorum Libri III, quos, ex MSto Cardinalis Barberini a *Mabillonio* deſcriptos, publici hic juris faciunt Collectores. Meretur autem Scriptor hic commendari præ ceteris, quod variis legationibus in Gallia, Germania, Hiſpania & Luſitania functus, ea magna fide expoſuit, quibus ipſe teſtis oculatus interfuit.

Tomus denique *VI*, Hiſtoriæ maxime dicatus Eccleſiaſticæ, ingentem continet rerum monaſticarum apparatum, de quibus generalia hic tractaſſe ſufficiat. Proferuntur itaque primo loco Hiſtoriæ religioſorum Ordinum, cum generales, ad quas *Brunelli* de ordinibus religioſis ſententiam, & Monachi *Anonymi* Dialogum referas de diverſarum religionum origine, & alia, tum ſpeciales, ad quas ſpectare videntur geſta ſeptem Abbatum Beccenſium, metrice a *Petro* Divenſi conſcripta, Hiſtoria brevis priorum Grandimontenſium, illorumque, quæ ſequitur Hiſtoria prolixior, nec non brevis Hiſtoria Ordinis Cartuſienſis, Autore *Anonymo* mandata literis. Succedunt aliquot Monaſteriorum Annales antiqui, in quorum numero ſunt fundationum hiſtoriæ, Imperatorum Diplomata, Bullæ Pontificum, eorumque Reſcripta, Conventiones veteres, Epiſtolæ Abbatum, literæ Cardinalium atque omnis generis Principum, miraculorum, contentionum, altercationum, ac conventuum hiſtoriæ variæ, tandemque Chronica, Martyrologia, & Calendaria non pauca. Hæc demum excipiunt certo ordine nonnulla ſanctorum Monachorum Acta, quos nominatim hoc loco omnes recenſere, prolixior illorum numerus non permittit. Nec

Digitized by Google

ex hoc *Tomo VI* nobis aliquid reſtat, quam ut præmiſſas in Præfatione a Reverendis Collectoribus in Monaſtica hæc Obſervationes, quæ ſunt de religioſis Ordinibus ſeu Congregationibus, Seculo XI & XII exortis, de fratrum converſorum in Monaſteriis origine, & de diſciplina Eccleſiaſtica, æque ac ipſos ampliſſimæ Collectionis, quorum brevem hic dedimus Conſpectum, *Tomos tres*, Lectoribus enixe commendemus.

LETTRES DE HENRY IV, ROY DE FRANCE, ET de Meſſ. de Villeroi, &c.

h. e.

EPISTOLÆ HENRICI IV, REGIS GALLIÆ, ET Dominorum Villaregii & Puiſieuſii, ad Dominum ANTONIUM FABRUM DE LA BODERIE, Legatum Gallicum in Anglia, ab A. 1606 uſque ad A. 1611.

Amſtelodami, ſumtibus Societatis, 1733, 8.
Alph. 1 pl. 20.

Illuſtrium, quæ hic typis impreſſæ ſiſtuntur, Epiſtolarum Syllogen forma ea, quæ folia integra implet, ſcriptam ex celeberrima ſummi Gallorum Cancellarii, *Dagueſſovii*, Bibliotheca, titulo paulo ampliori, quam hic iis præmiſſus cernitur, commemorat diligentiſſimus Scriptorum patriæ Hiſtoriæ enarrator, *Longus*. Eas ut ſatis liquet inde primum transſcriptas ab homine ignaro fortaſſe, an alibi exſtarent, ita, cum fere reſponſa exhibeant ad literas *Antonii Fabri*, Legati Gallici in Anglia partes obeuntis, merito has ipſas ante omnia requirent Lectores horum Monumentorum legendorum ſtudioſi, quæ tamen hic prorſus deſiderantur. At ſervant illas, eodem teſte *Longo*, duo Volumina, quæ reperiuntur cum inter MStos Codices Illuſtris *Briennii*, tum in Bibliotheca Regia Gallorum. Quibus cum & hæ ipſæ literæ, ſuis locis haud dubie inſertæ, ſubjungantur, patet jam, ſi hæc Volumina potius, quam *Dagueſſovianus* Codex, deſcripta, iisque adjecta forent Excerpta hujus

Digitized by Google

hujus legationis, quæ ex Bibliotheca Eſtreeſiana recenſet idem *Longus*, hoc libro tabernas librarias & Bibliothecas virorum doctorum carere facile potuiſſe. Ceterum, ſi Hiſtoriæ ratio habenda eſt, fatendum, tantundem ex his literis ſolis peti fortaſſe poſſe, quam ex majori illa congerie. Fieri enim poteſt, ut illa nihil nos magnopere novi, quod hic non reperiatur, doceat, multa non ſine tædio lectorum iteret, ac, rationibus probe ſubductis, non inſerviat, niſi legationi huic, rebusque prudenter & cum laude in ea geſtis uberius cognoſcendis. Utut fuerit, nos harum Epiſtolarum editione contenti, uno alterove exemplo, quid lucis ad Hiſtoriam illorum temporum penitius inſpiciendam inde affulgere ſedulo Lectori poſſit, docebimus. *Henricus IV* quantopere amicitiam Regis Magnæ Epiſt. 4. Britanniæ, *Jacobi I*, coluerit, illuſtri exemplo conſtat, quod, cum filiæ *Eliſabeth*, ſacro baptiſmate ſolenni ritu publice initiandæ, teſtem eum una cum *Iſabella Clara Eugenia*, Belgii Gubernatrice, legiſſet, *Jacobus* autem, qui Pontifici Romano, *Paulo V*, *una cum* ſorore Reginæ, Duce Mantuæ, ad easdem in Delphini luſtratione, eodem tempore peragenda, partes obeundas delecto, poſtponi, ut videri res poterat, nollet, id muneris palam refugeret, ægre hoc minime tulit, neque alium Principem, qui vices expleret, ſubſtituit. Atque inde etiam intelligitur, cur P. *Daniel*, Hiſtoriæ Gallicæ Scriptor longe diligentiſſimus, ubi de *Eliſabetha* illius Baptiſmate agit, unum ejus duntaxat teſtem afferat, Delphini & Sororis alterius duos. Batavos, inſcio *Henrico IV*, menſium octo armiſtitium cum Hiſpanis pactos, haud parum Regis ejusdem animum offendiſſe, vulgo docent Scriptores Gallici. Id nemo mirabitur, qui ex *Puiſieuſii* literis didicerit, eodem tempore, quo clanculum cum Archi-Ducibus Batavi conſilia de induciis faciendis agitabant, *Ærſenſium*, Oratorem eorum, a Gallis, ad bellum majori vi proſequendum, ducenta millia ſcutatorum accepiſſe, unde poſtea lepide *Villaregius*, dextra eos Gallicam abſtuliſſe pecuniam, ſiniſtra pactionem cum Hiſpanis initam, de ponendis ad tempus armis, obſignaſſe, obſervat. Apud Hiſtoriographum, quem laudavimus, *Danielem* altum ea de re ſilentium; quod

ut vitio ei verti non poteſt, ita, ubi de ablegato Turcico A. 1607 ad Gallos miſſo mentionem injicit, ſi pariter tacendum putaſſet, gloriæ civium ſuorum, ad quam omnia refert, rectius conſuluiſſet. At, quando nihil aliud eum, niſi verba honori-
Epiſt. 48. fica, (*des Complimens*,) attuliſſe ſcribit, tanto minus veritati litare cenſendus eſt, quod *Puiſieuſius* de ejus inhumanitate, mancipia Turcica ex triremibus Gallicis importune admodum repetentis, conqueritur, eumque ſine donis, quorum ſpes facta, dimiſſum docet. De repudiatis a *Jacobo*, Rege Angliæ, partibus *compatris*, quas pro filia *Eliſabetha* ſacro fonte tingenda *Henricus* ei detulerat, ſupra diximus. Nemo fortaſſe ſibi perſuaſerit, *Henricum* ex eo tempore denuo in Angliam recurrendum ſibi eandem ob cauſam duxiſſe. Factum nihilominus, ut Reginam ibi, liberiori inter cœnandum colloquio, de quo illa acceperat, offenſam ſibi reconciliaturus, uti alteri
77 & 84 filio, Duci Andegavenſi, aquis luſtralibus abluendo eam operam navaret, peteret. Nec refugit Regina Angliæ eas partes, quibus junctim cum Republica Venetorum functura erat; ſed
92. dilata poſtea res, ac, forte incidentibus, quæ *Henricum* ab Anglis abalienarunt, rurſus, plane intermiſſa eſt. Certe mentio ejus nulla poſtea in his literis recurrit. An *Henricus IV Charlottam Margaritam Montmoranciam*, quam recens maritus, *Henricus Condeus*, zelotypia commotus, Bruxellas abduxerat, clanculum inde ex ædibus Arauſionenſibus abreptam, in Galliam reduci juſſerit, inter Scriptores non ſatis conſtat, tametſi narrationem ea de re Operi ſuo intextam, quæ a fabula Romanenſi vix abludit, pro veriſſima venditat laudatus *Daniel*.
Legat. II Dubitare tamen de veritate ejus non immerito poſſis, cum *Vil-*
Epiſt. 4. *laregius* in his literis teſtetur, ficta eſſe omnia; Regem ab his artibus abhorrere, ægreque fieri potuiſſe, ut illa, præſente marito, ex ædibus Arauſionenſibus abduceretur; id agi hac fabula, ut macula & *Montmoranciæ*, & iis, quos illa ſanguine contingeret, adſpergeretur. Haud paulo plura, eaque majoris momenti, ex his literis docebuntur, qui ſtudioſe eas pervolverint. Nobis, ad alia properantibus, vel pauca hæc, non nimis anxia cura ſelecta, excerpſiſſe, apud Lectores æquos, ut ſperamus, ſatis eſſe poterit.

DISPEN-

Digitized by Google

DISPENSATORIUM REGIUM ELECTORALE Boruſſo - Brandeburgicum, Auſpiciis Sacræ Regiæ Majeſtatis Boruſſiæ, Regii Collegii Medici Superioris cura & opera denuo editum, reviſum, emendatum, & auctum, nunc denuo ad exemplar Berolinenſe recuſum, variisque Obſervationibus locupletatum, ab ERNESTO FAGINO, *Auguſtano.*

Erfordiæ, ſumtibus Caroli Friderici Jungnicolii, 1734, fol. Alph. 3 pl. 1.

Notius fere eſt, inter noſtrates ſaltem Germaniæ Medicos, Diſpenſatorium Brandeburgicum, quam ut copioſius in Annalibus noſtris commemorari debeat, exeunte nimirum ſuperiori Seculo prima jam tum vice publicatum. Poſtquam enim *Fridericus Wilhelmus*, Elector Brandeburgenſis, & poſt illum filius *Fridericus*, itidem eo tempore Elector, deinceps etiam Boruſſorum Rex, laudabile conſilium ſuſceperant, ſtatum rei medicæ in Provinciis ſuis emendatiorem reddere, factum eſt, ut poſterioris juſſu hoc etiam Diſpenſatorium a Collegio Medico Berolinenſi ederetur, ad cujus normam medicamenta in ſingulis per terras Brandeburgicas pharmacopoliis præparanda, componenda & diſpenſanda eſſent. Quod ipſum Opus magno ubique plauſu exceptum fuit, denuoque prelum exercuit, & haud ita pridem, novis curis recognitum, in lucem prodiit. De novo quidem corpore pharmacevtico adornando, expurgandisque variis quisquiliis, cogitavit Collegium Medicum; ſed non uno ſe retardari impedimento animadvertit. Maxima quippe, ut ipſius verbis utamur, manu medentium & empirice doctorum pars certis medicamentorum formulis, utut inconcinnis, aſſueta, filum praxeos ſuæ penitus amitteret, quodſi compoſitiones iſtiusmodi in officinis non amplius venales reperirentur. Quare dandum aliquid eſſe præjudiciis hominum vel

ignorantiæ credidit, & Diſpenſatorium, quemadmodum ultimo typis expreſſum fuit, integre quidem, expunctis tantummodo erroribus quibusdam, qui veniam haud merebantur, excudendum denuo curavit. Tantum autem abeſt, ut abſolutum hoc modo Opus undique approbet, ut potius in adornanda nova hac editione neceſſitati admodum urgenti concedendum aliquid fuiſſe doleat. Enarratis itaque ad ordinem literarum pro more veteri medicamentorum formulis, quæ variis ſubinde Annotationibus illuſtrantur, Appendicis loco ſubnectitur deſignatio medicamentorum, cum eorum, quæ in officinis majorum urbium, tum & illorum, quæ in pharmacopoliis minorum proſtare debeant. Acceſſerunt novæ huic editioni quædam remediorum formulæ, adhuc nondum publicatæ, præcipue, quæ Ill. *Stahlium* autorem habent. Quandoquidem vero ea cum ob pretii gravioris magnitudinem, tum alias difficultates, non adeo facile comparari poteſt, multorum motus deſideriis Cl. Editor, eandem Erfordienſibus typis repetiit, & multas hinc inde Obſervationes, quæ varias encheireſes, circa præcipuorum medicamentorum præparationem neceſſarias, fata medicamentorum, eorumque cenſuras, a Medicis propoſitas, modum propinandi, effectusque & uſum, complectuntur, interſperſit.

M. FRIDERICI GUILIELMI STÜBNERI Demonſtratio breviſſima veræ menſuræ virium, ea, quam nuper in Novis Actis Erud. Menſe Martio p 134 propoſuit, aliquanto concinnior, facilior & univerſalior.

1) Vires moventes F, f in temporibus T, t vel uniformiter & conſtanter, vel difformiter & variabiliter agendo, producant in corporibus æqualibus velocitates V, v: ſintque dT, dt elementa temporum, per quæ vires, utut poſtea in temporibus integris difformiter & variabiliter acturæ, conſtanter & uniformiter agendo produxiſſe ſupponi poſ-

poſſunt velocitates elementares dV, dv. 2) Erunt $F = dV : dT$ & $f = dv : dt$ (*per ea, quæ Cel.* Jacobus Hermannus *§§. 130, 131,* in egregio *Phoronomiæ* Opere demonſtravit). 3) Vires quæcunque moventes ſunt in ratione compoſita, ex elementorum velocitatis directa & elementorum temporis impenſi inverſa rationibus. Nam $F : f = (dV : dT) : (dv : dt)$ (*per num. 2*) $= dV \times dt : dv \times dT = (dV : dv) \times (dt : dT)$. 4) Tempora impenſa velocitatibus producendis, præcipue in æqualibus corporibus, ſunt velocitatibus productis inverſe proportionalia. Etenim, quo major velocitas, præcipue in æquali corpore, producitur, eo rapidius agit vis in ea producenda. At vero, quo rapidius agit vis in velocitate producenda, eo minus productioni ejus inſumit tempus. Ergo, quo major velocitas, præcipue in æquali corpore, producitur, eo minus tempus productioni ejusdem inſumit vis producens. Hinc eſt $V : v = t : T$ & $dV : dv = dt : dT$. 5) Quia eſt $F : f = (dV : dv) \times (dt : dT)$ (*per num. 3*): erit $F : f = (dV : dv) \times (dV : dv)$ (*per num. 4*) $= dV \times dV : dv \times dv = V^2 : v^2$. Sunt adeo vires, in corporibus æqualibus diverſas velocitates excitaturæ, in ratione velocitatum quadratica: quod voluit Ill. *Leibnitius*. Unde patet, nec ſolicitationes inæquales elementares in eodem corpore ſequi rationem ſimplicem velocitatum producendarum, niſi quando temporum elementa dt & dT vel æqualia ſunt, vel pro æqualibus haberi poſſunt ob differentiam, pro contemtibili ſeu fere nulla reputandam.

P. FR. JOS. VICT. ZAMBALDI, ORD. S. HIER. Congr. B. Petri de Piſis, S.S. Theol. D. & Patavii Lect. Tractatus de Locis Theologicis.

Patavii, 1722, 4.

Plag. 14.

Dicatus eſt hic Tractatus B. Virgini *Mariæ*, tanquam cœli terræque Reginæ, quam oratione, neſcimus, magnifica magis, an magis abjecta, compellatam ab Autore audias:

Digitized by Google

„Vires per te ad has elucubrationes datæ ſunt, &, cum circa
„fontes Theologiæ verſentur, te unam in patronam exo-
„ptant, cum tu ſola ſis fons vivus, fons ſignatus, fons,
„ex quo veritas ipſa prodiit. Novi enim cum idiota tuum
„hoc nomen divinis gratiis & benedictionibus omni ex
„parte refertum; ſuper enim ſanctorum nomina reficit
„laſſos, ſanat languidos, illuminat cœcos, penetrat duros, re-
„creat feſſos, ungit agoniſtas, & jugum diaboli excutit. Qua-
„propter illi & ego ſub tanto numine tuti erimus atque felices,
„ſi clementia tua ſcintillam radiorum tuorum ad nos flectere
Pag. 7. „dignabitur &c. Sed age, ad Tractatum ipſum, in quo loci The-
logici ſunt ipſi argumentorum ſedes ſeu fons, ex quo argu-
menta Theologica eruuntur, vel ad fidem explicandam, vel
ad hæreticorum inventa elimanda. Quos ſequentes eſſe
ſtatuit: Scripturam S. Traditiones, Concilia, totius Eccleſiæ
conſenſum, Rom. Pontificis definitiones, autoritatem SS. Pa-
trum, Scholaſticorum, Hiſtoricorum, & cum humana ratio-
ne Philoſophorum. De ſingulis ſeorſim ita agitur, ut quæ-
ſtiones moveantur, additisque reſponſionibus, argumenta in
contrarium pro more Papiſtico diluantur. Dabimus ſpecimi-
8. na. De Scriptura Quæſitum 1): An ipſi poſſit ſubeſſe falſitas.
17. Negatur id, ſed objicitur: in Scriptura continentur apertæ falſi-
tates, e. g. *Jacob* mentitus eſt patri ſuo *Iſaac*, dicendo: ego
20. ſum primogenitus; & reſpondet, *Jacobum* non mentitum eſ-
ſe, ſed prophetaſſe. Quæſitum 2): An Scriptura varios admit-
tat ſenſus. Affirmatur. Nam, præter literalem, aſſumere my-
21. ſticum, qui deſcribitur, quod ſit ſenſus, qui non proxime per
voces, ſed per rem, verbis ſignificatam, a Spiritu Sancto indice-
22. tur, eumque ſubdividit in Allegoricum, Anagogicum, Tropo-
logicum, & Moralem. Literalem dari ſenſum, probatum ire
voluit ex *Apoc. Cap. ult.* Si quis appoſuerit ſuper hæc, apponet
Deus plagas ſcriptas in hoc libro. Myſticum vero ex *1 Cor.*
X: Omnia contingebant in figuris illis. Ad objectionem, multipli-
citatem ſenſuum in una Scriptura parere confuſionem & de-
23. ceptionem, & tollere arguendi firmitatem, reſpondet, ea ne-
gando. Nam non per voces, ſed res, vocibus ſignificatas, ſen-
ſum multiplicari. Item objicit ſibi: Datur per vos ſenſus
ac-

Digitized by Google

accommodatitius; ergo quinque erunt ſenſus. At reſpondet: ille ſenſus non eſt proprius Scripturæ, ſed concionatorum. Nam re vera illa ſignificatio verborum extenditur, & accommodatur aliis rebus, a Spiritu Sancto non intentis. Quæſt. Pag. 24.
3): Quot Libri ſint Canonici? Reſp. Omnes; nam probari id poſſe ex Concilio Tridentino,& quia Eccleſia Rom.omnes ſuſceperit ac retineat. Objicit: Hebræi non habuerunt pro Canonicis 25.
nec Tobiæ, nec Judith, nec Sapientiæ, nec Eccleſiaſtici, nec Maccabæorum libros, & in veteri Eccleſia non recipiebantur hi inter Canonicos,reſpondetque: Non Hebræorum Canon,ſed Canon Eccleſiæ, facit libros Canonicos. Tandem etiam hæc 26.
ſomniat, ſibique objicit: Lutheranos rejicere Epiſtolam ad Hebræos,item Jacobi, Judæ, Apocalypſin; & reſpondet: Futilem eſſe oppoſitionem. Quid enim ad nos de Hæreticorum ſenſu? Quæ converſio lucis ad tenebras, ſi illi nolunt recipere hos libros? Hæretici ſunt, de quibus *Auguſtinus*: Scripturas ſic accipiunt, ut pro ſuo privilegio imo ſacrilegio, quod volunt, ſumant, quod nolunt, rejiciant. Nos vero, qui Catholici ſumus, S. Romanæ Eccleſiæ determinationibus adhæremus. Transſcripſit etiam ex *Hieronymo Tom. III p. 5 Epiſt ad Paul.* cujusvis libri argumentum. Cum vero libri vere Canonici tantum recenſeantur, & de Apocryphis altum ſit ſilentium, *Hæc*, inquit, *fideliter transſcribere placuit, quæ quidem* 30.
cum clara forſan, ſed nimis ſubtiliter enarrata, videntur, planiorem catalogum ſubtexere placuit; in quem refert omnes veteris Eccleſiæ Apocryphos. De libris N. T. non novam ſubtexit argumentorum enarrationem & Catalogum, ſed Lectorem delegat ad præcedentia, ex *Hieronymo* transſcripta. Quæſt. IV eſt: Qua in lingua libri Biblici ſint conſcripti? 33.
Quæſt. V: Quæ editio ſit Avthentica? aſſeritque, ſolam Vulgatam Latinam eſſe divinam, divinoque textui conformem; nam 34.
ut talem proponi ab Eccleſia Romana. Objicit: *Clemens VIII* ipſe in Præfatione fatetur, Vulgatam plures errores & nonnulla corrigenda continere, dum inquit: *Sicut nonnulla* 35.
conſulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, conſulto immutata relicta fuerunt. Sed regerit Autor, hoc intelligen-

ligendum de particulis Hebræis Amen, Alleluja, &c. quæ verti non potuerint. Objicit porro: Hebraicam editionem
Pag. 36. olim fuiſſe avthenticam, a Chriſto & Apoſtolis commendatam, imo ex ea Vulgatam eſſe verſam, quæ ita nec ipſa foret avthentica, noſque ad eam ab ipſo *Hieronymo* ſæpe remiſſos. Ibique diſtinguit inter nunc & olim. Olim fuiſſe textum Hebræum purum, hodie corruptum. Tandemque ita pro autoritate perorat: tam falſum eſſe, in Vulgata errores inveniri, quam falſum ſit, Spiritum Sanctum poſſe errare; nam Sanctam matrem, Eccleſiam, afflatam Spiritu S. ſolam Vulgatam Latinam, ut Avthenticam, & ut unicam noſtræ fidei normam, ac regulam
37. morum, proponere. Quæſt. VI: Ad quem ſpectet, Scripturæ ſenſum exponere? An cuilibet liceat? Reſp. Judicium de vero ſen-
38. ſu Scripturæ ſpectare ad Eccleſiam, in ſummo Pontifice ex cathedra loquentem, vel in Concilio generali. De ſacra Traditione Quæſitum 1 eſt: An præter S. Scripturam, ſeu verbum Dei ſcriptum, admittendæ ſint Traditiones, ſeu verbum Dei non ſcriptum? Affirmatur; quia non omnia, quæ ad fidem pertineant, imo plurima, nec aperte, nec obſcure in Scriptura S. contineantur expreſſa, qualia ſint de perpetua *B. Mariæ* virginitate, de auxilio Sanctorum impetrando, de conſecratione altarium templorumve, de abſtinentia a carnibus, ovis & lacticiniis, de veneratione imaginum, &c. Hinc traditiones Apoſtolico-divinas eſſe alteram ipſorum fidei regulam. Quibus fidem conciliare vult 1) ex dictis *Eccl. VIII, 11, Devt. XXIII, 7, Jer. VI, 16, & 2 Theſſ. II, 11;* 2) ex praxi Eccleſiæ; 3) ex Conciliis; 4) ex ſanctis Patribus. Argumenta in contrarium ſic ſolvuntur. Primum ex *Hieron. Cap.*
41. *XXIII Matth.* Quod in Scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua profertur. Reſp. *Hieronymum* his verbis non traditiones, ſed illorum opinionem, eliminare, qui ex libro quodam Apocrypho probare contendebant; *Zachariam*, inter templum & altare occiſum, fuiſſe patrem *Joannis Baptiſtæ.* Obj. 2, Scripturam prohibere traditiones *Devt. IV, 2:* Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neque auferetis ex eo. Ergo non eſſe admittendas. Reſp. prohiberi additiones, quibus alteretur aut corrumpatur verbum Dei,

Dei, non Papiſticas. Obj. 3 ex *Gal. I, 8*: Si quis evangelizaverit vobis præter id, quod accepiſtis,&c. Reſp. *præter* hoc in loco ſignificare *contra*. Obj. 4 ex verbis Chriſti: Quare & vos Pag. 42.
transgredimini propter mandatum veſtrum. Reſp. hoc tantum valere de Phariſæorum, non Papiſticis, traditionibus. Obj. 5, Scripturam eſſe ſufficientem; nam Chriſtum dicere *Jo. V*: Scrutamini Scripturas,& *Paulum* 2 *Tim. III*: Omnis Scriptura utilis &c. Ergo continere eam omnia,quæ ad ſalutem neceſſaria. Sed Autor,explicite continere, negat; implicite vero,dum etiam 43.
traditiones tenendas proponat, concedit. Quæſt. II: An ex traditione deſumi poſſit infallibile argumentum? Affirmatur; 1) nam divinam traditionem eſſe verbum Dei non ſcriptum,adeoque infallibilem, cum Deus mentiri non poſſit; 2) ex 1 *Cor. II*: Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. In his verbis *Paulum* traditiones tanquam innegabile medium adducere,ad convincendos eos, qui rationibus & Scripturæ autoritatibus reſiſtant. 44.
Quæſt. III: Quomodo diſcerni poſſit traditio humana & divina? Reſp. illam eſſe divinam,quæ ut talis ab univerſa Eccleſia credatur & defendatur, & tunc non eſſe divinam, quando initium traditionis reperiatur vel in Decretis Pontificum, vel in Con- 45.
ciliorum Canonibus, vel in Patrum Statutis. De Conciliis primo quæritur, quid ſit Concilium? Reſp. eſſe Prælatorum Eccleſiæ congregationem ad fidei controverſias definiendas, vel fidelium mores informandos, a legitimo capite 46.
convocatam. Quæſt. II: Quænam perſonæ convocari debeant? Reſp. ſolos Epiſcopos de jure; ex privilegio & conſuetudine autem etiam Cardinales, Abbates, Generales Ordinum; non vero laicos & Principes. Probatur id, quod, definire creden- 48.
da & agenda, proprium ſit Paſtorum, non laicorum. Ad argumentum in contrarium, a Concilio Apoſtolorum deſumtum, ubi dicitur *Act. XV, 6*: Convenerunt Apoſtoli & Seniores videre de hoc verbo, reſpondet, nomine ſeniorum non venire laicos, ſed primarios de clero. Deinde Apoſtolos interfuiſſe ut judices; nam *Jacobum* dicere: Propterea quod ego judico &c. ſeniores, ut conſultarent & inquirerent, ex verbis: & cum magna diſquiſitio fieret; plebem vero non fuiſ-

Digitized by Google

ſe vocatam, affuiſſe tamen, non diſputando, ſed audiendo, juxta illud: & tacuit omnis multitudo. Objicit porro ex *Matth.*
Pag. 49. *VII:* Attendite a falſis Prophetis. Ergo laicis convenire, judicare de fide, utpote qui ex officio teneantur diſtinguere falſam doctrinam a vera. Sed reſpondet diſtinguendo inter judicare diſcretive & poteſtative: hoc ſolis Prælatis, illud omni fideli convenire. Excipit, *1 Jo. IV:* probate Spiritus, injungi judicium deciſivum; ſed hoc negat, diſtinguens diſcretivum & deciſivum. Obj. Concilium generale univerſam Eccleſiam repræſentare; ergo ex omni genere hominum ad Concilium vocandos eſſe delectos. Reſp. Eccleſiam ſolis Epiſcopis repræſentari poſſe. Item obj. communem cauſam communibus agendam eſſe votis. Reſp. per inſtantiam ab exercitu, ubi ad omnes cauſa victoriæ ſpectet, ſed ducum ſit præcipere, militum pugnare. Ad quæſtionem: Quo jure Abbatibus & Ordinum Generalibus, jurisdictione in ſingulas orbis Eccleſias deſtitutis, conveniant ſuffragia deciſiva in Conciliis, dicit, quod non habeant ex jure, habere eos ex privilegio & largitione Eccleſiæ. Quæſt.
51. III: A quo convocanda ſint Concilia, & quale illorum legitimum ſit caput? Id quod ſoli Papæ, minime vero Cæſari, vindicat, quia ſolus Papa poſſit imperare Epiſcopis, ſupremamque habeat autoritatem. Nullum Concilium eſſe legitimum, niſi congregetur in nomine Chriſti ad *Matth. XVIII, 20:* ubi duo aut tres congregati &c. Quæ autoritas ſoli *Petri* ſucceſſori
53. commiſſa ſit his verbis: paſce meas oves. Argumenta contraria ſunt, multa Concilia ab Imperatoribus convocata absque conſenſu Pontificum, item Pontificum precibus ab Im-
55. peratoribus expetita, item *Conſtantinum Magnum* Pontificis Max. titulum ſemper retinuiſſe, in Concilio Præſidem fuiſſe, item in fronte Conciliorum a Patribus appoſita hujuscemodi verba: Sacroſanctum & Oecumenicum Concilium, autoritate Imperatoris congregatum &c. Quibus occurrit, reſpondendo, hæc quidem arguere Imperatorum protectionem, non vero autoritatem & jus convocandi, licet & hoc non aliter ac conſenſu Pontificis factum ſit. Objicit ulterius, non ſolum Papam, ſed & Epiſcopos, habere jus convocandi; nam *Act. VI* a

duo.

duodecim Apoſtolis convocata eſt multitudo. Reſp. Apoſtolos id præſtitiſſe autoritate *Petri*. Unicum tandem caſum excipit, quo Concilium convocari poſſit ſine Pontifice, nempe pluribus incertisque Pontificibus exiſtentibus. Propoſita etiam Quæſtione de Conciliorum origine, eam ſtatuit factam, cum Chriſtus interrogaſſet? Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Quod *Petrus*, tanquam futurum Eccleſiæ caput, inſpirante Spiritu S. reſolverit. Subnectit tandem Catalogum Conciliorum omnium, quæ diſtinguit in approbata & reprobata, vel ex toto, vel ex parte, vel manifeſte, vel minus. Quæſt. IV: An Concilium generale, ſeu œcumenicum, autoritate Pontificis confirmatum, ſit infallibile? Affirmatur, ut articulus fide catholica tenendus, cujus contrarium ſentientes Hæretici ſint. Idque ex dictis *Matth. XXVIII, 14*: Ecce ego vobiscum ſum; *Act. XV*: Viſum eſt nobis & Spiritui S. *Jo. XVI, 13*, & quia Eccleſia ſit infallibilis; ergo & Concilium. Si Concilium errare poſſet, ubinam illud eſſet: Qui vos audit, *me audit*. Inſuper, ſi Concilium erraret, talem errorem utique Chriſto tribui debere. Nam Concilium Eccleſiam ipſam repræſentare, quæ, cum corpus Chriſti ſit, a ſuo capite moveatur & regatur; ſi ergo erraret, talis erroris autorem Chriſtum eſſe. Fatendum ergo, Concilium generale, a Papa confirmatum, eſſe infallibile. Argumenta in contrarium attulit ex *Calvin. Inſt. Lib. IV Cap. IX §. 3*, ubi allatus eſt locus ex *Jeſ. LVI:* Speculatores ejus cœci omnes, omnes paſtores ignoraverunt intelligentiam, a primo uſque ad noviſſimum. Sed regerit Autor, omnes paſtores errare poſſe diſtributive & ſegregatos errore privato, non vero collective & ad Concilium congregatos. Nam Chriſtum non promiſiſſe cuilibet in particulari infallibilitatem, ſed congregatis in unum. Ad *2 Petr. II, 1:* Erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, Reſp. hic nihil de Conciliis inveniri, optime vero deſignari Lutheranos & Calviniſtas. Obj. Concilium Judæorum ex errore Chriſtum damnaſſe. Reſp. ideo factum, quia non ſecundum morem legitimi judicii proceſſerint, ſed tumultuaria conſpiratione; deinde, Chriſto præſente Concilia Judæorum potuiſſe

Pag. 56. 57. 62. 63. 64.

 errare,

Pag. 66. errare, non vero antequam veniret. Tandem objicit, Con-
cilia de facto erraſſe, vel falſa definiendo, vel contraria ponen-
do, ut iconoclaſtica; &, reſponſionis loco, negat, fuiſſe proba-
ta. Nec magis etiam ſe premi putat verbis Patrum, e. g. *Na-
zianzeni* Ep. ad Procop. Ego, ſi vera ſcribere oportet,
ita animo affectus ſum, ut omnium Epiſcoporum Concilia
fugiam, quoniam nullius Concilii finem lætum fauſtumque
vidi, aut quod depulſionem malorum potius, quam acceſſio-
68. nem & incrementa habuerit. Item *Auguſt. Lib. III c. Max.* Nec
ego Nicenum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præjudicatu-
rus proferre Concilium, nec ego hujus autoritate, nec tu illius
71. detineris. De Eccleſia Quæſtionum I reſpicit definitionem,
qua dicitur, Eccleſiam militantem eſſe cœtum, ſive evocationem
hominum viatorum baptizatorumque, qui inter ſe vera fidei
profeſſione & ſincera ſacramentorum communione colligen-
tur, ſub legitimo capite, Pontifice Romano, Jeſu Chriſti in
72. terris vicario. Hinc Quæſt. II: An homines peccatores ba-
ptizati, tenentes fidem Catholicam, ſub Rom. Pontifice
exiſtentes, ſint in Eccleſia militante? Affirmatur, de per-
ditiſſimis etiam peccatoribus, modo fidei teſſeram obſervent
73. ſub Pontifice Romano. Inter alia probare id vult ex *1 Cor. V*:
Auditur inter vos fornicatio, & talis, qualis nec inter gentes.
Eſt in hac Quæſtione Autor prolixior; non pœnitet tamen,
inquit ipſe *pag.* 78 ſub finem, quoniam oportuit & me ipſum
74. tueri. Ad Obj. peccatores nec Spiritu Dei agi, nec eſſe filios
Dei, nec membra Chriſti, aut cum eo uniri, dicit, licet non
reſpectu ſanctificationis & caritatis, tamen reſpectu fidei & ba-
75. ptiſmatis, ea omnia eſſe. Quæſt. III: An non baptizati Catechu-
meni ſint de Eccleſia? Negatur. Ad inſtantiam, quod Ca-
techumenus, deſiderans Baptiſma, cum moriatur, ſalutem acqui-
rat, ideoque Eccleſiæ membrum ſit, excipit, eum ſalvari tan-
82. tum in caſu extremæ neceſſitatis. Quæſt. IV: Num Hæretici
ſint in Eccleſia? Negatur; nam Spiritum Chriſti non habere
Hæreticos. Obj. Hæreticos eſſe baptizatos, Baptiſma autem
86. conſtituere hominem in Eccleſia Romana, ſi conjunctum ſit
88. cum fide. Quæſt. V: An ſchiſmatici ſint de Eccleſia? Negatur.
Obj.

Digitized by Google

Obj. eſſe tamen fideles, cum eandem fidem ſervent, & peccatores, quanquam magni & improbi, ex ipſorum conceſſione, ſint de Eccleſia. At excipit, obſervantiæ, quæ capiti debeatur, negligentes eſſe ſchiſmaticos, & hinc eſſe diſparitatem. Si quis inſtet, licet ſchiſmatici Pontifici ſubeſſe detrectent, velle tamen ſubeſſe Chriſto, & cœleſti Eccleſiæ communicare, obvertit, hoc eſſe impoſſibile, quoniam, qui non ſubſit Pontifici, nec a Chriſto capite habeat fidem, nec ſufficere, credere, Chriſtum eſſe caput inviſibile Eccleſiæ. Quæſt. VI, de notis Eccleſiæ, aſſerit, Romanam eſſe unam ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam. Pag. 90.
Quæſt. VII: An Eccleſia ſit ita infallibilis in rebus fidei & morum, ut certum præbeat Theologo argumentum? Affirmatur de Rom. Catholica; quia Chriſtus ſit ejus caput; quia columna & firmamentum veritatis *1 Tim. III*; alias errores Eccleſiæ Chriſto tribui deberent; atqui hoc impium aſſerere. Ergo impium, aſſerere Eccleſiam fallibilem. Cur vero, objicit, a Papis, ut *Innocentio III*, Concilia ad reformandam Eccleſiam convocata? *Reſp.* non ad reformandam doctrinam univerſalis Eccleſiæ, ſed quarundam perſonarum. Obj. 2, exprientiam teſtari, Eccleſiam erraſſe, dum parvulis Evchariſtiam dari juſſerit. Autor vero negat, eſſe errorem, quamvis jam conſultius, ſancitum illud omittere. Obj. 3, Eccleſiam Romanam multa ſanciviſſe Scripturæ & præceptis *Chriſti* contraria, ut prohitionem matrimonii, communionesque ſub utraque ſpecie. Reſpondet, textus male adduci, & falſum omnino eſſe, hæc prohiberi. In verbis: Qui edit & bibit, & conjunctivum pro *aut* disjunctivo eſſe accipiendum. Hic ſubnectit ſeriem Hæreticarum ſectarum, de quibus ex domeſticis judicat principiis. De Romano Pontifice Quæſt. I: An ſummus Pontifex ſit legitimus D. *Petri* ſucceſſor in Eccleſiaſtica Monarchia? Affirmatur ex *Matth. XIV*, ubi nomine petræ non Chriſtus, ſed *Petrus* ſit intelligendus, cui Pontifex legitime ſuccedat, quia Eccleſiæ ad finem mundi duraturæ facultas ſit data eligendi ſucceſſorem, & jam Papa eundem primatum, munus, & autoritatem habeat, id quod probent Concilia & Patres. Objici quidem ſilentium Scripturæ de ſucceſſione *Petri*; at, ſi non explicite, im-

Margin: 92. 95. 96. 104. 106.

 pli-

plicite tamen, eam adeſſe *Matth. XVI.* Item, ſi Pontifex eſſet legitimus *Petri* ſucceſſor, debere eum ſuccedere illi in Apoſtolatu; ſed reſpondetur, quamvis non ſit Apoſtolus ad ſcribendos libros ſacros, eſſe tamen ad fundandas Eccleſias, fidemque propagandam. Obj. eandem poteſtatem tribui Epiſcopo Alexandrino a Conciliis; ſed limitat, prout Romanus eſt Epiſcopus, non prout
Pag. 109. eſt Pontifex. Quæſt. II: An Pontifex ſit infallibilis ita, ut in rebus fidei & morum decernendis errare non poſſit? Affirmatur, non ſolum eum in Concilio generali, ſed etiam extra Concilium, dum docet & definit res fidei & morum, eſſe infallibilem. Nam *Petrum* fuiſſe infallibilem ex interceſſione Chriſto pro
113. *Petro* exaudita *Luc. XXII* & *Matth. XVI.* Opponitur, Pontifices erraſſe, quin *Petrum* erraſſe, abnegando Chriſtum, & regeritur, non ut Pontificem, ſed ut privatam perſonam, erraſſe;
114. item *Marcellinum* idolis adoleviſſe; ubi dicit Autor, peccaſſe quidem contra externam fidei confeſſionem, ſed ex fidei externæ defectione non ſequi, aliquem interne eſſe Hæreti-
115. cum. Ulterius affert, Liberium Arianæ Hæreſi & condemnationi *S. Auguſtini* ſubſcripſiſſe; dubiumque ſoluturus, licet, inquit, quoad poſterius injuſte fecerit, non tamen ex infidelitate.
116. Nam cauſam *Athanaſii* non fuiſſe cauſam fidei. Allato etiam dubio, *Honorium* fuiſſe monothelitam, occurrit dicendo, non fuiſſe Hæreticum, ſed de Hæreſi accuſatum. In eo fuiſſe *Honorium* defectuoſum, quod diſſimulaverit, non peccaverit tamen, in
118. fide. Concludit tandem hunc in modum. Addant, quæcunque velint, nunquam probabunt, Pontificem, ex cathedra definientem, eſſe fallibilem, quamvis de aliquo, ut perſona privata, errores afferre valeant. Loquitur vero ex cathedra, quando loquitur ut Pontifex, nempe autoritate ſuprema, ubi hac uti ſolet for-
119. mula: noſtra & Apoſtolicæ ſedis autoritate. Quæſt. III: An Pontifex errare poſſit in Canonizatione Sanctorum? Negatur;
121. nam ex cathedra loquentem eſſe infallibilem. Si objicis, niti teſtimonio hominum, quod fallibile ſit, &, qui nitatur fallibili teſtimonio, ipſum fallibilem eſſe; regerit, teſtimonium hominis ſe habere tantum ut diſpoſitionem requiſitam ad hoc, ut maturo conſilio & prævio examine ſe diſponeret

ad

ad motionem Spiritus Sancti recipiendam. Quid? quod *Auguſtinus* vero dicat: Multa corpora Sanctorum venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in inferno. Reſp. *Auguſtinum* loqui de iis, qui vulgo Sancti æſtimentur, ut *Lutherus* a *Lutheranis*. Quæritur IV: An ſit de fide, hunc Pontificem, legitime electum, eſſe verum Pontificem. Affirmatur, quia Eccleſia hoc ut de fide credendum proponit, & oppoſitam ſententiam ut Hæreticam contemnit. Sequitur tandem Catalogus Romanorum Pontificum. De autoritate ſanctorum Patrum quærit, quomodo Theologo infallibile præbeat argumentum? Reſp. omnes ſimul convenientes in fidei dogmate eſſe infallibiles. Excipit: Singuli ſeorſim ſumti non ſunt infallibiles; ergo nec conjunctim. Nam ſunt illi iidem conjunctim, qui ſigillatim. Reſp. infallibilitatem Chriſtum ſingulis non promiſiſſe, bene vero omnibus conjunctim ſumtis. Annectitur iterum Catalogus Patrum. De autoritate Scholaſticorum ſtatuit, unanimem illorum conſenſum etiam firmum & indubitatum præbere argumentum. Ad Objectionem, inter Scholaſticos mera diſſidia, factiones & ſophiſmata regnare, reſpondet, tunc non eſſe Theologos, &, ſi hæc audiantur, errorem Theologorum, non Scholaſticæ eſſe diſciplinæ. De ratione naturali ſtatuit, rationes naturales, quæ principia naturalia includant, certum præbere Theologo argumentum. Hiſtoriam autem humanam, dummodo a Scriptoribus fide dignis conſcripta ſit, probabile præbere argumentum: quodſi vero omnes conſentiant, tunc fore firmum. Objicit, Hiſtoriæ fidem labefactari ex eo, quod ſtatuat, Magos ex Oriente fuiſſe Reges, quod multis hodie rationibus negetur. Sed reſponſionis loco Autor, ſe malle humana fide errare, quam cum poſterioris ſententiæ defenſoribus ſapere, ipſe fatetur. Quæ verba veriſſime in eum convenire, in toto hoc Tractatu abunde comprobavit. Et plurima hæc, quæ ex eo excerpſimus, ſpecimini eſſe poſſunt, quantum ex humana fide errari poſſit in rebus ſpiritualiter dijudicandis. Ceterum tanti a Profeſſoribus Patavinis hoc Opus, in quo ob rationum momenta adverſariorum objectiones prorſus enervatæ concidant, exiſtimatur, ut uno ore vo-

Pag. 122. 125. 128. 130. 131. 132. 134. 136.

ta

Digitized by Google

ta pro abſolvendo hoc Opere nuncupent: ne pictum jam in hoc Opere Theologiæ caput partes unquam ſuas deſideret. Timendum enim eſſe, pronuntiant, ne idem, quod venuſtiſſimum Veneris caput, ab *Apelle* depictum, infortunium ſubiret, cujus poſt funera qui reliquum corpus perficeret, & pro capitis dignitate elaboraret, inventus ſit nullus.

FR. JOS. VICTORII ZAMBALDI, ORD. S. Hieron. Congreg. B. Petri de Piſis, S. S. Theol. Doct. & Patavii Lectoris, Quæſtiones Proœmiales ad univerſam Theologiam Scholaſtico-Dogmaticam, quas & ſe ipſum J.C. D.D.D.

Patavii, typis J. B. Conzatti, 1722, 4.
Plag. 6.

Studioſis Ordinis ſui inſerviturus, has publice prælegendas Quæſtiones typis mandari curavit Autor. Quarum prima eſt: An præter ſcientias naturales detur ſcientia revelata, quæ Theologia vocatur? Quam affirmat, & Theologiam deſcribit per cognitionem, ſeu doctrinam de Deo, rebusque divinis, ex principiis revelatis, ab ipſo Deo hominibus viatoribus deductam. Quæſt. II eſt: An Theologia Poſitiva ſpecie differat a Scholaſtica? Cui Quæſtioni anſam dedere domeſtici, & quidem non mediocris notæ, Theologi, autumantes, Theologiam Scholaſticam eſſe inſipidam, nulliusque fere argumenti, contra quos, tanquam cum *Luthero* & Heterodoxis conſentientes, adſtruere tentat, Theologiam poſitivam non differre ſpecie a Scholaſtica; quia utraque easdem veritates tradat, & easdem difficultates pertractet; ſed accidentaliter ſolum & in methodo differre. Ad Objectionem, Theologiam poſitivam Jus divinum tantum conſiderare, Scholaſticam vero aliis argumentis litigare, regerit, cum Jus divinum, ſive ſcriptum, ſive traditum, ſæpe dignoſci nequeat, & ob traditiones, quas continet, ſubinde obſcurum fiat, inde neceſſum eſſe, ut Theologia poſitiva Patres

Pag. 6.

Digitized by Google

Patres & Theologos conſulat, & ex illis poſtea argumentando ſuas concluſiones confirmet, ſuadeat, ac illuſtret. Sed Scholaſtica, opponit, utitur principiis naturalibus, poſitiva vero nunquam; jam ex diverſitate principiorum ſpecificam argui ſcientiarum diſtinctionem. Reſpondet diſtinguendo, quod ſit primario & per ſe, & quod ſecundario & per accidens ſit; item hanc eſſe Theologi, non vero Theologiæ, methodum. Tertia Quæſtio eſt: An Theologia Scholaſtico-Dogmatica ſit neceſſaria Eccleſiæ & fidelibus ad ſalutem æternam aſſequendam? Quæ, Lutheranis oppoſita, illam pro inani fallacia & profana Theologia traducentibus, ita deciditur, ut aſſeratur, illam abſolute neceſſariam eſſe S. R. Eccleſiæ ad defenſionem fidei contra inimicos veritatis. Id quod probatur exemplo Chriſti, qui *Matth. XXII, 42, 43, Marc. XII, 13,* etiam egerit Scholaſticum. Et tunc eſſe facultatem inferendi concluſiones ex articulis fidei. Sin autem ſumatur pro cognitione Dei; ſimpliciter neceſſariam eſſe cuique adulto. Quodſi vero tandem ſignificet artificioſam methodum ſpeculandi elucidandique veritates fidei, tunc nec Eccleſiæ, nec fidelibus, eſſe ſimpliciter neceſſariam, etſi omnino perutilem. Inter objectiones, quas ipſe ſibi formavit, ſequens etiam habetur: Si daretur aliquis nutritus in ſylvis, qui ſolo ductu rationis bene viveret, nullamque prorſus cognitionem haberet, aut habere poſſet, utpote ab hominibus ſegregatus, an talis poſſet ſalvari, nec ne. Neutrum poteſt dici. Nam, ſi ſalvatur, cadit doctrina Scholaſtico-Dogmatica. Si non ſalvatur, Deus eſt acceptor perſonarum. Reſp. in tali hypotheſi Deum vel angelum miſſurum, vel per internas revelationes illuſtraturum. Quodſi Hæretici objicerent, Scripturam S. per ſe lucidam & apertam, ergo explicationem Scholaſticam non eſſe neceſſariam, reſpondet negando, & obſcuram eſſe perhibet. Sin ulterius objiciant, Theologiam Scholaſticam ad fidem eſſe pernicioſam & inanem, in quam quadret Divi *Pauli* ad *Coloſſ. II:* Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam; nam plus inquiri humano judicio in res fidei, quam ipſa fides declaret; tunc reſponſionis loco regerit, *Paulum* agere de

Pag. 7.

9.

11.

15.

16.

Pag. 20. inani Philoſophia, non de vera & naturali. Secundæ diſputationis Quæſtio prima eſt: An Theologia ſit proprie & vere
26. dicenda ſcientia; id quod affirmatur. Sed objicit: ea, quæ Theologus credit, non poteſt ſcire. Actus enim fidei eſt obſcurus, ſcientiæ vero evidens. An itaque poſſunt fides & ſcientia ſimul ſtare cum eodem objecto? Reſpondet autem, quamvis non eodem actu, bene tamen eodem intellectu. Non enim implicaret, credo, Dei exiſtentiam, quia eam fides mihi proponit credendam, & ſcio Dei exiſtentiam, quia ex mediis
31. demonſtrationis colligo. Altera Quæſtio eſt: An Theologia ſit ſcientia practica, vel ſpeculativa; ubi defendit, eſſe practicam. Objectioni, Deum non eſſe objectum operabile, occurrit, diſtinguendo ita, quamvis non ſit objectum operabile en-
36. titative, directive tamen & terminative. Ubi coronidis loco inquirit, quodnam ſit objectum Theologiæ; quod ſtatuitur ipſe Deus, & objectum formale Deus revelatus.

J. C. HARENBERGII, R. G. DEMONSTRATIO de Ratiocinatione, Syllogiſmi experte, ad logomachias referenda, vel ſupervacuis inventis annumeranda.

§. I. Si qua propoſitio, ſi quod judicium, affirmatione aut negatione continetur, ita, ut ratio ſuccurrat affirmationis vel negationis ſufficiens; eo ipſo ratiocinationi eſt locus. *Rationem* hanc nonnulli recentiorum vocant *prædicationis*, indubie appellationem ex uſu & officio rationis hujus mutuati. Ratio enim hæc eſt illud, unde intelligitur diſtincte, cur hoc vel illud prædicatum ſubjecto conveniat, aut diſconveniat. Quæ ipſa ratio conſtituit ideam unam; ſubjectum propoſitionis efficit ſecundam: prædicatum vero tertiam. Unde accidit, ut plerique definiverint ratiocinationem per actum finiti intellectus, quo propoſitio tertia de re, ſub intellectum cadente, enuntiatur, ob cognitas de eadem duas propoſitiones alias, communem notionem habentes. Niſi enim dari poſſit *ratio*, cur prædicatum ſubjecto conveniat, vel diſconveniat, ratiocinabi-

nabimur citra rationem. Quod quidem & uſui vocis & rei ipſi repugnat.

§. II. Sunt, qui exiſtimant, hanc ratiocinationem in ſola ſubſumtione invenire locum. Per *ſubſumtionem* intelligimus vulgo applicationem propoſitionis univerſalis ad particularem & ſingularem. Verum, ſimulatque vox *ſubſumtionis* ita ſumitur, experientiæ ipſi itur obviam. Quis enim ignorat, dari quoque Syllogiſmos, in quibus concluſioni univerſali duæ propoſitiones præmittuntur, loco rationis, univerſales?

§. III. *Demonſtratio* equidem *latius patet*, *quam ratiocinatio.* Demonſtratio enim eſt indicium, quo innoteſcit veritas vel falſitas propoſitionis. Indicium illud nititur nunc experientia propria, nunc teſtimonio, ſeu experientia aliena, nunc ratiocinatione, nunc ſimilitudine, nunc identitate. Ratiocinatio proinde eſt demonſtrationis ſpecies. Ad identitatem refero hæc: $4+5=9$, $10-8=2$. Huc quoque pertinent Philologorum ſynonyma. Ad æqualitatem, ſeu ſimilitudinem, refero habitudines easdem denominatorum ad numeratores ſuos in doctrina fractionum. In proportionalibus eadem dominatur ſpecies demonſtrationis. Similia ſunt: $\frac{1}{2}$ $\frac{4}{8}$ $\frac{8}{16}$. Similia ſunt $1:3=6:18$. Item $1:6=3:18$. Item $3:1=18:6$. Item $6:1=18:3$. Objici quidem poteſt, quartum numerum, vel alium quendam in proportionalibus inveniri & poni ob rationem, quæ contineatur in datis numeris tribus vel pluribus. Verum, utprimum regulæ proportionum diſcretarum, imo continuarum, ad ſpeciem fractionum revocantur, tum innoteſcit eorum fundamentum, quod in ſola conſiſtit ſimilitudine denominatorum ad numeratores. Si tres fractiones ſint propoſitæ in regula proportionum, ut quarta innoteſcat fractio; tum fractio, diviſorem repræſentans, invertitur, ac multiplicantur ſinguli numeratores, ſingulique denominatores. In integris terminus ſecundus fit denominator numeri primi, terminusque tertius fit numerator termini quærendi quarti. Eo ipſo pateſcit, identitatem eſſe proportionis fundamentum, ad quam id, quod diverſum apparet, facile reducitur. Si quibus volupe eſt, demonſtrationem cum ratiocinatione confundere &

Digitized by Google

permiſcere, hi, opinor, novum architectantur vocabulorum uſum. Si ſinguli mortalium porro, eandem ſibi patere li- centiam, arbitrabuntur, brevi eo miſeriæ perveniemus, ut alter alterius cogitata aſſequi non poſſit, niſi pro ſingulis exſtet liber nomenclaturarum & Lexicon philoſophicum.

§. IV. Inficiari nolim, *Ariſtotelem Analyt. prior. Lib. I Cap. 1.* Syllogiſmum, ſeu ratiocinationem, ſic definiiſſe, ut definitio laxior ac capacior ſit definito. Quid vero *Ariſtoteles* & *Ariſtotelici*, ceterique Logici, uſum vocis a teneris edocti, intellexerint per Syllogiſmum, id optime omnium ex ea diviſione & pertractatione conſtat, quam iidem de Syllogiſmo inſtituerunt.

§. V. In vocibus, ſeu terminis, enucleandis incidimus in propoſitiones, quarum ſubjectum vel prædicatum, ſæpius utrumque, termino exprimuntur, qui nobis obtutu primo eſt incognitus. Poſteaquam vocabularia, vel exegetica ſubſidia, adhibemus, voces cum ideis conjungere incipimus. Nexus ejusmodi cogitationum, qui eſt inter vocem & ideam, pertinet ad ſpecies nexuum, qui intercedunt ſignum inter & ſignatum. Nexus hi ſunt vel naturales, & certa ſub lege neceſſarii, vel ad arbitrium ſignantis referendi. Quamdiu nexus iſti ſunt certi & vagi; a ſigno generatim ſumto ad hoc & illud ſignificatum, atque a voce, extra complexum orationis conſtituta, ad ideam ſignatam, concludi poteſt. Si per ſubſumtionem argumentamur, ratione ad nexus hoſce habita; ratiocinationis genuinæ ſpecimen editur. (*§. 1, 2.*) Sin vero enuntiationem ſic formes, ut ſignum & ſignatum unico complectaris judicio; tum præter unicam propoſitionem nil cogitatur, vel effertur, ac ipſa omittitur ratio, cur idea una cum altera jungatur, vel ab altera ſejungatur. ***Ratiocinationem*** vocare ***verbalem,*** ubi prædicati omittitur ratio, eorum eſt, qui propoſitionem unam ratiocinationis nomine dignantur. Objicis quidem, exſtare rationem, cur aliquis ope Lexici transferat voces hoc potius, quam alio, modo. Sed quis adeo foret excors, ut hoc pacto non ſubodoretur, ſubeſſe ratio-

tio-

tionem translationi hanc potiſſimum, quæ ex genuino vocum ſignificatu, quem Lexicon præbuit, deſumitur.

§. VI. Datur facultas eruendi propoſitionem univerſalem e particulari una vel altera, quemadmodum ex idea ſingulari formamus notionem univerſalem. Regulæ ſyllogiſticæ vetant, quo minus a particulari ad univerſale ratiocinemur. Nihilominus largiri debemus demonſtrationem, a particularibus propoſitionibus ad ponendas univerſales progredientem. At ſingularia ac particularia ſunt fœcunda univerſalibus, quæ complectuntur; & univerſalia rurſus continent ſingularia & particularia. Quod hæc ita re ipſa ſeſe habeant, intellectui divino eſt tribuendum, qui in ſingulis perſpicit univerſa, & ſingula; quæ exiſtunt, ſuis finibus aptavit, fineſque porro particulares ad unum, eumque univerſaliſſimum, finem diſpoſuit. Idcirco facile patet, ineſſe ſingulis communem habitudinem ad finem ultimum. Hæc ſimilitudo efficit, ut ſingularia, tum quæ exiſtunt, tum quæ exiſtere poſſunt, fœta ſint univerſalibus, & u*niverſalibus* nitantur regulis, regularumque limitationibus. Unde facillimo perſpicitur negotio, argumentationi ei, per quam ex propoſitione ſingulari vel particulari elicitur univerſalis, ineſſe rationem univerſalem, quæ, latens in propoſitione ſingulari ac particulari, ſuppeditat fundamentum, per quod determinatur prædicati poſſibilitas ex notione ſubjecti. Cum enim dentur propoſitiones particulares, quibus ineſt veritas, & veritas citra ordinem, ordo autem citra ſimilitudinem, quæ ineſt poſitivis coexiſtentibus & invicem ſuccedentibus, cogitari ponique haud poſſit; eam ob cauſam univerſale ſemper inhæret ei, quod eſt ſingulare & particulare. Et hac ratione datur *ratiocinatio* a particulari ad univerſale ob præmiſſum & ſubſtratum id, quod latiori univerſalitate eſt præditum. Illuſtrabimus rem exemplo. In Codice *Moſis* obvia eſt hæc propoſitio: *Os bovi trituranti non eſt præcludendum.* Propoſitio hæc eſt ſingularis. Ubi vero ad rationem legis, quæ in officio hominis erga ſemet & uſum, ex bove capiendum, conſiſtit, attendimus; progredi datur ad propoſitionem hanc generalem: *Id, quod nobis & per nos aliis uſum præbet, conſer-*

vandum eſt. Præcluſio enim oris bubuli eſt ſpecies nutritionis denegatæ & conſervationis impeditæ; trituratio autem, quam bos præſtat, eſt ſpecies emolumenti. Hoc pacto locus eſt Syllogiſmo in applicanda hac regula generali jamjam inventa. *Paulus*, (*) hac regula uſus, ex dicto *Moſis* allato concludit dextre, mercedem dandam eſſe Eccleſiaſtæ, vitæ ſervandæ accommodatam. Unde patet, unam ſenſus myſtici ſpeciem eſſe *conſequentialem*. Et, quia partes diviſi debent eſſe diſparatæ, eapropter altera ſenſus myſtici ſpecies erit *non-conſequentialis*. Poſterior non pendet ex propoſitionis unius nexu univerſaliori cum propoſitione altera ſingulari. Quid proinde reſtat, niſi ut poſterior ſenſus myſtici ſpecies ab interpretatione conditoris oraculorum ſacrorum, ſeu ex toto, ſeu ex parte, pendeat. Addo illud: *ex parte*, eo quod pars ſigni, quod ſignato ſat congruit, debite intellecta, clavem ſuppeditat, per quam reliquam quoque partem recludere, ac legitime exponere poſſumus, ſimul ac ſignatum innotuerit. Senſum non-conſequentialem vocamus etiam typicum. Verba & propoſitiones ſeſe ad ideas denotandas habent, ut ſigna ad ſignatum. Signa porro ſunt vel naturalia, vel ex arbitrio ſignantis dependentia. Quæ cum ita ſint, ſenſus myſticus duobus eruendus eſt ſubſidiis, ſeu conſecutione logica, ſeu declaratione typi divina. Iis, qui in Theologia myſtica, typica & prophetica, deſudant, hæc obſervatio uſui erit non contemnendo. Veteres Exegetæ, hiſce criteriis deſtituti, riſui exponebant ſenſum myſticum, eumque commiſcebant cum qualicunque ſimilitudine & allegoria ſacra. Judæi, præcipue inter eos *Eſſæi*, crepabant expoſitiones myſticas, easque מדרשין & דרשות dicebant. Ab hiſce cacoethes expoſitionum earum irrepſit in Eccleſiam Chriſtianam. Obtentum iis nomen γνώσεως ſplendidum. Quod ipſum intelligitur ex *1 Cor. VIII, 1*, *1 Tim. VI, 20*, *2 Petr. I, 6*, ac ex Epiſtola, *Barnabæ* attribui ſolita, *pag. 18, 42, 44, Tom. I Patrum Apoſtol. Cotelerii.*

§. VII. Dantur propoſitiones, in quibus prædicatum cum ſubjecto permiſceri, unumque alteri poteſt ſubſtitui. Fieri hoc licet

(*) Conf. *Conſtitut. Apoſtol. Lib. II Cap. 25.*

licet definitum inter & definitionem, ſubjectum inter & concretum attributi eſſentialis, aliisque in momentis. Ita dicimus: figura, quatuor lineis rectis æqualibus totidemque angulis rectis terminata, eſt quadratum: & quadratum eſt figura quatuor lineis rectis æqualibus totidemque angulis rectis terminata. Sic Deum dicimus eſſe ſubſtantiam infinitam, nec minus recte pronuntiamus, ſubſtantiam infinitam eſſe Deum. Cum autem ſubjectum & definitio ejus genuina ſecundum rem ipſam non poſſint diſcerni; quivis facile perſpicit, idem exprimi vocibus diverſis, quæ idem denotant, nec majorem in datis exemplis apparere differentiam, quam ea eſt, quæ intercedit inter viginti & *20*: inter *20* & *40* diviſa per *2*: inter *8* & *5+3*. Hactenus ceſſat ratiocinatio. Ut autem nominatim in caſu dato noris, propoſitionem aliquam eſſe convertibilem; regula opus eſt univerſali, ejusque ad caſum datum applicatione. Quo ipſo docemur, in dato caſu propoſitionis hujus vel illius convertibilis locum eſſe ratiocinationi.

§. *VIII.* Exiſtunt ideæ & nomenclaturæ tantundem valentes, quarum una alteri citra Syllogiſmi applicationem poteſt ſubſtitui. In nomenclaturis illa *æquipollentia* vocatur *ſynonymia*; in ideis vero *ſynideia*. Sic οὐρανὸς eſt cœlum, & $4+20=24$. In hiſce, generatim ſumtis, abeſt ratiocinatio. Cum vero ratio ſit præſto, cur ſigno huic & illi ea ſit poteſtas, qua pollet; hoc ſenſu etiam in *æquipollentibus* valet demonſtratio.

§. IX. Inſtas, falſum eſſe, quod ratiocinationi tum demum locus relinquatur duntaxat, cum ratio patet, cur prædicatum in dato caſu adjiciatur, per affirmationem aut negationem, cuidam ſubjecto. Objectionis nervus latet in eo, quod dentur Syllogiſmi, in quibus ratiocinatio per terminos quatuor perficiatur. Memini utique, ſummos eſſe Philoſophos, qui jubeant, duos ſimul novos aſſumi terminos, alterum ex prædicato, eosque inter ſeſe conjungendos eſſe velint. At vero ejusmodi ratiocinatio eſt ex gemino trium terminorum Syllogiſmo utique conflata. Speciminis loco ſuffecerit exemplum, a Viro, quondam præſtantiſſimo, allatum. Id ſic habet: *Quicunque affectibus indulget, male judicat. Voluptuoſus affectibus indulget.*

dulget. Ergo voluptuoſus male judicat. Ergo voluptuoſus ratiocinatur male. Quivis ſubodoratur, adeſſe ſubſumtionem geminam, ideoque geminum Syllogiſmum. Quare enim voluptuoſus male ratiocinatur? En rationem: *male judicat.* Quare porro judicat male? In medio eſt ratio: *affectibus indulget.* Duo autem medii termini duos fundunt Syllogiſmos §. I), eosque in præſens ſic inſtituendos: *Quicunque affectibus indulget, is male judicat.* A. *Omnis voluptuoſus affectibus indulget.* E. *Omnis voluptuoſus male judicat.* Et porro: *Quicunque male judicat, is male ratiocinatur.* A. *Omnis voluptuoſus male judicat.* E. *Omnis voluptuoſus male ratiocinatur.* Habes ita Syllogiſmos duos in prima figura, & quidem in modo *Barbara.*

§. X. Quando ex indole generis cognita innoteſcit ſpecies, quæ ſub genere eodem continetur: nec minus ex ſpecie innoteſcit, quid illi individuo inſit, nec ne, quod eadem continetur ſpecie; tunc ad minimum tres innoteſcunt ideæ, & ex eis oritur veritatum diverſarum connexio per Syllogiſmum catagoricum. Sunt, qui perhibent, ratiocinationes dari, quas ad Syllogiſmi carceres revocare nequeas: alias quidem ad catagoricum reduci poſſe; alias ne quidem ad quemcunque poſſe inflecti. Quantum ad prius attinet, objectantur Syllogiſmi hypothetici & dilemmata; quantum ad poſterius, obvertuntur ratiocinationes, mathematica nominatim, idealis, eaque objectiva, comparativa, verbalis, & practica. Videamus igitur, quid veri ſubſit, vel ſubeſſe objectionibus poſſit.

§. XI. Eſt, opinor, qui, hypotheticum ſyllogiſmum ad catagoricum primæ figuræ reduci poſſe, negat, uſus quidem exempli gratia hoc hypothetico: *Si ſenſus fallunt, tum in cognitione humana nulla exſtat certitudo.* A. *Verum eſt prius, ſecundum dogmata nonnullorum.* E. *Verum quoque eſt poſterius, ſecundum dogmata nonnullorum.* At, ſi reſpondere licet, pauca, eaque ſic conformata, profero. Ubi adeſt medius terminus, ſeu ſuppeditata ratio, cur concluſio locum inveniat; ibi ſemper Syllogiſmo catagorico eſt locus, ſiquidem dictum de omni & nullo in cenſum venit. Exemplo illuſtrabimus

ſenten-

Digitized by Google

ſententiam, quam tuemur. Sumemus propoſitionem: *In cognitione humana, ſecundum dogmata nonnullorum, nulla datur certitudo.* Prodit hinc Syllogiſmus catagoricus: *Quicquid innititur ſenſibus hominum, quatenus fallacibus, id eſt incertum.* A. *Omnis cognitio humana innititur ſenſibus hominum, quatenus fallacibus, ſecundum dogmata quorundam.* E. *Omnis cognitio humana eſt incerta, ſecundum dogmata quorundam.* Habes ita Syllogiſmum primæ figuræ in Barbara. Viſne eundem in *Darii?* En typum: *Quicunque ſenſus habent pro fallacibus, iidem cognitionem humanam, ſenſibus innixam, habent pro incerta.* A. *Quidam ſenſus habent pro fallacibus.* E. *Quidam cognitionem humanam, ſenſibus innixam, habent pro incerta.* Ajunt porro nonnulli, hunc Syllogiſmum hypotheticum non poſſe reduci ad catagoricum: *Si ſol movetur in ecliptica, tempeſtas ſtata variari debet.* A. *Verum eſt prius.* E. *Verum quoque eſt poſterius.* Sed, obſecro, cur tempeſtas ſtata variat? Succurrit ratio determinationis prædicati ex notione ſubjecti: *Tempeſtas ſtata dependet a ſolis motu, optice variabili intra eclipticam.* Emanat igitur hinc Syllogiſmus catagoricus hunc maxime in modum: *Quicquid dependet a motu ſolis, qui fit in ecliptica, id ipſum debet variare.* A. *Tempeſtas ſtata dependet a motu ſolis, qui fit in ecliptica.* E. *Tempeſtas ſtata variare debet.* Intererat videlicet nonnullorum, ne in poſterum Latine prælegerentur Scientiæ Academicæ, nec Syllogiſmi adhiberentur diſputationibus catagorici. Acceſſit novitatis ſtudium, imperitiæ incruſtatum ac impoſitum. Hinc illæ lachrymæ!

§. XII. Ut oſtendatur, dilemmata ad Syllogiſmum catagoricum reduci non poſſe, ad varia decurri ſolet exempla. Repeto illud: Ubi medius terminus concluſionem fundat, ibi locum habet Syllogiſmus catagoricus. Affertur dilemma, reductionis impatiens, ejusmodi: *Aut bene locutus ſum, aut male.* A. *Ponitur prius.* E. *Tollitur poſterius.* At quare minus male locutus? nonne eo, quod bene? Ergo en catagoricum: *Qui bene locutus eſt, non eo ipſo ſimul male locutus eſt.* A. *Ego bene locutus ſum.* E. *Non ego eo ipſo ſimul*

 mul

mul male locutus ſum. Quocirca pateſcit, ratiocinationes genuinas, quas vocant *per oppoſitionem*, Syllogiſmos fundere catagoricos. Dabimus aliud exemplum, a Viro ſummo in adverſam partem propoſitum. Eſt illud hujuscemodi : *Sol lucet lumine, aut proprio, aut alieno.* A. *Tollitur poſterius.* E. *Ponitur prius.* En catagoricum : *Quicquid lucet, lumine non aliunde accepto, id lumine lucet proprio.* A. *Sol lucet, lumine non aliunde accepto.* E. *Sol lumine lucet proprio.* Mirabuntur exteri, exiſtere Viros ſummos e Germanis, qui contendunt, dilemmata & ratiocinationes, per oppoſitionem factas, ad Syllogiſmos catagoricos reduci non poſſe.

§. XIII. In demonſtratione mathematica reſpicimus ad definitionem matheſeos, tum puræ, tum mixtæ. In pura progredi licet uſque ad propoſitiones identicas, quæ axiomatum nomine veniunt ſecundum nonnullos. Ea de cauſa demonſtratio mathematica, quæ ad matheſin puram referenda eſt, ſæpius tandem reſolvitur in propoſitionem identicam & æquipollentes ideas (*§.3,7,*). Qui ratiocinationes admittunt citra ideam tertiam, quæ medium terminum præbet propoſitioni, ex duabus ideis diſtinctis compoſitæ ; ii hic habent campum, in quo excurrant (*§. 3*). Iidem tamen permittent, ut, cum ipſi ratiocinari velint citra rationem prædicationis ſufficientem, aliis liceat cum ratione ratiocinari, quam in limine expoſui (*§. 1*).

§. XIV. Idea una non abſolvit ratiocinationem. Id ſumimus, tanquam a nemine non conceſſum. Subſumimus porro, duo vel tria ſynonyma vocabula fundere duntaxat unam ideam. Addimus, ſimilitudinem rerum plurium unam non niſi una niti idea.* Id patet ex una eademque habitudine inter $\frac{2}{5}$ $\frac{4}{10}$ $\frac{12}{30}$ &c. Quid igitur eſt manifeſtius, quam in propoſitionibus identicis, æquipollentibus, & proportionalibus, exquirendam non eſſe ratiocinationem, niſi accedat ratio prædicationis ſufficiens?

§. XV. Quamprimum in demonſtratione mathematica ex ratione prædicationis ſufficiente propoſitio innoteſcit, Syllogiſmo locus eſt. *Clavius* hujus rei ſpecimen edidit haud exiguum.

guum. Quis enim negabit, recte ſic concludi? *Quicquid æquale eſt parti ſui, & præterea exceſſum habet reſiduum, id parte ſui majus eſt.* A. *Totum æquale eſt parti ſui, & præterea exceſſum habet.* E. *Totum parte ſui majus eſt.* In vocibus liberalior fuit, hoc ipſum Syllogiſtice demonſtraturus, Vir ſummus. Rem ipſam ob oculos poſitam habuit, ſecurus de altercationibus Criticorum. Acceſſit poſt luſtra bina Logicus eximius, notasque vino illevit ſatis generoſo, ut ſaltem hoc exemplo conſtaret, demonſtrationes mathematicas ſingulas, easque genuinas, a ratiocinatione Syllogiſtica abhorrere. Ut id curatius evinceret Logicus primæ magnitudinis, ad theorema confugit Pythagoricum. At bona verba quæſo! Facillima enim & accurata ratione per Syllogiſmos catagoricos demonſtratur theorematis Pythagorici veritas. Si quæris, cur quadratum hypothenuſæ ſit æquale quadrato baſis ac quadrato catheti, ſimul ſumto; ratio prædicationis arceſſitur remotior ex eo, quod omnia triangula, lineis parallelis intercepta, & ejusdem altitudinis, inter ſeſe ſint æqualia. Pro hac propoſitione evincenda facit porro ratio univerſalior, quæ dictitat, omnia triangula, quæ duo latera æqualia angulumque interceptum æqualem habent, inter ſeſe eſſe æqualia. Quantum utilitatis ex analyſi Syllogiſtica redundet, id potiſſimum ex exercitio ipſo elucet, quo in fundamenta prima propoſitionum, pro veris reputari ſolitarum, inquirimus. Si quis ſingula momenta, quæ pro veris in theoremate Pythagorico aſſumuntur, expendit, næ is infra Syllogiſmos triginta ratiocinationem ſuam non expediet. In præſens, ut fidem oculatam præſtemus, ad potiſſima tantum reſpiciemus, utentes figura 130 Tabulæ VIII Geometricæ, quæ in Cel. *Chriſtiani Wolfii* Elementis Geometriæ Latinis exſtat. En catenam: 1) Quicquid tantum ſpatii complectitur ſuo perimetro, quantum duo alia quadrata complectuntur; id duobus aliis quadratis eſt æquale. A. Quadratum hypothenuſæ *ACGF*, adjunctum triangulo rectangulo, complectitur ſuo perimetro tantum ſpatii, quantum duo alia quadrata *BCDE* & *ABHI*. E. Quadratum hypothenuſæ *ACGF* æquale eſt duobus aliis quadratis *BCDE* & *ABHI*. 2) *Major conſtat ex propoſitione i-*

dentica. Minor vero comprobanda eſt. Si oblongum *KLFC* eſt æquale quadrato *BCDE*, & oblongum *ALGK* eſt æquale quadrato *ABHI*; tum quadratum hypothenuſæ *AGFC* eſt æquale quadrato baſis *BCDE* & quadrato catheti *ABHI*. A. Verum eſt prius. E. Verum quoque eſt poſterius. 3) *Comprobatur prius membrum antecedentis:* Quorum dimidia ſunt æqualia, ea quoque tota ſunt æqualia. A. Oblongi *KLFC* & quadrati *BCDE* dimidia ſunt æqualia. E. Oblongum *KLFC* & quadratum *BCDE* ſunt æqualia. 4) *Evincitur propoſitio minor.* Quæcunque triangula habent duo latera æqualia & unum angulum utrinque æqualem, ea ſunt inter ſe æqualia. A. Triangulum *FCB* & triangulum *ECA* habent duo latera æqualia & unum angulum utrimque æqualem. E. Triangulum *FCB* & triangulum *ECA* ſunt inter ſe æqualia. 5) *Major comprobari poteſt unica ratione, vel oſtenſiva, vel apogogica. Quo facto, progredimur ad propoſitiones identicas.* 6) *Oſtenditur porro, latus AC æquale eſſe lateri FC, & EC = BC.* En typum: Quæcunque latera ſunt latera unius quadrati, ea ſunt inter ſeſe æqualia. A. Latus *AC* & *FC* ſunt latera unius quadrati: idem valet de lateribus *EC* & *BC*. E Latus *AC* & *FC* ſunt inter ſe æqualia. 7) *Major conſtat ex quadrati definitione, ideoque conſtituit axioma.* 8) *Comprobandum deinde eſt, angulum* o *eſſe æqualem angulo* x. Quicunque anguli ſunt recti, ii ſunt inter ſeſe æquales. A. Angulus *o* & angulus *x* ſunt recti. E. Angulus *o* & angulus *x* ſunt æquales. 9) *Major patet ex definitione de angulo recto. Minor conſtat ex definitione de quadrato. Ergo perventum eſt ad duo axiomata.* 10) *Probandum eſt tandem, angulum* $x + y$ *eſſe æqualem angulo* $o + y$, *hunc in modum:* Quæcunque inter ſeſe ſunt æqualia, ea quoque, aſſumta communi quantitate tertia, remanent æqualia. A. Angulus *o* eſt æqualis angulo *x* (*n. 8*). E. anguli *o* & *x* æquales remanent, aſſumta licet utrimque quantitate communi tertia *y*. 11) 12) *Major eſt e numero axiomatum* Euclidis. *Rigidi demonſtratores duobus gradibus porro procedunt ad axioma ontologicum.* 13) 14) 15) 16) 17) 18) 19) 20) 21) 22) *Oſten-*

ſtenditur totidem Syllogiſmis, oblongum GKAL eſſe æquale quadrato catheti HAIB. Ubi autem numerum 5 per Syllogiſmos quatuor evolvimus, & axiomata ad definitiones reducimus, faciliime triginta emergent rationes prædicationis ſufficientes, totidemque Syllogiſmi.

§. XVI. Si a teneris ita aſſuefieremus, ut judicia & noſtra & aliena, ac integras ſcientias, continuo in notiones alias ſimpliciores reſolveremus; exercitatione ipſa profunditatem & acumen mentis obtineremus. Nam acumen eſt facultas diſtinguendi multa in eodem ſubjecto, & profunditas, acuminis emendatrix, eſt facultas, notiones diſtinctas in alias ſimpliciores continuo reſolvendi. Cum vero per rationem prædicationis ſufficientem (*§. 1*), & exercitium Syllogiſticum, ad axiomata & propoſitiones identicas perveniatur, ut re ipſa oſtendimus (*§. 15*); negari ſane nequit, exercitio Syllogiſtico mentem perpoliri ad perſpicaciam & profunditatem induendam. Conſtat equidem inter omnes, quantum plerique doctorum *huic* ſententiæ refragentur, quippe qui claras & confuſas ideas anteferre malunt diſtinctis, completis & adæquatis. Verum hi erunt ferme, qui exercitio, quod prædicavimus, caruerunt, vel, fervore ingenii ac multitudine negotiorum præpediti, limen profunditatis auſterum nunquam ſalutarunt.

§. XVII. *Operæ* pretium fuerit, gradus idearum & propoſitionum in animo diſtinguere & metiri, ut æſtimari poſſint vires intellectus & voluntatis. Nec minus utile foret, ratiocinationes pro objectorum differentia diſtinguere. Nam objectum cognitionis noſtræ aliud eſt fixum & immutabile; aliud eſt contingens & mutabile; aliud eſt ex utroque mixtum, conſtans regulis univerſalibus fixis, quæ tamen applicatæ, vel applicandæ ſunt objecto mobili, contingenti & mutabili. Diviſio hæc parit veritatis triplicem ſpeciem. Ipſa enim hoc pacto eſt vel abſoluta, vel contingens, vel moraliter certa. In abſoluta imminemus poſſibilitati, & illud pro vero habemus, quod eſt poſſibile, illud pro falſo reputamus, quod eſt impoſſibile. Veritas contingens hoc criterium reſpuit, docens, a poſſibilitate ad actualitatem haud eſſe concludendum. In

Digitized by Google

veritate mixta utrumque concurrit, & ſæpius probabilitati locus relinquitur. Veritas igitur, moraliter certa, æſtimanda eſt ſuis gradibus, 1) poſſibilitate & impoſſibilitate, 2) probabilitate & improbabilitate, 3) certitudine & incertitudine, 4) experientiæ internæ externæve adjumento vel defectu, 5) revelatione divina, certum inſpirante de rebus ſenſum. Nec tamen opus eſt, ut tot claſſes ratiocinationum conſtituamus, quot veritatis ſpecies dantur. Expedit, expendere objecta ſeparatim, ut regulæ inveniendi & exercitationes ratiocinandi plures protrahantur, quæ luce ſua & diſtinctiſſima determinatione ſeſe commendent. Sufficit interea, Syllogiſmo eſſe locum in ratiocinatione practica, a fine & adminiculis deſumta, quotiescunque propoſitio habetur pro vera, aut probabili ob rationem prædicationis ſufficientem (§. 1).

§. XVIII. Ratiocinatio idealis objectiva dicitur ea, in qua medius terminus ſe habere exiſtimatur ut objectum. Sed, ſi propoſitio fundamentalis ſit univerſalis negans, modo vulgari concluditur. Exemplum datur ejusmodi: *Nullum peccatum placet Deo.* E. *Qui gaudet peccatis, gaudet rebus, Deo diſplicentibus.* At quin hoc ita effertur ſyllogiſtice? *Quicquid eſt peccatum, id ab agente commiſſum indignationem Dei excitat.* A. *Gaudium de peccatis eſt ipſum peccatum.* E. *Gaudium de peccatis, ab agente commiſſum, indignationem Dei excitat.* Objectatur aliud exemplum, quod Syllogiſmi formulam tanquam anguem metuat. Id ſic habet: *Omnis recta ratio eſt a Deo.* A. *Omnis recta ratio, ab aliis contemta, eſt a Deo.* E. *Omnis recta ratio, ab aliis contemta, eſt a Deo.* Sed in hiſce argumentandi modis quoque locum Syllogiſmo eſſe, nemo non intelligit. En ſpecimen: *Quicquid eſt recta ratio, id a Deo eſt.* A. *Recta ratio, ab aliis contemta, eſt recta ratio.* E. *Recta ratio, ab aliis contemta, eſt a Deo.* Ratio, ſeu medius terminus, concluſionem fundans, eſt recta ratio, generatim ſumta. Differt enim ab ea, generatim accepta, ratio, quatenus ei contemtio aliorum adhæret. Quare eſt evidens & planum, medium terminum ita haudquaquam concluſionem ingredi.

§. XIX.

Digitized by Google

§. XIX. Enthymema eſt concluſio Syllogiſmi vel tacite ſignificata, vel verbo expreſſa, profluens ex duabus præmiſſis, quarum una, quippe per ſeſe patens, omittitur. Enthymemata unius propoſitionis nuper civitate Logicorum merito donavit D. *Chriſtophorus Auguſtus Heumannus*, & exemplis confirmavit. Quia autem concluſio enthymematis fundatur in ratione prædicationis ſufficiente; enthymema ipſum eſt Syllogiſmus, ſed truncatus & contractus.

§. XX. Ex hiſce, ni fallor, ſatis innoteſcit, eos, qui demonſtrationem & ratiocinationem pro re una eademque reputant, vocibus diſſidere ab iis, qui ratiocinationem pro ſpecie demonſtrationis habent. Diſcrepantia & diſcrimen in re ipſa non latet, ſed in varietate poteſtatis vocum. Id vero uſui publico debemus, ne mutationes, niſi graviſſimæ ſubſint rationes, invehamus, nec receptas vocum ſignificationes loco ſuo turbemus. Poſſemus enim in rebus ipſis perſpiciendis & uſui accommodandis id tempus ponere, quod in extricandis vocabulis, loco ſuo turbatis, conſumendum. Nec minus ad id eſt reſpiciendum, ut diviſiones & diſtractiones rerum & ſcientiarum ſupervacuæ evitentur. In pluribus enim addiſcendis & memoriæ imprimendis plus operæ & temporis eſt collocandum. E contrario ſcientiæ redduntur utiles, ſi regulis determinatis & univerſalibus paucis inſtructi homines idem minori opera & tempore contractiori præſtare queunt, quod alii per anfractus & diviſiones ſupervacuas efficere ſtudent. An in doctrina de Syllogiſmo diviſiones ſupervacuas, a recentioribus invectas, ſatis ſuperque in lucem protraxerim (*§. 9, 11, 12, 15, 18,*), id quidem prudentes & periti ſpectatores ac arbitri limatiſſime poterunt definire, quibus hanc meam opellam volo conſecratam.

CHRISTIANI SIGISMUNDI GEORGII, ORDIN. Philoſ. in Academia Wittembergenſi Aſſeſſoris, Hierocritici N. Teſtamenti, ſive de ſtilo Novi Teſtamenti,

Partes II.

Wittem-

Wittembergæ & Lipſiæ, ex officina Jo.Mich.Teubneri,1733, 4.
P. I Alph. 1 pl. 12½, P. II Alph. 1 pl. 5.

Quemadmodum Cl. *Georgius* in *Vindiciis N. T. ab Ebraiſmis* illas Diſſertationes, quas ab aliquot annis in Academia Wittembergenſi de Ebraiſmis habuit, in unum collectas corpus publici juris fecit; ſic reliquas Diſſertationes de reliquis Idiotiſmis, quos Interpretes in dictione N. T. ſtatuerunt, pari ratione publice defenſas, in uno Volumine, cui titulum fecit *Hierocritici Novi Teſtamenti*, anno ſuperiore prodire juſſit. Dubitavimus quidem quodammodo, an hujus *Hierocritici* mentionem in *Actis* noſtris facturi eſſemus, propterea quod Cl. Autor diſſenſum noſtrum *de Ebraiſmis*, quem *Anno 1732 M. Octobr. p. 478 ſeq.* declaravimus, adeo iniquo animo tulit, ut defenſioni nimis acerbæ ſuperiorum mandatum intercederet. Sed tamen ad evitandum partium ſtudium cepimus conſilium *Hierocritici* hujus recenſionem quandam exhibere, ita quidem, ut a libertate judicandi, qua uti conſuevimus, hac occaſione plane abſtineamus, ne Cl. *Georgio* novas creaſſe moleſtias videamur.

Itaque *Pars I Hierocritici* hujus diviſa eſt in *Libros tres*.
Pag. 1 - 10. *Libri primi Caput I* generatim agit *de dialecto Novi Fœderis*;
11 - 18. II *de dialecto Attica*; III *de figuris Novi Teſtamenti*, *Atti-*
18 - 84. *ca autoritate probatis*. Libri ſecundi *Cap. I* exponit *de dia-*
lecto Novi Fœderis Idiotica, ſeu *de Idioticiſmis N. F. immerito*
affictis. Quod *Caput* duabus iterum conſtat *Sectionibus*, qua-
87 - 106. rum altera ſtatum cauſæ & ſpeciatim argumenta pro idioticis-
107 - 139. mis allata exhibet, eaque reſolvit; altera dictiones N. F. ab
139 - 167. Idioticiſmi vitio liberat. *Caput II* eſt *de Ioniſmis*, *Doriſmis*,
Æoliſmis, *atque Bœotiſmis*, *dialecto N. F. immerito affictis*;
168 - 187. *Caput III de Poetiſmis*, *ſermoni N. F. Græco affictis*. Libri
188 - 221. tertii *Cap. I* agit *de Syro-Chaldaiſmis*, *ſermoni N. F. Græco*
222 - 246. *affictis*; *Cap. II de Rabbiniſmis*, *ſermoni N. F. Græco af-*
247. *fictis*; *Cap. III de Perſiſmis*, *ſermoni N. F. immerito affictis*. *Pars*
hæc *prima* clauditur Indice triplici; primus eſt locorum N. T.
quo-

T. quorum puritas Græca vindicata eſt, ſecundus vocum & phraſium N. T. tertius Autorum & rerum.

Pars II Hierocritici N. F. complectitur *Controverſias de Latiniſmis Novi Teſtamenti*, quæ Cl. Autori interceſſerunt cum Cl. *M. Sigiſmundo Friderico Dreſigio.* Præmiſſa Præfatio huic Parti, in qua, hiſtoria hujus controverſiæ breviter expoſita, ſe pro more ſuo contra nonnullos defendit, qui hac in parte judicium tulerunt. Iterum hæc Pars Libros tres conſtituit. Primus habet Capita duo, quorum alterum continet Diſſertationem *de N. F. G. Latiniſmis merito & falſo ſuſpectis*, quam Præſide Viro Celeberrimo, *Jo. Erhardo Kappio*, Prof. Publ. Ord. Collega noſtro venerando, Lipſiæ A. 1726 publice defendit Cl. *Sigiſm. Frid. Dreſigius*, alterum vero exhibet Cl. *Georgii* Diſſertationem *de Latiniſmis, Græcæ Novi Fœderis dictioni immerito affictis*, Wittembergæ A. 1732 habitam. Libri ſecundi *Cap. I* complectitur Cl. *Dreſigii Vindicias Diſſertationis de Novi Fœderis Græci Latiniſmis merito & falſo ſuſpectis*; *Cap. II Apologiam Diſſertationis de Latiniſmis, N. F. immerito affictis, Vindiciis Dreſigianis* a Cl. *Georgio* oppoſitam. Libri tertii *Cap. I* exponit Cl. *Dreſigii Vindicias Diſſertationis de N. F. G. Latiniſmis merito & falſo ſuſpectis ab nupera Apologia Diſſertationis de Latiniſmis, Græcæ N. F. dictionis immerito affictis, aſſertas.* *Cap. II* enarrat Cl. *Georgii Apologiam Diſſertationis de Latiniſmis, Græcæ N. F. dictionis immerito affictis, a Diſſertationis Lipſienſis de Latiniſmis merito & falſo ſuſpectis Vindiciis, nuper repetitis, vindicatam.* Accedit huic Parti pari ratione Index triplex, ac primus quidem locorum N. T. tum allegatorum, tum vindicatorum, alter vocum ac phraſium N. T. vindicatarum, tertius Autorum & rerum.

(Margin: Pag. 1-43. | 44-72. | 73-102. | 103-146. | 147-179. | 180.)

COMMENTATIO DE VITA ET SCRIPTIS GEORGII NICOLAI KRIEGKII, Rectoris Pædagogii Ilfeldenſis, ſcriptore JO. MARTINO RIEDEL, Prorectore.

Plag. 8, in 4.

Digitized by Google

Nordhuſani typographi literis A. 1731 expreſſum hunc libellum (cujus rei mentio in titulo prætermitti non debebat,) merito dignum cenſemus perluſtratione noſtra, quippe non ſolum compoſitum ornatiſſime, ſed complectentem etiam hiſtoriam Philologi Clariſſimi. Natus is A. 1675 patre Sacerdote in pago quodam ditionis Iſenacenſis, poſtquam Schleuſingenſium Muſarum alumnus ſatis diu fuerat, Jenenſi in Academia magiſtris uſus eſt *Sagittario, Schmidio, Schubarto*, aliis, ac tam læte profecit, ut A. 1699 titulo *Magiſtri*, A. 1702 nomine *Adjuncti Facultatis Philoſophicæ* ornatus, aliis ſe magiſtrum poſſet præbere: id quod cum faceret applaudentibus Viris magnis, accidit, ut & Sereniſſimum *Erneſtum Auguſtum*, hodiernum Saxoniæ Ducem Vinarienſem, Jenæ tum colentem literas, acciperet diſcipulum. Potiſſimum vero ſe dicabat illis literis, quas humaniores atque amœniores vocant: cujus rei fama cum ad curatores Scholæ Ilfeldenſis perveniſſet, electus ab iis eſt, qui collapſæ fere ſcholæ nitorem redderet Neandrinum. Ac delatus huc A. 1707, tam bene rem geſſit ſcholaſticam per annos quindecim, ut ſuperioribus ſuis prorſus ſatisfaceret, qui & ſereniſſima fronte munificaque manu editam ab eo variisque variæ doctrinæ ornamentis conſpicuam *Conſtitutionem rei ſcholaſticæ Ilfeldenſis* exceperunt. Verum A. 1722 hemiplexia ſive omnium membrorum dextri lateris ipſiusque linguæ ſideratione correptus, deſiit & ſcholæ ſuæ & reipublicæ literatæ eſſe utilis. Nunquam enim loquendi facultatem, vel aliquid cogitate docteque ſcribendi, recepit, miram tamen oſtendens tanti mali patientiam ad exitum uſque vitæ, quam finiit d. 2 Aug. A. 1730. Quam aſſiduus ante iſtam calamitatem fuerit in ſcribendo, teſtis eſt ſubnexus Catalogus ſcriptorum ipſius: in quo, præter *Conſtitutionem*, ſupra laudatam, & *Vitam* ſoceri, *Dranſfeldii*, ac Præfationes, aliorum libris, ſua cura recuſis, præmiſſas, duodecim memorantur Diſputationes Jenenſes: inter quas tamen quatuor non ipſe edidit, ſed novellis Magiſtris, e ſuperiore cathedra diſputaturis, præſcripto ipſorum nomine edendas ſive donavit, ſive vendidit. Argumenta earum cum ſint egregia, ipſaque elaboratio Autori ſucceſſerit optime, noſtrum putamus, proferre titulos. Duæ ſcilicet ſunt *de modis inclareſcendi apud Græcos*, una *de modis*

incla-

Digitized by Google

inclareſcendi apud Romanos, de Perſio Poeta, de tunica moleſta Chriſtianorum, de Eloquentia Sophiſtarum, de menſa ſolis apud Æthiopes, de peregrinationibus Romanorum Academicis, de Patribus Eccleſiæ Platonizantibus, de notis veterum criticis, de cura Laconum circa inſtitutionem, exercitia & ſtudia ſuorum, de Societate Abbreviatorum Romana. Orationes, ab eo emiſſas, Programmata, (quæ ſunt numero centum & viginti,) Poemata, ceteraque ſtili exercitia, omittimus.

VIRI CUJUSDAM SUMME REVERENDI, IN oppido ad Salam ſito commorantis, Sententia atque argumenta de Deſcenſu Chriſti ad inferos, nec non de Moralitate Sabbati; in gratiam ſtudioſæ juventutis edita.

Roſtochii, ſumtibus Autoris, 1729, 8.

Plag. 2.

Non defuerunt ex antiquis recentioribusque Theologi, qui deſcenſum Chriſti ad inferos verum ac proprie ſumtum in dubium vocarent. Horum e numero Vir quidam Summe Reverendus, in oppido quodam ad Salam ſito commorans, eſſe dicitur. Unus ex hujus Auditoribus, cum in ipſius peregrinatione alii eruditi Viri in hunc inciderent ſermonem, ipſiusque mentem minus accurate viderentur percipere, conſultum duxit eſſe, argumenta, ſententiæ vulgari oppoſita, ex MSto quodam libro luci publicæ exponere. Non eſt hujus loci nec inſtituti, quid hac de re ſentiendum ſit, aut quo valeant rationes ab eo adductæ, inquirere. Ut ne vero receptæ opinionis adeo tenaces videamur eſſe, ut veritatis ſtudio, ſi modo ſtabiliri corroborarique poſſit, obicem ideo ponamus; quid hoc libello ſibi velit Autor, paucis attingere non dubitamus. Quemadmodum igitur in eo facile orthodoxum quemque habet conſentientem, quod Chriſtus paſſione ſua & morte Satanam ejusque regnum devicerit, neque eum ſtatim fidei disjicere fundamentum dixerimus, qui victoriæ de Diabolo reportatæ manifeſtationem, prætermiſſo deſcenſu ad inferos, ad reſurrectionem, adſcenſum in cœlos, & ſpectabilem Chriſti ad judicium adventum, tantum referat; ita alii viderint, num argumenta ejus ſatis

tis firma ſint ad Chriſti deſcenſum proprium ac localem evertendum. Summa eorum fere huc redit: in Scripturis vel veteris vel novi Teſtamenti deſcenſus Chriſti ad inferos diſerte fit mentio; quod enim ad loca *Pauli Eph. IV, 9,* & *1 Petr. III, 18, 19,* attinet, ab aliis aliter iſta ſunt explicata: nec in Symbolis, Apoſtolico, Nicæno, & Athanaſiano, ea doctrina corroboratur, quorum in iſto aliquamdiu plane fuit omiſſa, in illo hodieque omittitur, in hoc autem non niſi omiſſa Servatoris ſepultura legitur. Formula etiam Concordiæ nihil certi præcipit, ac *B. Muſæus* in Articulorum non fundamentalium numero eandem habuit quæſtionem: quam etiam ob rem, diſſentientibus *Gravero, Kromayero, Zapffio, Zeltnero,* dica ei nunquam fuit ſcripta. Ex quo ſequi putat, ut omnium commodiſſime pro toto exinanitionis ſtatu deſcenſus ad inferos accipiatur: cum præſertim phraſis εἰσέρχεσθαι εἰς τὰ κατώτερα τῆς γῆς a ſeptuaginta Interpretibus de eorum morte uſurpetur *Pſ. LXIII, 11,* qui vulpium eſca eſſent futuri, & ex abyſſo terræ reduci dicatur *David Pſ. LXXI, 20.* Adjecta eſt ſingularis de moralitate Sabbati ſententia; qua quietem Sabbaticam ad legem ceremonialem pertinere, atque proinde Chriſtianos Jure divino ad eam non amplius obligari ſtatuit. Equidem hominem ad cultum Dei, tum internum, tum externum, eumque tum privatum, tum publicum, neceſſitate quadam obſtrictum fatetur; ſed ſeptimum diem, eumque integrum, huic cultui deſtinandum eſſe, cum nec ratio definiat, nec in ipſis Scripturis nobis injunctum, ſed potius libertati Chriſtianæ iſta relicta eſſe, arbitratur. Id probare annititur tum locis *Pauli Rom. XIV, 5, 6, Gal. IV, 10, 11, Col. II, 16, 17,* tum aliorum teſtimoniis, Confeſſionis Auguſtanæ, Apologiæ ejusdem, ipſius *B. Lutheri,* aliorumque quam plurimorum. Videtur tamen Jus divinum naturale cum poſitivo univerſali, feſtos dies, humana autoritate conſtitutos, cum Sabbato, & ſanctificationem ejus Judaicam Phariſaicamque cum Chriſtiana, confundere, neque colliſionis officiorum in definiendis caritatis neceſſitatisque officiis habuiſſe rationem.

ELOGIUM LUDOVICI CHRISTIANI CRELLII, Philoſophi Lipſienſis.

Neo-

Digitized by Google

Neoſtadium ad Ericas, Franconiæ urbs & ſitus opportunitate & agrorum ubertate nobilis, hoc Sapientum Ordinis decus produxit. Lætabatur inſigniter *Henricus Crellius*, incorruptæ Vir ſanctitatis, & Venerandus Sacrorum Neoſtadienſium Antiſtes, cum anno Seculi ſuperioris ſeptuageſimo primo, vigeſimo octavo Maji die, ſi antiquiorum faſtorum computum ſequimur, ex *Chriſtiana Magdalena*, *Brauniana* gente oriunda, ſummæ integritatis & innocentiæ fœmina, hunc præcellentis puerum ingenii ſuſciperet. Majores *Crellii*, quoad meminiſſe licet, in magna nominis celebritate vixerunt, &, purioris religionis propagatione, de ſacra civitate bene atque præclare meriti ſunt. Nondum quatuor vivendo ſuperaverat annos *Crellius*, cum ſuaviſſimus parens acerba & funeſta morte rebus eriperetur humanis, & ad cœleſtem beatiſſimarum mentium ſedem evocaretur. Sed alterum parentem invenit in *Jo. Chriſtophoro Trierio*, præcipuo Aulæ Coburgenſis & Meinungenſis ornamento, cui ſecundis fauſtisque nuptiis ſeſe adjunxerat amantiſſima mater, qui luculentiſſimis beneficiis affecit privignum, & rara atque pæne portentoſa liberalitate ſua, quominus parente ſe orbatum eſſe is intelligeret, effecit. Prima literarum fundamenta jecit in Schola Meinungenſi *Crellius*. Poſt Cizam, clariſſimum liberalium artium domicilium, contendit, &, ducibus *Chriſtophoro Cellario*, communi illo Germaniæ Præceptore, *Godofredo Gleitsmanno*, & *Kœbero*, Viris ad formandam juventutem natis factisque, mirifice profecit, & copioſas reconditæ doctrinæ opes inde retulit. His veris & nunquam perituris divitiis locupletatus, ad noſtram Academiam acceſſit, & in meliorum literarum ſtudio *Rechenbergios*, *Schmidios*, *Felleros*, *Menckenios*, in Orientis linguis addiſcendis *Rivinos*, *Zoegas*, *Starckios*, & in Philoſophicarum rerum ſcientia *Cyprianos*, *Hardtios*, *Hesbuſios*, adiit. Sed, cum rerum divinarum contemplationi ſe totum tradere conſtituiſſet, ducibus *Carpzoviis*, *Oleariis*, *Schmidiis*, *Güntheris*, religioſiſſimis ſanctioris doctrinæ cuſtodibus, cœleſtium myſteria oraculorum ſibi cognita, explorata, familiariaque reddidit. Hac ſingulari pertinacique diligentia A. 1692 perhoneſtum inter Philoſophiæ Candidatos locum meruit, & Diſſertatione, *de Monarchianis Hæreticis*, conflictus modera-

tore *Adamo Rechenbergio*, defenſa, ſummos in Philoſophia honores, ampliſſimum operæ bene navatæ præmium, anno ſequente reportavit. Eodem anno Diſſertationem tertiam, a *Jo. Benedicto Carpzovio*, probatiſſimo ſcientiæ ſuæ doctore, *Nicolai Arnoldi luci in tenebris* oppoſitam, fortiter atque generoſe propugnavit. Nunc tempus eſſe judicavit, ut doctrinam, improbo tot annorum labore comparatam, in alios diffunderet, & virium in erudienda pube literaria experimentum faceret. Conſcendit itaque die vigeſimo octavo Septembris A. 1693 alacri animo cathedram, & Diſſertationem, *de Locuſtis non ſine prodigio in Germania tunc conſpectis*, contra ſubtiliſſima acutiſſimorum Virorum argumenta ſtrenue vindicavit, & jus aperiendi ſcholas privatas, victor ex certamine literario rediens, obtinuit. Ab illo tempore domi, vel Hebraicas & Græcas literas, vel Oratorias inſtitutiones, interpretabatur, vel ad abdita Philologiæ & ſapientiæ adyta viam monſtrabat expeditiſſimam, vel diſputando exercebat Auditorum ingenium, vel primariæ Virorum dignitatis filios, in diſciplinam ſuam traditos, illis artibus, quæ illiberalis & ſordidi nihil, ingenui plurimum, habent, erudiebat, & ingeniis & moribus emendatiſſimos dimittebat. Sic cum ſe gereret *Crellius*, & cuncta fidi & induſtrii doctoris munia expleret, Senatus oppidanus ad Conrectoris ſpartam in Schola Nicolaitana obeundam A. 1696 ipſum evocavit, &, poſt triennium in piſtrino ſcholaſtico exactum, ad ipſa Scholæ gubernacula admovit. Quibus muneribus quanta cum laude præfuerit, tot Viri in republica literaria & Lipſienſi clarum & illuſtre nomen adepti, *Crelliana* diſciplina exculti, & vivi ſpirantesque *Crellianæ* facilitatis patientiæque teſtes, ſatis loquuntur. Viderat huc uſque Academia illam naſcentem *Crellii* fortunam. Ut itaque in communem lætitiæ ſocietatem veniret, juſtos & condignos *Crellianis* meritis honores tribuit. A. 1697 locus in Principum Collegio minori, unanimi Sociorum ſuffragio, ipſi datus fuit. A. 1699 non ſolum Philoſophi in ordinem ſuum illum receperunt, verum etiam Theologi prima ſanctioris diſciplinæ ornamenta illi impertiverunt. Non poterat non fieri aliter, quin *Crellii* fama longe lateque evagaretur, & in ipſam aulam penetraret, & ad Divi *Fri-*

derici

Digitized by Google

derici Auguſti aures perveniret. Is ſapientiſſimus æquiſſimusque Princeps, audita ſelecta *Crellii* doctrina, munus Philoſophiam extra ordinem docendi A. 1708 ipſi demandavit, qui ut clementiſſimæ Regis Auguſtiſſimi voluntati morem gereret, munus fidei ſuæ concreditum Oratione, *de ſtudii ſapientiæ impedimentis a Schola ortis, eque Scholis inde removendis*, orſus fuit, poſtquam Diſſertatione Academica, in qua *de multis ſtudii Philoſophici noſtra hac ætate præ ſuperioribus Seculis adjumentis atque literariis præſidiis*, utriusque Reſpublicæ proceres ad audiendam Orationem, more majorum, invitaverat. Quod munus cum per integrum ſexennium ornaverat, & pæne univerſam Germaniam Auditoribus impleverat, Logicam & Metaphyſicam annua mercede A. 1714 docere juſſus fuit. Auſpicatus eſt hanc novam ſibi commiſſam provinciam Diſſertatione, *de pretio Metaphyſicæ*, propoſita, & arguta facundaque Oratione, *de vario Logices, qua Metaphyſicæ juncta eſt, pretio, ejusque conſtituendi cauſis*, pro roſtris recitata. Eodem anno, comprobata penitiore rerum ſacrarum cognitione, Diſſertatione, qua ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ καὶ ἕνωσιν σὺν αὐτῷ propoſuit, maſcule defenſe, Licentiatus Theologiæ ſalutatus fuit, & venerabili illo auctus nomine, frequentes & pias in templo Academico ad populum conciones habuit. Ad has egregias excellentesque virtutes accedebat mira & inuſitata verſibus ludendi facilitas, ut Academia, ſive recitandum, ſive ſcribendum eſſet Carmen, *Crellium* Poetam plerumque deligeret, qui non ſolum in Lyricis *Horatium* feliciter reddidit, ſed etiam ad *Pindari* numeros Latinas Odas amœniſſima venuſtate effinxit, & in Elegiacis ad *Catulli* ſuavitatem proxime acceſſit. Cujus generis politiſſima venæ *Crellianæ* Carmina cum publice numero multa exſtant; tum in his palmam reliquis omnibus præripere videtur Elegia & acumine & molli dictione admirabilis, quam *de Portentoſo calculo, in rene Gottlob. Frid. Seligmanni, Saxonici Supremi Concionatoris Aulici, poſt ejus mortem A. 1707 reperto*, cum Annotationibus doctiſſimis & Figuris æneis, eodem anno plagulis tribus, in forma quadruplicata, edidit. Sæpe quoque in ſolenni funerum celebritate laudatoris partes præclare ſuſtinuit, quarum laudationum aliquæ typis exſcriptæ extant, nonnullæ ab hæredibus aſſervantur, dignæ, quæ aliquando in lucem protrahantur publicam. Neque moleſtiis continuisque

hiſce

Digitized by Google

hiſce laboribus frangebatur obfirmati ad diligentiam animi *Crellius*, ſed novam laudis gloriæque materiam quærebat quotidie, & Collegio Concionatorio majori, Biblico, & Anthologico, operam ſuam lubens volensque addicebat, quæ Collegia induſtriam *Crellianam* juſtiſſimis effuſiſſimisque concelebrant Elogiis. Atque profecto nos ingratos, & ab omni humanitatis ſenſu alienos eſſe oporteret, niſi, *Acta* noſtra inde a triginta annis multum debere *Crellio*, publice pieque profiteremur. Has ille tam graves ſtudiorum curas ut conſuetudinis domeſticæ jucunditate leniret, in matrimonium duxit *Catharinam Charitatem Packbuſchiam*, ſpectati virginem pudoris, nunc priſci matronam exempli. Suſtulit ex hac uteri felicis parente quatuor filios, ex quibus tres ſuperſtites reliquit, *Henricum Chriſtianum*, Philoſophiæ Doctorem, & Scholæ Francofurtanæ Rectorem meritiſſimum, *Chriſtophorum Ludovicum*, Juris & Philoſophiæ Doctorem, Juris Naturæ & Gentium, itidemque Poeſeos in Academia Wittembergenſi Profeſſorem Publicum Ordinarium, & Ordinis JCtorum Aſſeſſorem, Virum præclare excellenterque doctum, & *Jo. Fridericum*, Sapientiæ & Artis ſalutaris Doctorem, inſigni medendi arte clarum, & Æſculapii filiis recitationibus ſuis, quibus univerſam Medicam artem illuſtrat, perutilem. In quibus inſtituendis, & ad publicam ſalutem educandis, nec ulli labori, nec ullis ſumtibus pepercit, & optatiſſimum laboris & educationis ſuæ ſucceſſum vidit, & Deo, boni hujus autori, prolixiſſimas religioſiſſimasque gratias perſolvit. Tenui corpuſculo, & infirma valetudine plerumque fuit *Crellius*, ſed ſingulari in victu potuque moderatione ſexaginta duorum annorum ſpatium explevit, & die 15 Novembris anni præteriti feliciſſimam cœloque digniſſimam animam exhalavit. Ita quidem ex hac vita exceſſit *Crellius*, ſed & doctiſſimorum filiorum triga, & libelli, quos compoſuit, elegantiſſimi ab oblivione vindicabunt Virum lectiſſimum, memoriamque ejus ad ſeram transmittent poſteritatem. Præter illas enim, quas ſupra commemoravimus, Diſſertationes, adhuc alias conſcripſit, quarum integrum Catalogum nunc dabimus Lectoribus noſtris. Pertinent huc Diſſertationes *de civis innocentis in manus hoſtium ad necem traditione, de Scytala Laconica, de Providentia Dei circa Reges conſtituendos, de Judicio Salomonis noſtra ætate reſuſcitato, de eo, quod in Anacreonte venuſtum & delicatum eſt, τὰ τῦ Ἐπικτήτυ ὑπέρσοφα καὶ ἄσοφα, in iis, quæ ad Deum pertinent, τὰ τῦ Ἐπικτήτυ ἰσόσοφα, καὶ ἄσοφα, circa officia hominis erga ſe quoad animum excolendum, de imaginationis in mentem corpusque imperio*, denique *de Antonio Muſa*, Reſpondente filio, *Jo. Friderico*. Præterea varia emiſit Programmata, in quibus ſelectiora Philoſophiæ Epictetеæ capita, qua præcipue delectabatur, mirifice illuſtravit.

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomus I Sectio III.

DE VITA ET REBUS GESTIS CLEMENTIS XI, Pontificis Maximi, Libri ſex.

Urbini, ex Typographia venerabilis Cappellæ S. S. Sacramenti apud Antonium Fantauzzi, 1727, fol. maj.

Alph. 6, cum icone Clementis XI.

Volumen orbi literario & Chriſtiano hic offertur, quod magnitudine rerum geſtarum eximium, dictione digniſſima æque ac graviſſima expoſitum, majeſtate ac nitore typi poſtponendum nulli, attenta lectione proſequendum, ex judicio quidem noſtro, videtur. Autor heroi ſatis favet ſuo, nilque facit reliqui, ut ejus virtutes repræſentet in theatro orbis terrarum commemorabiles, ac in Hiſtoria Eccleſiaſtica ad omnem Seculorum decurſum nemini ſecundas. Conatus Scriptoris elegantiſſimi large juvit *Benedictus XIII*, Pontifex Maximus Eccleſiæ ſuæ, qui omnia prorſus, arcanis etiam mandata literis, documenta, quæ ſcriptioni prodeſſe poſſent, ab Archivorum Apoſtolicæ ſedis cuſtodibus communicari cum eo juſſit. Obtulerunt eidem ſcopo ſervientia *Hannibal* & *Alexan-*

 der,

der, Romanæ Eccleſiæ Cardinales, *Albani*, *Clementis XI* ex fratre filii, monumenta. Præcipuum Operi adjumentum comparatum eſt e Diplomatibus, Orationibus Conſiſtorialibus, Epiſtolis, Adverſariis, Schedulisque *Clementis*, porro e Virorum Eminentiſſimorum literis, Actis conſultationum & judiciorum, nec non familiarium ac miniſtrorum *Clementis* ephemeridibus, vulgatisque de una & altera re præcipua voluminibus. Annorum ratio ſic eſt habita, ne nexus cauſarum ac eventuum impediretur. Veritati palmarium ſtatuit Autor pretium, plusque temperantiæ in odioſis tribuit, quam licentiæ. *Liber primus* exhibet *Clementem* ab ineunte ætate proficientem, uſque dum in ſolium Pontificale eveheretur. *Libro ſecundo* exponuntur geſta ab anno Pontificatus primo uſque ad ſextum. *Libro tertio* hiſtoria Pontificatus ſummi ab anno ſexto ad undecimum uſque ediſſeritur.* *Liber quartus* ab anno undecimo ad ſextum decimum decurrit. *Quintus* geſta ad annum uſque viceſimum complectitur. *Sextus* corporis habitum, naturales animi dotes, & virtutes, enarrat. Meruerat ſane is Pontifex, qui bonas artes foverat, homines literatos reditibus, muneribus, dignitatibus, honoribus, auxerat, rem literariam juverat, Vaticanam Bibliothecam lectiſſimis varii generis libris, ex regione non una longinqua conquiſitis, ditaverat, ut memoriam ejus immortalitatis inſcriberent templo eruditi. Satellites & rigidi Pontificiæ religionis cuſtodes ſingularibus non carent rationibus, cur *Clementis* venerentur memoriam. Si ad rem imperantium publicam attendimus, vitam *Clementis* non temere epitomen rerum Europæ dixerimus. Non errabimus proinde, ingenue confeſſi, compendium e libro ſatis amplo concinnatum Lectori non ſuffecturum, ſed Opus ipſum eſſe legendum. Dabimus tamen pauca noſtro more. *Clemens XI* Urbini lucem vitalem adſpexit A. 1649 11 Cal. Aug. parentibus *Carolo Albano*, Urbinate, & *Helena Moſca*, Piſaurenſi, genere & opum vi præſtantibus. Nomen luſtricum ei fuit *Joannis Franciſci*. Avus fuit *Horatius*, muniis ampliſſimus.
Pag. 2. *Caroli Albani* frater, *Hannibal*, literarum ſtudiis apprime addictus, gentem ſuam eruditione incredibili illuſtravit, eoque nomi-

nomine ab *Urbano*, Pontifice, Vaticanæ Bibliothecæ primus renuntiatus fuit Cuſtos. *Hannibalis* frater, *Malateſta*, arte pingendi, peritia mathematices, bello, legationibus, prudentiaque civili ac ſacra, claruit. *Carolus*, frater ultimus, *Clementem XI* educavit, Vir dignitatibus inclytus. Mirum, abhorruiſſe *Clementem* initio a ſtudiis, in quæ tantopere poſthæc ferebatur. Ipſum ingeniis eruditorum præcocibus merito annumeramus, quippe qui jam A. 1666 Græci Menologii, *Baſilii Porphyrogenneta*, Imperatoris, juſſu 700 ferme ante annos ſcripti, partem alteram, non ita pridem in Monaſterio Cryptæ Ferratæ Tuſculanæ Diœceſeos ab ſe repertam, Latine vertit, & cum *Bollandi* Sociis communicavit. Sub idem tempus Homiliam *S. Sophronii*, Hieroſolymorum Epiſcopi, in B. Apoſtolos, *Petrum* & *Paulum*, Latinam reddidit, quam, Græca adjecta Epiſtola, *Franciſco*, Cardinali *Barberino*, inſcripſit, typisque Romanis edidit. Attexuit & Præfationem Operi, qua, duobus patefactis *Sophroniis*, cui potiſſime ſermo eſſet tribuendus, aperuit. Latinum item e Græco ſermone exhibuit *Encomium S. Marci Evangeliſta*, Autore *Procopio*, Diacono & Chartophylace: quod, ab eodem acceptum, legitur vulgatum in tertio de Actis Sanctorum M. April. Volumine, ad VII Cal. Majas, apud Bollandianos, & in fronte *Catenæ* Græcorum Patrum in Evangelium ſecundum *Marcum*, Collectore atque Interprete *Poſſino*. A Philologicis Hiſtoricisque Vir tantus ad Theologiam, Philoſophiam, & Jus utrumque, progreſſus eſt, ſpecimi-nibusque publicarum Diſputationum editis, oſtendit, quam ſolide ſingula perdidiciſſet. In caſtris eloquentiæ eum fuiſſe verſatiſſimum, demonſtrant Orationes ejus, in Academia *Humoriſtarum*, quæ tum Romæ excellebat, & Proluſionibus Academicis, apud *Auguſtinum Faveritum* & *Joannem Carolum Cartarium* inſtitutis, publice non citra applauſum frequentiſſimum recitatæ. A. 1668 Urbini, experimento doctrinæ dato, in ſolenni pompa Jurium ac Philoſophiæ laurea donatus fuit. Redux Romam nil omiſit, quod ad honores ex doctrinis & uſu rerum graviorum obtinendos accommodatum videbatur. Frequentavit Academiam, a *Chriſtina*, Regina Suecorum, priva-

Pag. 4. 5. 7. 8. 9.

tos intra parietes conſtitutam,tum nobiliſſimam in urbe. Omittimus reliqua, quæ a diſertiſſimo & Hiſtorico & Panegyrici ſcriptore veneribus orationis puriſſimæ lacteique decurſus aptiſſime & compoſitiſſime veſtiuntur. Suffecerit nobis, ex inexhauſto laudum oceano unam & alteram haurire guttu-
Pag. 24 ſeq. lam. Decreta, A. 1690 juſſu *Ludovici XIV* in honorem libertatis Eccleſiarum Galliæ ſancita, hic fuſe exponuntur, & modeſte carpuntur. *Clementi XI*, tum Purpurato Patri, & no-
28. men *Joannis Franciſci* adhuc gerenti, tribuitur ſolicitata *Guſtavi Leopoldi*, Comitis Palatini ad Rhenum, defectio a doctrina Lutherana ad Pontificiam. Ipſe benefecit largiſſime *Vita-*
30. *li Jordano*, Mathematico præſtanti, nec non Poëtis, *Laureto Matthejo*, *Alexandro Guido*, *Benedicto Menzino*, & *Michaeli Brugueres*, *Carolo Marattæ*, pictori, ac *Dominico Guido*, ſcal-
31. ptori. A. 1692, ut Nepotiſmo poneretur obex, effecit, malo, quod ſemper damnatum, nunquam penitus exſtinctum. Enarrantur porro ſemina indignationis, in *Clementem XI* ob ſucceſſionem Hiſpanicam conceptæ. Legati Imperatoris dicuntur Madriti in pertractando ſucceſſionis negotio nævos admi-
41. ſiſſe. *Innocentius*, Papa, favit deſtinationibus Galliarum Regis. Id conſiliis *Joannis Franciſci* ab Auſtriacis tributum. A. 1700 d. 13 Cal. Dec. ipſe in Pontificem Maximum renuntia-
45. tus, eo quod præ ceteris videbatur doctrina, prudentia & ætate, graviſſimis imminentibus incommodis pari, præditus. Initia muneris fuerunt celebratiſſima, adeo, ut *Joannes Fridericus Mayerus*, Decanus tum Academiæ Kilonienſis, in Progr. *de*
67. *Pontifice Romano Confeſſionario* ea publice prædicaret *p. 3.* Indignatus fuit Pontifex admodum, ſed fruſtra, *Fridericum*, Electorem Brandeburgicum, aſſumſiſſe Regale Boruſſiæ diade-
75. ma. Omiſſa eſt mentio ſcripti ſolidiſſimi *Joannis Petri de Ludewig*, Pontificiis oppoſiti. Mox exarſerunt lites *Clemen-*
77. *tem* inter *XI* & *Victorem Amadeum*, Sabaudiæ Ducem, de Ju-
89. ribus Eccleſiaſticis. A. 1701 Rex Poloniæ, *Auguſtus* potentiſſimus, a Pontifice fuit monitus, ut filium Sereniſſimum catholica religione curaret imbuendum. Inſeruntur multa de negotio religionis per Aſiam Africamque geſto, ac inprimis

Tur-

Digitized by Google

Turnonii ad Sinas iter percenſetur. Emicat ubique Scriptoris candor, & *Clementis* ſtudium inglorioſiſſimum Poloniæ Regem, *Auguſtum*, præcipue in enarrando ad A. 1704 diſſidio Polonico. Malumus negotium electionis *Stanislai* apud Autorem, quam penes nos, legi, quibus in hac cauſa carior eſt reverentia in Auguſtiſſimum *Auguſtum*, quam recenſio, a loco aliena. Id videtur certum, Volumen hoc multis eo nomine minus probatum iri, præcipue Gallis. Regis Æthiopum Abiſſinorum, *Sighiadi*, filium, *Alaphum Saghiedum*, optaſſe & profeſſum eſſe A. 1704 communionem Eccleſiæ Romanæ, Noſter commemorat, addens, eundem obiiſſe ante adventum legationis Romanæ. Tandem improbatur Jeſuitarum indulgentia penes Sinas admiſſa, per quam Sacrificia, Ethnicorum more, cœlo, *Confucio*, Philoſopho, & Progenitoribus Sinenſibus, vita functis, peracta, Jeſuitæ, ſalva ſua religione, permiſerant, contrarium tenentibus Fratribus Ordinis Prædicatorum, *Turnonio*, & *Clemente*, Pontifice. Diſputatum ideo, ritus ſacrificii illius utrum eſſent Politici, an Eccleſiaſtici. Legenda eſt hæc controverſia penes Autorem. *Clemens* ritus iſtos, meliora edoctus, merito proſcripſit. Imperatorem Sinarum Jeſuitæ & Luſitani in omnia alia flexerunt, & Decretis illuſere Romanis. Omittimus ea, quæ proferuntur de ſtudio *Clementis* in Chriſtianos Aſiaticos & Americanos, quod maximum, ſi Noſtro credimus, fuit omnino. Ad A. 1705 refertur, Hildeſienſem Eccleſiam, annum jam integrum ab hæreticis vexatam, eo deveniſſe anguſtiæ, ut fructus, quibus Clerus alebatur, ipſorum fraude interceptos, amiſerit: & templa etiam nonnulla ac religioſorum virorum cœnobia ejusdem Epiſcopatus inſidiis hæreticorum patuiſſe. Quantum hæc a veritate ſint aliena, Hildeſienſes utriusque religionis optime norunt, querentibus potius Evangelicis, contra pacta publica Romanenſes ædibus ſacris paſſim exſtruendis dediſſe operam. Teſtamur libros ideo publice editos, & ipſam experientiam. Querelæ de pactis Palatinis haud videntur veriores. De Janſeniſmi in Gallia fatis afferuntur multa. Ex hiſce, ni fallimur, de inſtituto & ratione ſcribendi eam Lectores haurient ſententiam, quæ

Pag. 114 ſeq. — 123 ſeq. — 126. — 128. — 133 ſeq. — 136.

Digitized by Google

Opere & Autore eſt digna, in quo quippe nil elegantiarum & laudum in heroem ſuum emiſſarum eſt omiſſum. Deſideramus tamen alicubi rerum geſtarum luculentiorem materiam, & pragmaticam enarrationem fuſiorem. Sed, religioni & regioni ut aliquid ſubinde daretur, præcipere videbatur, ſibi merito conſulens, prudentia. Nova a Janſenianis excogitata conſilia coercita fuerunt *Clementina* Conſtitutione, cujus initium: *Vineam Domini Sabaoth.* *Libro tertio* recenſentur acta ab anno ſummi Pontificatus ſexto uſque ad undecimum. *Liber quartus* geſta proſequitur ad annum ſextum decimum. *Libro quinto* res ad viceſimum Pontificatus primum annum exponuntur. *Libro ſexto* denique habitus corporis, naturales animi dotes & virtutes, enarrantur. Inprimis ipſe Græcos cum Romana Eccleſia jungere tentavit: munera viris, non viros muneribus, honeſtare contendit: bonas artes fovit: liberalibus diſciplinis atque doctrinis ſubſidia comparavit: ædificia publica & ſacra & profana magnifice exornavit: portum fabricatus eſt ad Tumulum Cæſarum: columnam cum baſi, conſecrationi *Antonii Pii* inſignitam, pæne obrutam, detexit, alio tranſtulit, & publicæ eruditioni vindicavit: Avenionem novis tormentis bellicis muniit: parcus in cibo & potu, largus in egentes, exſtitit. In tanti muneris faſtigio dixit intra templum Vaticanum & Liberianam B. *Mariæ* Virginis Baſilicam Homilias 28, Latinas Orationes ad Purpuratos in Dicaſterio ſacro habuit 135, edidit ultra centum Conſtitutiones Apoſtolicas, quas ſplendidiſſime excudi curavit *Hannibal*, Cardinalis Camerarius, qui Epiſtolas ejusdem Apoſtolicas ultra 1040 gemino Volumine edidit. Nec ii, qui a modulo doctrinarum Pontificiarum diſſident, inficiari audent, *Clementem* exſtitiſſe heroem intrepidum, rebus publicis tractandis aptiſſimum, literis excultiſſimum, ſaluti externæ cœtus ſui ſacri accommodatiſſimum, &, ut ſummatim dicamus, Virum, cui anteferendus nemo, pauci pares putantur. Opus ipſum concluditur Indice copioſo & accuratiſſimo. Typi chartæque nitor, ſcripturæ commoditas, figuræ minutæ, paſſim inſertæ, Operi nil ſubtrahunt, quod oculos Lectorum in ſeſe poſſit convertere.

Pag. 498 ſeq.

LES

LES POESIES DE VIRGILE &c.

h. e.

CARMINA VIRGILII, IN GALLICUM SERmonem tranſlata; cum Notis Criticis & Hiſtoricis P. F. CATROU. Editio nova.

Tomi IV.

Pariſiis, apud fratres Barbou, 1729, 8.

T. I Alph. 1 pl. 6, T. II Alph. 1 pl. 9, T. III Alph. 2 pl. 9, T. IV Alph. 2 pl. 3.

Ad ridendum forte ſe jam, lecto titulo hoc, parabunt, ſi qui meminerint Lectores, quam ornatos aliquoties, quam pexos dederimus Gallorum quosdam, qui in patrium ſermonem ex Latino converſos Autores ediderunt. Sed non ita ſumus inimici Gallis aut iniqui, ut nihil in iſto genere, quod laudem mereatur, ſcribi ab iis proferrique poſſe putemus. Sunt enim & hodie inter eos, qui egregiæ eruditionis laude digni ſunt, utilemque humanioribus literis operam navant. Inter hos referendus etiam ſuo merito eſt Rev. *Catrou*, de cujus opera in *Virgilio* illuſtrando conſumta quædam dicere ſuſcepimus.

Quatuor ſunt hujus editionis *Volumina*, quorum *primum* Eclogas, *alterum* Georgica, Æneida *reliqua duo*, complectuntur. De *primo Volumine*, cui Vita *Virgilii*, quæ ſub *Donati* nomine extat, præmiſſa eſt, & quod ob novas valdeque veroſimiles quarundam Eclogarum interpretationes inprimis lectu dignum videtur, nihil eſt, quod dicamus, cum jam ſit in his Annalibus *A. 1709 M. Jul. p. 330* de eo, quantum ſatis tunc viſum eſt, dictum. Sigillatim enim iſtud Volumen ante aliquot annos prodiit. Neque tum animus fuit Editori, eandem reliquis *Virgilii* libris operam impendere. Interpretatio Gallica Operum Virgilianorum præter elegantiam ſermonis hoc habet inprimis laude dignum, quod ab earum licentia remota eſt, quæ tantum ſententiam qualicunque modo exhibent Autoris Latini ſtilo accommodatam. Multo minus eos popularium ſuorum ſecutus eſt hujus interpretationis conditor, qui non integros

Auto-

Digitized by Google

Autores, ſed, id quod ridiculum interpretandi genus eſt, quantum intelligunt, interpretantur. Ita ſcilicet Noſter interpretatus eſt *Virgilium*, ut nec verbis Latinis ſervili ratione inhæſerit, neque tamen ab iis diſceſſerit, niſi linguæ Gallicæ indoles ſuaſerit & ratio. Senſum *Virgilii* plerumque omnino aſſecutus eſt verum, neque, ab eo facile eum aberraſſe, quemquam dicturum putamus, niſi quis fortaſſe iis in locis id factum eſſe putet, quorum ſibi Autor videtur certas interpretationes attuliſſe, cum dubiæ ipſi videantur. Quos adjecit interpretationi Gallicæ Commentarios, non unius generis ſunt. Alterum ipſis Autoris Latini verbis ſubjectum eſt; eaque fere complectitur, quæ ex Hiſtoria, Geographia, Mythologia &c. ad illuſtrandum Autorem afferri poſſunt. Alterum autem, quod ſingulos libros ſequitur, in emendandis illuſtrandisque difficilioribus locis verſatur, ex quo proinde quædam ſpeciminis loco enarrabimus.

Virgilium in Georgicorum Opere quædam mutaſſe, poſteaquam abſolutum & jam annos aliquot in manibus hominum fuerat verſatum, nemo fere eſt, quin ſciat. Hoc vero ante Noſtrum præſtitit nemo, ut, quo anno abſolutum, quo mutatum, & in qua re, quibus locis illud opus eſſet, oſtenderet. Quæ res fecit, ut in explicando opere iſto non ſatis mentem Poetæ ubique aſſecuti ſint Interpretes. Itaque id inprimis ſibi datum eſſe credidit, ut eas res, quantum poſſet, expediret. Quod quidem ita ille effeciſſe videtur, nihil ut ſententiis ejus ad ſummam veroſimilitudinem deeſſe putemus. Scilicet anno ab U.C. 724 primum edita a *Virgilio* Georgica, anno autem 734 poſteriores ejus curas experta, variisque in locis mutata eſſe, ſtatuit & docet. Vid. *Praf. A.6 a. Conf. p.92, 185, 189,* inprimisque *p. 452* ad initium Libri III, quod quidem initium ex ſententia Autoris magnam lucem trahit. Nam, ſi A. U. C. 734 mutavit quædam Georgicorum loca *Virgilius*, ſi iſta mutatio ultimo fere vitæ anno & paulo ante iter facta eſt, quod in Græciam ſuſcepit, & quo ipſo periit, quid difficultatis habent iſta *Virgilii* verba *Lib. III v. 10:*

Primus ego in patriam mecum, modo vita ſuperſit,
Aonio rediens deducam vertice Muſas &c.

Eodem

Eodem tempore partem *Lib. IV a v. 281 uſque ad finem* acceſſiſſe eidem putat, ablata parte veteri, quæ *Galli*, Poetæ, laudes celebrabat. Vid. *p. 328.* Omnium Interpretum ingenia exercuit *v. 490 Lib. I:*

Romanas acies iterum videre Philippi,

dubiorum quippe, quo ſenſu Philippi *bis* Romanas vidiſſe acies poſſint dici, cum ſemel tantum id factum ſit tum, cum ab *Antonio* & *Octaviano Bruti* & *Caſſii* copiæ profligarentur. Noſter, ſenſu proprio ita recte dici, primus, ſi recte meminimus, affirmat, omninoque & a *Cæſare* & ab *Auguſto* ibi eſſe pugnatum, idque locis *Ovidii, Lucani*, & *Manilii*, confirmat. Ita enim *Naſo Met. XV, 823*, de *Auguſto:*

- - - - *Pharſalia ſentiet illum,*
Emathiaque iterum *madefacti cæde Philippi.*

Locus *Lucani* eſt *Lib. VIII de Bell. Pharſ. v. 852 ſeq. Manilii* autem *Aſtron. I, 908:*

Vix etiam ſicca Romanus miles arena, &c.
Perque patris, pater Auguſtus, veſtigia vicit.

Refert huc etiam locum *Flori IV, 6*: Philippicis campis urbis, imperii, generis humani, fata commiſſa ſunt. Reliqua, quæ in hanc rem diſputat, ipſi videant Lectores. Difficillimus ſine dubio Georgicorum, quin totius *Virgilii*, eſt *Lib. IV a v. 287 - 294: Nam qua Pellæi* &c. Hunc Noſter, poſt *Cerdanum, Ruæum, Huetium, Harduinum*, aliosque, nova ratione explicare tentavit. In qua re quin probaturus ſit Lectoribus ingenium, minime dubitamus; multis certe explicationem hanc ſuam placuiſſe intelligentibus harum rerum Viris, ipſe affirmat; num vero talis illa viſura ſit, quæ nil dubii relinquat, affirmare vix auſimus. Primis tribus verſibus Ægyptum inferiorem deſcribi, ait, id quod facile omnibus perſuaſerit; duobus proximis, Ægyptum ſuperiorem; duobus reliquis, originem Nili in Æthiopia. Difficillimus in eo hæret nodus, quomodo, Ægypti partem vicinia Perſidis urgeri, poſſit dici. Hic vero non Perſidem propriam illam Aſiæ intelligi putat, ſed Ægypto finitimas ab Oriente ac Occidente provincias Perſidem a Poeta dici, quoniam eas Perſici coloni incoluerint. *Salluſtium* certe *de Bell. Jug. Cap. XVIII* ex libris Punicis tradere: Medos, *Perſas* &

Digitized by Google

Armenios, navibus in Africam transvectos, proximos mari mediterraneo locos occupaſſe, ſed Perſas intra oceanum magis; *Herodotum* autem *Lib. III* & *VII* tradere, *Cyrum*, domita Ægypto, ei præfeciſſe, qui in officio eam retineret. Sub *Artaxerxe* res novas molitam, victam denuo eſſe, & coloniam Perſicam in ſuperiori Ægypto poſitam eſſe, quæ ab Ægypto cohiberet vicinos Æthiopes. Hanc porro coloniam *Seneca* temporibus nondum fuiſſe deletam, ex *Lib. IV Qu. Nat.* conſtare. Has denique colonias a Poeta Perſidem dici poſſe eodem jure, quo Cumas, Chalcidicam arcem, Etruſcos juvenes, Mæoniam juventutem appellet, & Tibrin fluvium, Lydium. Verſum:

Et viridem Ægyptum nigra fæcundat arena,

ita explicandum eſſe, ut *fæcundat* ad Nilum referatur. Ægyptum autem viridem dici ſuperiorem, non quod inferior viridis non ſit, ſed quoad cum Æthiopia comparetur, de qua *Virgilius*:

- - - *moriens alta liber aret in ulmo*
Æthiopum.

Nigros denique *Indos* Æthiopas eſſe, quos conſtet ſæpe cum Indis a priſcis Poetis, ac ab ipſo *Virgilio*, paſſim permutari. Sed ad eam Commentariorum partem properandum eſt, qua Æneis illuſtratur. In Præfatione, quam præmiſit *Parti III*, de inſtituto ſuo exponit, & doctam comparationem inter *Æneida Virgilii* & *Iliada Homeri* inſtituit, &, uter alterum in eligenda carminis materia præſtiterit, uter de Diis optime ſenſerit & ſcripſerit, in heroe fingendo, fabula excogitanda, acutior & ingenioſior ſit, cujus eloquentia major, & poeſis ipſa ſuavior, diſputat; qua in re examinanda dijudicandaque ita omnino verſatus eſt, ut nil partium ſtudio dederit. Ipſi autem Commentarii ejusmodi ſunt, ut ſimiles in eo genere vix putemus exſtare. Sunt enim inſtar Artis Poeticæ cujusdam; quippe id dedit Autor operam, ut ad artis poeticæ *Ariſtoteleæ* regulas *Æneida* exigeret; quicquid unquam a priſcis, *Macrobio* v. c. & recentioribus reprehenſum eſt, examinaret, &, quo jure, quave injuria reprehenſum, oſtenderet; ubi porro &, quomodo *Homerum Apolloniumque Rhodium* imitatus & quo ſucceſſu ſit, utrum aſſecutus ſcilicet eos ſit, an vero minus, demonſtraret. Quæ dum agit, plerumque *Virgilium* defendit quidem, ſed

tamen

tamen reprehendit interdum etiam. Non dubitamus, fore, qui hoc Commentariorum genus faſtidiant, & alto ſupercilio contemnant. Sed hi fere erunt, qui Criticen omnino vocabulariam & in literis & ſyllabis unice occupatam amant, neceſſariam illam quidem & utilem, ſed minime huic generi Critices præferendam, quam Autor noſter adhibuit *Æneidis* Operi, & qua veteres Critici, *Longinus* v. c. *Dionyſius*, atque alii, inprimis uſi ſunt. Hoc certe audemus affirmare, hos Commentarios, quibus ad regulas artis exiguntur Scriptores, utiliores eſſe, majorique hominum parti prodeſſe, atque omnes Variantium Lectionum Libros, omnesque de locorum difficilium quorundam emendatione diſputationes. Reſtabat, ut de emendationibus locorum quorundam, ab Autore tentatis, diceremus, namque ne hoc quidem Critices genus neglexit; ſed, quoniam jam migratos eſſe a nobis juſtæ recenſionis terminos videmus, ad ipſum Librum harum rerum ſtudioſos remittimus.

TRAITÉ DE LA JUSTIFICATION, &c.

h. e.

DE JUSTIFICATIONE TRACTATUS, IN tres Libros diſtinctus; Autore JOANNE LA PLACETTE.

Amſtelodami, ſumtibus Societatis, 1733, 12.

Plag. 14.

Celeberrimum eſt inter *Calviniane* formulæ Theologos *Placettæ* nomen. Neque facile quemquam invenias, qui noſtris temporibus majorem lucem doctrinæ de moribus & officiis Chriſtianorum affuderit. Itaque, qui extant illius ad eam rem pertinentes libri, & emtores, & lectores, addimus etiam laudatores, plurimos invenere. Neque tamen laude illi caruere, qui de dogmatibus fidei Chriſtianæ tractant, ut, quos de fide divina, de autoritate ſenſuum &c. ſcripſit. Conſtat enim inter omnes, in quanto ſint & hi apud ſuæ ſectæ homines pretio, tantique etiam a noſtris fieri, quanti poſſunt alius ſectæ hominis de fidei dogmatibus opera; ut nobis ad commendatio-

nem hujus, de quo nunc quædam erunt dicenda, libri ſuffice-re videatur ipſum Autoris nomen. Eſt is quidem poſthumus liber, ſed longe majoris pretii, ac ſolet eſſe vulgo hoc librorum genus. Neque enim ex paucis maleque cohærentibus Autoris conſarcinatus eſt ſchedis, ſed ab ipſo Autore perfectus, abſolutus, & prelo paratus. Nihil itaque, mortuo *Placetta*, quidquam defuit Operi, præter Editorem. Is ipſi contigit Theologorum Reformatorum facile princeps, *J. A. Turretinus*, qui illud, ipſa Autoris manu ſcriptum, cum Bibliopolis Amſtelodamenſibus hoc conſilio communicavit, ut typis exſcribendum curarent. Occaſionem conſcribendi libri non una res Autori dedit. Viſus ſibi eſt in eo, quem de officiis Chriſtianorum generatim (*des bonnes œuvres*) edidit, libro *p.* 276 inſignem lacunam inveniſſe, negligentiaque operarum commiſſum eſſe credidit, ut quædam MSti libri paginæ abſint ab impreſſo. Eo ipſo autem loco de Juſtificatione expoſuerat. Itaque id, quod hoc libro executus eſt, conſilium cepit. Acceſſit bellicoſi hominis & rixis gaudentis Theologi, *Philippi Naudæi*, intempeſtiva & acerba reprehenſio cujusdam de Juſtificatione formulæ, qua erat *Placetta* in libro de Fide divina uſus, & quam vindicare a perverſis interpretationibus conſtituerat. Ipſa denique doctrinæ dignitas & gravitas hunc laborem ſuaſit, quem facile videbat & utilem ſuis & jucundum fore. In *tres Libros* deſcriptum eſt Opus. Ac *primo* quidem, id quod caput rei eſt, demonſtrat, quam Apoſtoli vocabulo δικαιοῦν vim poteſtatemque ſubjecerint; rejectisque eorum ſententiis, qui juſtificare dicunt eſſe, ſanctum reddere, virtuteque donare, aut inſtar juſti tractare, aut denique juſtum declarare, hoc, dicit, ſignificare verbum illud, ut, qui juſtificetur, ſit abſolutus ejus, cujus accuſatus criminis erat. Quas quidem vocabuli hujus explicationes, ſi a prima illa Romanenſium receſſeris, parum omnino, ſi vim verborum ſpectes, differre, multi ſine dubio, neque male, arbitrabuntur. Eodem hoc libro, qualia ſint opera illa, inquirit, quæ ad juſtificandum hominem nihil valere *Paulus* docet, & hunc cum *Jacobo* conciliat, quorum de vi bonorum operum & fidei ſenten-

ſententiæ inter ſe diſcrepare quibusdam viſæ ſunt. Liber ſecundus *de Juſtificatione peccatorum*, tertius autem *de Juſtificatione juſti* tractat, in quibus multa ſunt omnino præclare ſcripta, multa de variis quæſtionibus ſubtiliter diſputata, quæ cum doctrina hac conjunctæ ſunt. Quæ ſingula ſi referre vellemus, finis hujusmodi recenſionis migrandi eſſent. Itaque, quoniam non dubitamus, quin harum rerum cupidi ab ipſo malint hæc omnia Autore diſcere, enarrando prolixius hujus Libri argumento nos abſtinemus.

ENTRETIENS PHYSIQUES D'ARISTE ET D'EUDOXE, &c.

h. e.

COLLOQUIA PHYSICA ARISTI ET EUDOXI, ſive Phyſica nova, per Dialogos expoſita; Autore P. REGNALTIO, e S. J.

Tomi III.

Amſtelodami, ſumtibus Societatis, 1732, 12 maj.
Alph. 3 pl. 14, cum fig. æn. 94.

Methodum, quæ noſtra ætate fere exoleviſſe videbatur, Philoſophiam per Dialogos tradendi, Autor hoc Opere inſtaurare, atque palmaria recentiorum in naturali doctrina inventa duorum hominum familiariter colloquentium ſermone explicare ac illuſtrare inſtituit. Non deeſſe huic methodo, veterum inprimis Philoſophorum uſu commendatæ, ſuam venuſtatem ac utilitatem, negari omnino nequit, cum ſermonis varietate continuo animus, ne langueat, excitetur ac intendatur, præcipua rationum momenta brevibus promantur, atque nonnulla, ad rem non adeo pertinentia, quæ vulgari methodo temere præterire haud licet, recte omittantur. Et, cum in ſingulis fere Philoſophiæ partibus dubia ac controverſæ eruditorum ſententiæ occurrant, illæ diſerto colloquentium ſermone naturalius exponi videntur. Accommodata inprimis methodus hæc eſt Autoris inſtituto, cum animus ipſi non fuerit

rit eruditos inſtruere, aut naturalis ſcientiæ pomœria amplificare, ſed in juvenum, aliorumque, quibus naturam data opera ſcrutari haud vacat, gratiam, brevibus palmaria complecti, quæ ſummorum noſtri temporis Philoſophorum ſtudio ac induſtria eruta fuere. Vulgaria igitur experimenta nonnulla, ſed elegantia, quæ alii Philoſophi ſuperciliose tranſire ſolent, cum tirones tamen rationem illorum non ſatis intelligant, haud negligit, ſed accurate explicat. Ne illis, quibus ulterius progredi, atque altiora ſimul complecti, animus eſt, deſit, fontes, ex quibus doctrinas ſuas hauſit, ingenue indicat, atque ita tirones hiſtoriæ rerum naturalium notitia mature imbuit, qua methodo conatus ulterius contendentium egregie adjuvantur. Gallorum Philoſophiam inprimis ſectatur, multaque ex doctis illis Regiæ Academiæ Scientiarum Commentariis, quibus tantum doctrina Phyſica debet, adoptat, ab hypotheſibus nonnullis, quas Anglorum Philoſophi noſtris temporibus vehementer propugnant, alienus. Inchoat Opus accurata delineatione characteris perſonarum colloquentium, id ſibi habens perſuaſum, Lectorem inde indolem tractationis ſuæ atque inſtituti rationem optime perſpecturum. Alter eorum, qui colloquuntur, eſt *Eudoxus*, Philoſophus gravis, qui a teneris in Philoſophiam, quam profitetur, incubuit, homo vultu ſemper ad hilaritatem compoſito præditus, qui contentus illa, quam acquiſivit, rerum naturalium ſcientia, vanas aliorum artes deſpicit, lætus, illa a ſe intelligi, quæ vulgus hominum ignorare ſolet. Hac animi indole amorem ac reverentiam *Ariſti* juvenis ſibi conciliavit, hominis probi, atque ſolida Philoſophorum doctrina imbui anhelantis. Hic, aliqua Philophiæ ſcientia jam inſtructus, atque fama ſociorum Academiæ Pariſinæ exſtimulatus, ab *Eudoxo* duci gaudet, qui errantem ſubinde corrigit, quæ dubia ipſi videntur, explanat, ſuaque eruditione nutanti juvenis ingenio tempeſtive ſuccurrit. Ordiuntur itaque Philoſophiam a materiæ contemplatione, atque tum impenetrabilitatem, tum diviſibilitatem ejus in infinitum, particularum inprimis, ex quibus componitur, exilitatem admirati, formam & materiam principia rerum naturalium eſſe, arbitrantur. Illorum vero vanam ſolicitudinem

nem rident, qui, nodum in ſcirpo quærentes, de probanda materiæ exiſtentia operoſe laborant; cum omnium externorum ſenſuum teſtimonio illa prodatur. Accuſat *Eudoxus* hominum oſcitantiam, quibus novæ ideæ facile imponunt, niſi ab incantatione illarum prudenter ſibi caveant. Poſtquam enim ſemel quis rerum novarum ſtudio ac dulcedine captus eſt, nova quæque ſibi effingit principia, quibus abſurda quævis ſuperſtruere licet. Cui omnia ſordent, quæ aliis placent, is vanæ paulatim aſſueſcit imaginationi, gaudet, ſe ſupra alios omnes ſapere ſibi videri, atque inepta ſuperbia ineſcatur, quod ſuis cogitationibus ab aliis omnibus diſcedat. Hiſce caſſibus irretiti recentiores nonnulli, Idealiſtarum ineptias amplexi ſunt, atque inter alios Abbas quidam noſtri temporis, cujus nomini Autor parcit, ſe non niſi dimidium ſui, animum ſcilicet, in ſe ipſo invenire, ſibi perſuadere inſtituit. Non habita ratione ponderis corporis ſui, quod doloribus, quibus animam torquet, illatam a Philoſopho injuriam ſtatim ulciſci videbatur, ſpiritum purum ſe eſſe, ſomniat, cui absque corporis auxilio, ſecundum imaginarias naturæ leges, quas explicare, aut demonſtrare neſcit, illæ impreſſiones obverſentur, quas intercedente corpore ſe ſentire, alii opinantur. Mirum autem aliis non ſine ratione videbitur, quod purus hic ſpiritus generoſo vino veteri vehementer delectetur, rara piſcium ac avium carne delicatule veſcatur, muſica arte extra ſe quaſi rapiatur, editis publice ſpectaculis frequentius interſit, atque longe ſæpius cum fœminis pulcherrimis converſetur, quam ad pedes altarium pulchritudinem puriſſimi ſpiritus contempletur. Honeſtas ſenſuum oblectationes non quidem faſtidit, ſed, dum illas percipit, in idea duntaxat illis ſe frui, ſibi perſuadet. Cum alii ſæpe nubem pro Junone amplectantur, hic nubem ſe tenere credit, dum Junonem complectitur, atque, ut ſubtilior Philoſophus videatur, famam hominis communi ſenſu præditi perdit. Non ſolum S. Scriptura, ſed ſana etiam ratio, materiæ exiſtentiam invictis argumentis demonſtrat, ſiquidem recordemur, quod a primis infantiæ noſtræ annis, quovis momento, mille ac mille alia corpora perceperimus, in quorum numerum noſtrum quo-

que

que corpus referendum eſſe, dubium non eſt. Inclinat quoque animum conſtans diverſorum ſenſuum noſtrorum conſenſus, de variorum corporum exiſtentia, ne fidem rei multis teſtibus comprobatæ habere recuſet. Nec vitii aliquid huic animi noſtri propenſioni exprobrari poteſt, cum illam, nobiscum natam, ſine dubio ipſi naturæ Autori debeamus, qui cum perfecte bonus & ſapiens ſit, nos decipi haud patitur, dum ſecundum conſtantem ſenſuum conſenſum & naturalem, quem nobis indidit, affectum judicamus. Dictat enim ratio, opus Deo fore, miraculo legibus naturæ a ſe conditis derogare, ſi ludibrio inſtrumentorum cogitandi, quæ ipſe ſuppeditavit, ita me exponi permitteret, cum nonnulla eorum dari omnino corpora demonſtrent, illorum vero teſtimonio acquieſcere ac ſecundum eorundem ſuffragia judicare, mihi haud liceat. Ipſe cultus externus, quem optimo naturæ autori omnino debemus, corpus noſtrum merum phantaſma non eſſe, luculenter evincit. Cum enim nos homines animalia ratione prædita eſſe voluerit, neceſſe eſt, ut diſcernere valeamus, an creatori noſtro externum cultum debeamus; quod dijudicare omnino haud poſſumus, niſi, nos corpus habere, certis teſtimoniis nobis conſtet. Vix igitur ſani hominis eſt, de exiſtentia corporum dubitare, etiamſi non omnes forte materiam, quam poſt *Carteſium* Philoſophi ſubtilem vocant, vere exiſtere largiantur. Ut tirones naturam ejus facilius intelligant, atque animus ipſorum præparetur, ne novæ rei intuitu percellatur, aeris craſſi, quem reſpiramus, qualitates præcipuas ante recenſet Autor, quam ſe ad probandam ejus exiſtentiam accingat. Per materiam hanc ſubtilem non quidem cum *Carteſio* intelligit corpuſcula illa infinite parva, dura & rotunda, verbo materiam illam globoſam, cui non ſecus, ac Poetarum Proteo, figuram quamvis induere liceat, ſed materiam, ipſo, quem reſpiramus, aere multo ſubtiliorem, mille modis agitatam, cujus motus ſiderum ac ſolis curſu continuatur, quæ ex particulis tantum infinite parvis componitur, quæ diverſo modo conglutinatæ, in figuras triangulares, quadratas, ſphæricas, oblongas &c. formantur. Dari omnino ejuſmodi materiam, ma-

chinæ,

Digitized by Google

chinæ, quam pnevmaticam vulgo vocamus, artificia luculenter demonſtrant. Poſtquam enim ejus auxilio omnem aerem craſſum ex vaſe conico vitreo exhauſimus, hoc ipſum vas materia aliqua ſine dubio adhuc repletum eſt. Prodit illam ipſum lumen, quod per vas illud, non ſecus ac ante, quam aer exhauſtus erat, libere tranſit, manifeſto argumento, ſupereſſe in vaſe materiam, motum corporis lumi-noſi ad oculos noſtros propagantem. Lumen vero corpus eſſe, vel ex eo conſtat, quod oculis noſtris, ſi copioſum nimis fuerit, admodum moleſtum ſit, imo fortius illos percellendo damnum inferat. Corpus autem non niſi a corpore tangi, corrumpi, aut lædi poteſt. Nec ſuſpicari licet, reliquam in vaſe vitreo materiam aerem eſſe, cum alius longe naturæ ſit, quam craſſior aer, corpora omnia circumambiens. Exhauſta enim ex vaſe illo materia, quam craſſum aerem vocamus, animalia omnia recreat ac refocillat, cum reliquam illam materiam haurientia quaſi veneno propinato ſuffocentur. Craſſior aer motum ſoni tremulum propagat, cum, pulſata campana in vaſe hoc, ab aere craſſo vacuo, ſonus horologii portatilis haud audiatur. Neque craſſior aer noſter cryſtallum aut vitrum penetrat, cum ſubtilis materia per ſolida corpora vitrea facile tranſeat. Prodit hujus materiæ ſubtilis exiſtentiam etiam thermometrum, cujus tubum, ſpiritu vini repletum, ingreditur, ipſumque tandem corrumpit, ut alia taceamus argumenta, quæ Autor proponit, ut evincat, exiſtere omnino corpuſcula ejusmodi ſubtiliſſima, quæ Philoſophi ſubtilem materiam vocant. Debentur ejus virtuti multa naturæ miracula, atque ſine dubio cauſa eſt phænomenorum illorum, quæ in magnetico lapide admiramur; duriſſimis corporibus ſe inſinuans, ſuperba tandem ædificia & immenſæ molis ſaxa deſtruit. Motu continuo agitata, efficit, ut ſanguis aliique liquores in canalibus ſuis fluant, ut cerebri ſubſtantiæ mollities ſua conſervetur, quæ mirum in modum flecti ſe patiatur. Ipſi *Ariſtoteli* hæc materia ſubtilis jam ſuboluiſſe videtur, ſiquidem frequentius de materia ætherea, de igne per hoc univerſum ubique diſſeminato, loquatur, qui in ipſo aere, imo in regioni-

bus ſupra aerem exiſtat. Cœleſtis ille ignis atque ætherea materia profecto ne hilum quidem differt a materia ſubtili, quam *Carteſius* vulgo primus inveniſſe creditur. Cum vero in argumentis hiſce, quibus materiæ ſubtilis exiſtentiam ſtabiliſire conatur Autor, corpora omnia poris perforata eſſe ſupponantur, illorum quoque naturam explicare ac illuſtrare ſatagit. Vero quidem ſimile non eſt, corpora minima, quæ ſenſuum noſtrorum aciem fugiunt, poris ſuis pertuſa eſſe; ſed craſſam corporum compagem infinitis fere poris diſtinctam eſſe, ut ſubtili materiæ,in ipſis circulanti, via pateat, vel ex eo evincitur, quod omnia fere corpora ſe comprimi patiantur. Dum enim comprimuntur, partes ipſorum propius ad ſe invicem accedunt, quod omnino oſtendit, illas interſtitiis nonnullis ante diſtinctas fuiſſe. Illud nemo in dubium vocaturus eſſe videtur, quod omnia, quæ ſenſibus noſtris percipimus, corpora comprimi queant, cum ipſum ebur, duriſſimum corpus, comprimi videamus, ſi globus eburneus, ſebo inunctus, in tabulam duram decidat, ejusque virtute elaſtica reflectatur. Quantum enim hoc caſu globus iſte complanetur, circulus ſebaceus ſatis ſpatioſus, in tabula expreſſus, prodit. Et quæ alia ratio eſt, cur aqua quatuordecies levior ſit argento, quam quod ſub eodem volumine vix decima quarta pars materiæ comprehendatur? Mittimus alia argumenta plura, quibus Autor evincit,omnia corpora, non modo poroſa, ſed figuram illorum pororum quoque admodum diverſam eſſe, licet *Carteſio* hac in re ſapientior, figuras illas temere definire non audeat. Inde a doctrina de poris ad explicandam vacui naturam progreditur, atque *Carteſium, Regium,* & *Rohaltium*, quorum partes ſtudioſe hactenus ſecutus eſt, nunc deſerit, contendens, vacuum non quidem conceptu impoſſibile eſſe, ſed reapſe in natura haud inveniri. Quo enim prætextu quis negaret, Deum facile aerem omniaque corpora, quæ nos ambiunt, annihilare poſſe, ita, ut parietes ædium, quas incolimus, adhuc ſubſiſterent, exhauſtam licet omnem materiam ante interfluentem fingamus? Nihil ſane ea in re cogitamus, quod Dei potentiam ſuperaret, aut ſecum pugnaret. Deus, qui nullius

Digitized by Google

lius rei auxilio ad conſervationem corporum opus habet, ipſorumque exiſtentiam pro arbitrio ſuo continuat, ſubſtantiam aliquam annihilare poteſt, ſalva manente atque integra alia ſubſtantia, quæ huic vicina eſt, ſiquidem ſubſtantiarum harum natura penitus diverſa ſit, nec a ſe invicem dependeant. Sua igitur imaginatione ac ſomniis deceptus *Carteſius*, vacuum dari negabat. Illa enim duce progreſſi, ſi ultra ſex mille annos terminum conditi mundi exſpatiemur, ſemper imaginatio nobis extenſum quid repræſentat; ſed fallitur, dum ſoliditatem ſibi in illa extenſione fingit. Infinita ejusmodi ſoliditate admiſſa, mundum æternum eſſe, negare haud liceret. Cum corporeis imaginibus imaginatio noſtra vehementer delectetur, frequens corporum intuitus illam extenſionis imagine quaſi obruit, quam ſemper deinde comitem habet, quocunque ſe vertat. Licet igitur impoſſibile non ſit, vacuum concipere, quicquid *Carteſius* cum diſcipulis objiciat, nulla tamen ratio nobis perſuadet, ut vacuum reapſe in hoc univerſo dari concedamus. Ipſi enim corporum pori, in quibus *Gaſſendus* cum *Lucretio* & *Epicuro* vacuum ſuum diſſeminatum quærebant, materia ſubtili certi generis turgent. Minimarum ſubtilis hujus materiæ particularum figura etiamſi admodum diverſa ſit, valde tamen friabiles ſuapte natura atque fragiles ſunt, ut quamvis facile induant figuram, donec vacua interſtitia omnia repleta ſint. Rarefactio & condenſatio corporum exiſtentiam vacui certe non evincit, cum, volumine corporis ita, ut non ſimul maſſa ejus augeatur, increſcente, materia ſubtilis, imo ipſe ſubtilior aer, ampliatos corporis meatus ingrediatur, ipſosque repleat. Occaſionem hæc vacui contemplatio Autori ſuppeditat, tranſeundi ad explicandam naturam motus. Varia igitur ejus genera, tum abſolutum, tum relativum, evolvit, atque leges, quas Deus motis corporibus ſtatuit, enarrat. Nobis jam non vacat, prolixius excerpere, quæ de motu diſſerit, inprimis cum nihil novi illis propoſitionibus addat, quæ paſſim in compendiis doctrinæ naturalis de motus natura ac legibus occurrunt. In eo forte ab aliis diſſentit, quod corpus motum, cujus motus nulla cauſa externa reprimatur, in infi-

Digitized by Google

nitum motum iri neget, ſiquidem celeritati ejus ſemper aliquid addi poſſit. Laudando autem inſtituto, dum regulas motus explicat, non tantum longe quæſita experimenta cum aliis ſcientiæ naturalis doctoribus in medium profert, ſed nec ea, quæ obvia & quaſi ante pedes poſita ſunt, negligit, cum multorum interſit, illa accurate explicari, quæ quotidie fere oculis noſtris obverſantur. Spectat eo vulgare, ſed elegans, experimentum, quo conſtat, globum, ſi ſuper tabula, quæ *billard* vocatur, perpendiculariter ita extremis digitis percutiatur, ut directio ictus extremam diametrum vix tangat, aliquantum directe progredi, mox ſponte ſua priora veſtigia legentem regredi, ut illatum ictum ulturus videatur. Mirabile omnino phænomenon ita explicat Autor, quod globus, ictu, peripheriam ipſius fere contingente, percuſſus, gemino motu donetur, altero recto, altero circulari, quorum utrique, cum directiones horum motuum ſibi haud opponantur, globum obſequi, par eſt. Directo igitur motu ſuper tabula progreditur, donec vis ejus, partim tabulæ aſperitate, partim oppoſita aeris reſiſtentia, victa, exſtinguatur. Circularis vero motus, qui iisdem haud retardatur impedimentis, diutius perdurat, atque reactione aeris, motu recto impulſi, adjutus, globum verſus manum in plagam oppoſitam repellit, ut ictum a digitis inflictum quaſi vindicaturus, regrediatur. Motus reflexi & refracti naturam porro explicaturus, a *Carteſio* non diſcedit; quare elaſticam virtutem in auxilium haud vocat, ut corpus, in planum ſolidum impingens, reflectatur, ſed ſola vi motus impreſſi hoc fieri arbitratur, ut omnino nondum legiſſe videatur, quæ illuſtris Academiæ Pariſinæ Socii, inprimis *Mairanius*, nuper de hoc argumento in Commentariis ſuis prodidere. In exponendis motus refracti legibus, earumque ratione, cauſam, quæ *Carteſio* placuit, Noſter etiam adoptat. Notum eſt, corpus, quando motu aliquo ex medio diverſæ denſitatis in aliud medium tranſit, duplicem habere motus ſui directionem, quarum altera ſuperficiei aquæ, v. g. quam ingreditur, parallela, altera eidem ſuperficiei perpendicularis eſt. Corpus igitur poſtquam attigit ſuperficiem medii, quod magis reſiſtit eo, in quo

antea

Digitized by Google

antea movebatur, v. g. globus modo per aerem motus, nunc aquam ingreſſurus, fortiori reſiſtentiæ occurrit in directione perpendiculari, quam parallela. Majori hac reſiſtentia perpendicularis motus imminuitur, ſalvo atque integro manente motu parallelo. Fieri igitur nequit, quin corpus a perpendiculo, per utrumque medium tranſeunte, aliquantum declinet, h. e. motus ejus refringatur. Iisdem principiis cauſam communicationis motuum reflexorum aut refractorum in linea recta vel curva ſuperſtruit, contendens, illos aliorum corporum reſiſtentia haud deſtrui. Si enim reſiſtentia motum deleret, motus omnis materiæ ſubtilis atque totius univerſi mox deſtrueretur, ſiquidem ſidera lumen quaqua verſum emittant, atque omnia fere corpora in ſe mutuo agant, & ſibi invicem reſiſtant. Ita brevi futurum eſſet, ut omnia corpora quaſi conglaciata quieſcerent, atque funeſtus totius naturæ languor ſequeretur, quo tandem hoc univerſum in molem inertem, ex qua ante formatum fuit, redigeretur. Elaſticam enim vim, qua corpori compreſſo prior figura redditur, in ſubſidium vocare non licet, ut motus amiſſus ejus virtute inſtauretur, cum ipſa hæc elaſtica virtus, niſi alia vi alatur quaſi & reſtituatur, mox peritura eſſet. Corpora enim, quæ non niſi pars ſunt omnis materiæ, in hoc univerſo exiſtentis, figuram quamvis impreſſam libere induunt, nec ullam figuram affectant, niſi aliena virtute impreſſa in illam cogantur. Dum itaque corporibus elaſticis figura, quam ictu perdidere, reſtituitur, neceſſe eſt, cauſam externam, in illa agentem, amiſſam modo figuram inſtaurare. Externa hæc cauſa ſine dubio corpus eſt, quod ſenſibus quidem noſtris percipi nequit, ab ipſo autem aere diverſum eſt, ſiquidem, aerem quoque elaſtica virtute gaudere, in vulgus notum ſit. Non aliud itaque in univerſo hoc corpus invenimus, cui rectius vis elaſticæ affectus tribui poſſit, quam ſubtilem illam materiam, cujus motus reapſe haud perit, dum cum aliis corporibus communicatur, atque ita perdi rem non accurate ſatis expendentibus videtur. Quicquid enim corpus aliquod de motu ſuo perdere videtur, ſemper in aliud corpus propagatur. Id cauſæ eſt, cur magis mo-

 leſtum

Digitized by Google

leſtum nobis ſit, in arenoſa aut lutoſa, quam plana & ſicca, via incedere, cum propter plurium arenoſarum aut lutoſarum particularum reſiſtentiam, plus virium, ut illam ſuperemus, impendere opus ſit; cur globus e bombarda ejectus facilius per aerem, quam aquam, moveatur, cum vires ejus eo quoque caſu mox exſtinguantur, ſi aerem, ſuper fluvio aqueis vaporibus impraegnatum, trajiciat. Iisdem rationibus innifus, multa de corporum motu vulgaria experimenta explicat, quorum rationem Philoſophi quidem facile aſſequuntur, quae vero tironibus aliisque, in ſcientia naturali non ſatis verſatis, non adeo obvia eſſe ſolent: cur globus e catapulta miſſus facilius murum ſolidum, quam ſaccum lana refertum, penetret, cum fortior ſit motus unius globi, quam ſex aliorum, mole quidem, ſed non volumine, illi aequalium, etiamſi eadem celeritate, ſive eadem pulveris pyrii quantitate, projiciantur. Pergit inde ad arduum illud de cauſa duritiei, mollitiei, atque vis elaſticae, corporum argumentum. Duritiem ut explicet, diſtinguit in duris corporibus, quae ſenſibus noſtris percipiuntur, partes ejus molis, ut ſenſibus adhuc obviae ſint, ab illis partibus, quae ob exilitatem in illos haud incurrunt, illarumque duritiem naturali harum duritie effici arbitratur. Quaeſtio igitur inprimis eſt, quae cauſa ſit duritiei corporum minimorum, quae ſenſus noſtros fugiunt? Ratio ejus non ex ipſa harum particularum inſenſibilium natura repeti poteſt, cum conceptus, quem de eſſentia ipſarum in mente formamus, ipſarum duritiem haud involvat, & ipſae his minores particulae per naturam ſuam non alium ſtatum, quam in quo poſitae ſunt, affectent, in aeterna quiete juxta ſe perduraturae, niſi alieno glutine inter ſe colligentur, atque verſus ſe invicem impellantur. Subtiliorem adhuc materiam, qua omnia corpora involvantur atque compingantur, temere effingere haud licet, ſiquidem, ipſas materiae hujus particulas duras eſſe, neceſſe ſit; quare, pro reddenda duritiei ipſarum ratione, nova porro ipſis ſubtilior materia excogitanda, atque ita in infinitum pergendum eſſet. Non aliam itaque rationem duritiei partium inſenſibilium invenimus, quam reſpectivam minimarum particularum quietem.

Senſi-

Digitized by Google

Senſibilium vero partium durities a mutua implicatione & textura particularum inſenſibilium derivatur. Majorum denique corporum durities partim ex mutua particularum ſenſibilium implicatione, partim ex ambientis fluidi preſſione, qua omnes particulæ verſus commune centrum coguntur, pendet. Sæpius laudatæ ſubtilis materiæ virtute quoque efficitur, ut corpora incurvata aut preſſa figuram priorem, ex qua detorta fuere, inſtaurare conentur, imo reapſe inſtaurent, niſi objectis impedimentis vis hæc frangatur. Vim hanc corporum elaſticam Philoſophi appellare ſolent, quæ ipſis corporibus profecto innata non eſt, cum omnis materia cujusvis figuræ capax ſit, neque per naturam ſuam aliam figuram, quam eam, qua induta eſt, affectet. Cauſam virtutis hujus materiam aere ſubtiliorem eſſe, neceſſe eſt, cum ipſe aer, quem reſpiramus, hac facultate præditus ſit, etiamſi negari nequeat, aerem, omnia corpora permeantem, vim elaſticam ipſorum vehementer augere. Debetur autem vis elaſtica inprimis motui materiæ ſubtilis. Compreſſo enim corpore, partes ejus incurvantur, pori ſuperficiei concavæ magis contrahuntur, cum contra meatus illi, qui in ſuperficie convexa ſunt, expandantur ac dilatentur. Motus igitur materiæ ſubtilis vehementius agitatæ, cum ex poris patentibus per anguſtiores tranſeat, neceſſario acceleratur, ut particulæ ejus per hoſce meatus eodem tempore fluant. Concitato hoc motu, pori, nonnihil ante contracti, rurſus expanduntur, quod fieri nequit, niſi pori, in convexa ſuperficie modo dilatati, in minus ſpatium cogantur, atque ita prior compreſſo corpori figura reſtituatur. Reſtituit igitur materia ſubtilis figuram corporum eodem fere modo, quo aquei humores, in reſtem tenſum atque paululum inflexum ſe inſinuantes, ipſum in lineam rectam extendunt. Ex quibus ſatis apparet, Autorem nec in hoc argumento *Carteſii* & *Rohaltii* partes deſerere; neque noſtrum eſt, ea allegare, quæ nuperrime in Commentariis Academiæ Regiæ Pariſinæ placitis ipſorum de cauſa virtutis elaſticæ objecta fuerunt, quorum nonnulla in ſequentibus diluere Autor conatur. Pergit inde ad explicandas leges motuum tum durorum, tum mollium,

aut

aut elaſtica vi præditorum, corporum, &, poſtquam de gravitate commentatus eſt, de æquilibrio corporum fluidorum in tubis majoribus aut capillaribus agit, coronidem denique *Tomo primo* imponens diſquiſitione de natura ignis atque pyrii pulveris. *Tomo ſecundo* Opticam inprimis cum Dioptrica & Catoptrica exponit, atque *tertio* denique de plantis atque corporibus cœleſtibus, & motu eorum, commentatur, demonſtrans maxime, quomodo ad creatoris notitiam, tot mirabiles naturæ effectus haud caligantibus oculis contemplati, perveniamus.

MAGNUM IN PARVO: SEU THE MARROW of Architecture, &c.

h. e.

MEDULLA ARCHITECTURÆ, OSTENdens modum delineandi columnas cum baſi, capitulo, trabeatione, & ſtylobata, nec non arcus cujuslibet quinque ordinum. Autore GUILIELMO HALFPENNY.

Londini, apud Jo. Wilcox, 1728, 4.
Pl. 3, Tabb. æn. 15.

Scopus, quem ſibi præfixit Autor, ex ipſo titulo abunde intelligitur. Neque enim aliud agit, quam ut ordines quinque Architectonicos methodo facili delineare doceat. Sequitur autem *Palladium*, non minus in compoſitione partium majorum ex ſuis membris, quam in illorum horumque altitudinibus ac ecphoris definiendis. Cumque ordines potiſſimum habeant uſum in Arcubus; quæ ad horum delineationem ſpectant, ex mente ejusdem Architecti non minus fideliter tradit.

Umſtändlicher Beweiß, daß die Proteſtantiſche Kirche rechtſchaffene Prieſter habe, ꝛc.

i. e.

COPIO-

Digitized by Google

COPIOSIOR DEMONSTRATIO DE EO, QUOD Eccleſia Proteſtantium genuinis Eccleſiaſticis gaudeat, edita a Jureconſulto de numero Proteſtantium.

Hildeſiæ, ſumtibus Juſti Henningii Matthæi, 1732, 4.
Plag. 10.

Vetus Romanenſium querela eſt, Proteſtantium Eccleſias carere Sacerdotibus genuinis, remiſſione peccatorum, & ſpe vitæ æternæ, ideoque in eis æternum ſervari poſſe neminem. Vetus ſimul inſtitutum eſt, ut Pontificii eidem Baptiſmo attribuant ablutionem a peccato & remiſſionem delictorum, nec ullum rebaptizent, debite a miniſtris Proteſtantium Eccleſiaſticis ſacro fonte tinctum, rati videlicet, miniſtros ſacros Proteſtantium conferre, actu Baptiſmali defungentes, baptizato remiſſionem peccatorum. Quomodo hæc duo momenta congruant, pervidere tentavit *S. Cyprianus*, qui *Epiſt. 69 p. 183: Tunc deinde voce ſua ipſi* (Heterodoxi) *confitentur, remiſſionem peccatorum non dari, niſi per ſanctam Eccleſiam, poſſe; quam non habentes, oſtendunt, remitti illic peccata non poſſe.* Eadem ratione argumentantur Romanenſes. At, qui recte baptizant, nonne ii poſſunt conferre chariſmata ordinaria Spiritus Sancti? Ne quid igitur ſupereſſet Jeſuitis Hildeſienſibus gloriolæ ex repetita veteri querela, effecit Cel. Autor, quem *Jo. Georg. Pertſchium* exſtitiſſe accepimus, libro hoc in lucem emiſſo. Iis, qui ſacra non docent publico juſſu, non licere de rebus Eccleſiaſticis ſcribere vel commentari, opinio quidem eſt, a *Beveregio* in *Præfatione ad Can. Apoſt. Tom. II Coteler. P. II p. 2 §. 4*, & *Conſtitut. Apoſtol. Lib. II Cap. 27*, approbata, dudum vero exploſa. Gratiæ igitur agendæ ſunt Doctori Juris, Conſiliario & Syndico Reipublicæ florentiſſimæ, eo quod rem quoque ſacram ornare ſibi laudi duxerit. Primo quidem oſtendit, ſummam veræ religionis in unione animi cum Deo myſtica conſiſtere potiſſimum, non niti forma hierarchica. Primi doctores cœtuum divinorum fuerunt pa-

Q tres-

treſfamilias & patriarchæ ipſi. Ecquid tandem? Si quis Abrahamo oppoſuiſſet argumentum illud, a R. P. Jeſuitis inventum? Quis, quæſo, Patriarcham rite ordinaverat? Ratio fuit hypothetica, quæ Deum tandem movit ad ſacerdotium certæ familiæ affigendum. Inter religionem Patriarchalem & Chriſti doctrinam nulla intercedit differentia ſubſtantialis; œconomia ſaltem & gradus gratiæ differunt. Quare Chriſtus & Apoſtolus reformabant potius doctrinam Judaicam, quam ut novam invehere ſtuderent. Qua de cauſa ſeſe a Judæorum conventibus ſacris haud abſtinebant, donec ab iis vi Judæorum arcerentur. Chriſtus formam hierarchicam haud invenit vel invexit. Apoſtoli quando peculiarem conſtituerunt Hierarchiam? Dicis, Chriſtum duodecim Apoſtolos, imo ſeptuaginta diſcipulos, delegiſſe. Reſpondet Noſter, inter Judæos Prophetis in more poſitum fuiſſe, diſcipulos ſuos habere, *2 Reg. II, 3, 5, Luc. VIII, 16, Jo. IV, 10, VI, 14, Matth. XI, 2 ſeq. Luc. VII, 18 ſeq. Matth. XXII, 15.* Ex *Matth. XVI, 18*, comprobari non poteſt ulla Hierarchiæ ſpecies vel perpetuitas Eccleſiæ externæ & viſibilis. *Petrus* enim ſeſe vocavit συμπρεσβύτερον *1 Petr. V, 1*; conf. *Luc. XXII, 24, 25, 2 Cor. XI, 5, XII, 11, Gal. II, 6, 9.* Ariani olim univerſam Orthodoxorum viſibilem oppreſſerunt Eccleſiam, teſtibus *Athanaſio, Hieronymo, Sulpicio Severo.* Ubi tum viguit illa perpetuitas Eccleſiæ viſibilis? - Nobis quidem videtur *clavis ſolvens & ligans*, ex veterum vinculis, quæ ad conclave beneficio clavis ligneæ aperiendum vel claudendum adjungebantur, dicta, denotare poteſtatem aperiendi cœlum morigeris, denegandi præfractis doctrinam, ex Evangelio ſolatia ſuppeditantem. Inde autem nullum Hierarchiæ fundamentum enaſcitur, quod Chriſtus animis diſcipulorum præoccupatis potius exemit *Matth. XVIII, 1 ſeq. XX, 20 ſeq. Marc. IX, 33 ſeq. X, 35 ſeq. Luc. IX, 46 ſeq.* Locum *Math. XVIII, 25 ſeq.* Noſter de officio perſonæ privatæ erga infeſtantes, eosque corrigendos, exponit, ratus, ἐκκλησίαν ibi notare *multitudinem*, conſciam infeſtationis reddendam. *Sacerdotes* vocantur omnes Chriſtiani, eo quod deprecantur pro ſe & aliis, per vim ſacrificii, quod ipſe,

durıſ-

duriſſima perpeſſus, obtulit Chriſtus, *1 Petr. II, 5, 9, Apoc. I, 5, 6, V, 10.* Sacerdotium Leviticum fuit immutatum & abrogatum. Eo ipſo lex de ſacerdotio Levitico ceteriſque typicis ceremoniis ceſſavit *Ebr. VII, 12 ſeq.* Delegit Chriſtus Apoſtolos, qui docerent: delegit quoque doctores, ab Apoſtolis diverſos, *1 Cor. XII, 28, Eph. IV, 11.* Ex momentis docendi facile pateſcit, doctorem a numero dominantium eximi, qua talem. Apoſtoli ſeſe vocarunt *ſervos*, nec affectarunt imperioſam prærogativam. Interdixerat eis enim Servator τὸ κατακυριεύειν *Matth. XX, 25, Marc. V, 42,* & ſimpliciter τὸ κυριεύειν *Luc. XXII, 25.* Nec obſtant loca *Rom. XII, 8, 1 Theſſ. V, 12, 1 Tim. III, 4, V, 17, Ebr. XIII, 17.* Præſides enim cœtus & obedientia ἡγουμένοις præſtanda ſequuntur indolem rei. Omnibus Chriſtianis idem patet ad Deum aditus, *1 Petr. II, 9, Apoc. I, 7, V, 10, XX, 6*; differentiam conſtituebant χαρίσματα. Vox Eccleſiæ non ſpirat ullum dominatum. Primi Chriſtiani eo nomine a ſimulacrorum cultoribus traducti, quod carerent templis, altaribus, & ſacerdotibus. Diſciplinam enim ex parte ad formam Synagogæ Judaicæ, ut Noſtro placet, conformaverant. Presbyterorum origo prima innoteſcit ex *Act. XI, 30.* Ipſi primo non videntur docuiſſe, ſed ordini cœtus invigilaſſe; deinde doctorum quoque munera ſuſcepiſſe, *1 Tim. V, 17.* Alibi a cura diſciplinæ vocantur *Epiſcopi*, eisque omne imperium fuit interdictum *1 Tim. V, 17, Act. XX, 28, 1 Petr. V, 3.* Doctores ab iis initio fuerunt diverſi, *1 Cor. XII, 28, Eph. IV, 11,* dein ab Epiſcopis quoque exactum, ut eſſent διδακτικοί. Eccleſia Corinthiaca diu a Presbyteris fuit vacua. Tandem Apoſtoli paſſim conſtituebant Presbyteros, *Act. XIV, 23.* *Timotheo* in Presbyteros ipſos *Paulus* demandaverat inſpectionem. Ergone dominabatur? Erat ejus legere, hortari, & docere, *1 Tim. IV, 13, V, 19.* Presbyteros manſiſſe nihilominus membra reliqui cœtus, ex *Tertulliani Exhortat. ad Caſtit. Cap.* 7 Noſter evincit. Κλῆρον tamen putamus nonnunquam denotare *munus*. Vid *Can. Apoſtol. 61, Beveregius* ad eum *p. 478, Ignatius Ep. ad Epheſ. §. 1 p. 15.* Nec non ex *Tertulliano* & Conſtitutionibus Apoſtolicis didicimus, *laicos* fuiſſe dictos, qui-

 bus

bus munus docendi in Eccleſia haud erat demandatum. Conf. *Clementis* Epiſtola ad Corinthios *p. 53*, & *Beveregius* ad Can. Apoſtol. *p. 455 ſeq.* Nec ἰδιώτης ſemper eſt ἀγράμματος, ſæpius enim *privatum* denotat. Epiſcopus initio fuit Presbyter, poſtea Presbyterorum ſenior, qui jure ſenii citra novam electionem ſuccedebat. Hoc diſtincte & fuſe oſtenditur a Viro magno. *Diotrephes*, Hierarcham agere cupiens, a *S. Joanne* notatur. Chorepiſcopi ſic vocati ex χώρας, quia cœtui rurali præerant. Per impoſitionem manuum conferebantur dona ſpiritualia, quæ certe ex opere operato non profluunt. Recordamur tamen χειροτονίας, *Act. XIV*, 23, obviæ, Autorique gratulamur de tantæ eruditionis documento.

Jacob Bruckers kurtze Fragen ꝛc.

h. e.

JACOBI BRUCKERI HISTORIA PHILOſophica, erotematice expoſita.

Pars IV.

Ulmæ, apud Dan. Bartholomæi, 1733, 12.

Alph. 2 pl. 19.

Admodum libenter pedem promovemus in hacce curatiſſime limatiſſimoque judicio conſcripta Hiſtoria Philoſophiæ. Deferimur autem nunc ad Philoſophiæ Judaicæ hiſtoriam, *955* implentem paginas, & ad hiſtoriam Philoſophiæ Chriſtianorum veterum, quæ inde enarratur uſque ad *p. 1431*. Orditur autem Cl. Autor Judaicæ hiſtoriam Philoſophiæ ab *Eſra* ætate, præfatus, licet veri nominis Philoſophia vix locum apud Judæos repererit, adeoque hoc argumentum potius relinquendum fuiſſe videri poſſit Scriptoribus Hiſtoriæ Theologiæ Judaicæ; tamen Hiſtoriam ſuam Philoſophicam hac tractatione carere non poſſe, cum Judæi ex Ægyptiorum Philoſophia multa derivarint in arvum ſuum, aliæque cauſæ ſuppetant, cur hoc ſibi defungendum fuerit officio. Interim hinc appa-

apparet, hanc Noſtri Hiſtoriam Philoſophiæ Judaicæ etiam Theologiæ cultoribus de meliore nota eſſe commendandam. Reperient enim hi hic loci eruditiſſimas obſervationes de verſione *LXX Interpretum*, de *Eſra*, deque quarto, cui nomen ejus falſo præſcribitur, libro, de *Samaritanis*, de *libro Sapientiæ*, de *Ariſtobulo*, de *Sadducæis*, de *Karæis*, de *Phariſæis*, de *Eſſæis*, de *Therapevtis*, (quarum ſectarum cum hiſtoria, tum dogmata exhibentur,) de *Jeſu Siracide*, de *R. Hillele* & *Schammai*, de *Philone*. Quæ ſingula hic pertractantur ſingulari diligentia, prolatis ubique diverſis aliorum ſententiis riteque expenſis, ut, quæ verior de quoque ſit ſententia, facile cognoſcatur. Ceterum, cum hoc in ordine nemo majori jure referatur inter Philoſophos, quam *Philo*, a *p. 342-365* docetur, eum ab adoleſcentia deditum *Platonicæ* Alexandrinorum Philoſophiæ, *Moſis* libros interpretatum eſſe in ſenſum *Platonicum*, allegoricam item ſacri Codicis interpretationem invexiſſe: qua occaſione multæ *Philonis* interpretationes *Moſis* producuntur mere *Platonicæ*. Simul refellitur fabula de ejus in caſtra Chriſti duce *Petro* tranſitu. nec *Jonſius* non confutatur, qui, *Philonem* fuiſſe *Platonicum*, negare ſuſtinuit.

Tranſeamus ad alteram *Sectionem*, in qua Cl. Autor perſequitur hiſtoriam Philoſophiæ Judaicæ inde ab excidio Hieroſolymæ uſque ad noviſſima tempora: cumque & hic parum juſtæ Philoſophiæ occurrat, partim hiſtoriam Judæorum literariam, partim falſam deſipientemque eorum Philoſophiam, *Cabbalam*, exponere cogitur. Verum nec hoc argumentum Lectoribus erit injucundum, præſertim cum haud longe remotum ſit a Cl. Autoris propoſito. Habes igitur hic, Lector, notitiam ſcholarum Judaicarum, quæ uſque ad Seculum Chriſti undecimum fuere in Judæa & in Babylonia; notitiam item Talmudis, & hiſtoriam ſtudii Cabbalici. Denique hic habes hiſtoriam Philoſophiæ Judæorum *Ariſtotelicæ*, quæ in medio ævo viguit, potiſſimum hunc lapidem moventibus *Abrahamo Aben Eſra* & *Moſe Maimonide*.

Tertia Sectio Philoſophiæ Judæorum exotericæ, id eſt, ſimplici ac planæ, dicata eſt: cui præfatur Cl. Autor, Judæorum

Digitized by Google

rum Philoſophiam magis niti autoritate majorum, quam claris ſubtilibusque rationibus: adeoque Scriptorem Philoſophiæ Judaicæ re vera ſcribere Judaicæ religionis hiſtoriam. Addit, eos præ traditionibus ſuis valde contemnere uſum rationis, adeoque perparum habere Philoſophiæ veri nominis: ipſamque eorum exegeſin Biblicam eſſe nugarum refertiſſimam. Recitat jam, atque doctiſſime illuſtrat Judæorum placita de Deo, de angelis, de humana anima, de mundo, de aſtris, de elementis, de Philoſophia morali: & hanc quidem exhibet e *Capitulis Patrum*, ſubjectis annotationibus.

Quarta Sectio eſt de *Cabbala* Judæorum. Hic initio commemorat Cl. Autor, judicioque ſuo ſubjicit Chriſtianos hujus Cabbalæ cultores, ſimul obſervans, antea, quam *Knorrius Roſenrothius* ederet *Cabbalam denudatam*, veram ac realem Cabbalam plerisque viris doctis incognitam fuiſſe, adeoque iis tantummodo literalem Cabbalam fuiſſe notam: quam vero jure a *Burnetio* e finibus Hiſtoriæ Philoſophicæ exterminatam eſſe, exiſtimat. Agens de origine Cabbalæ, rejecta Judæorum ſententia de natalibus Cabbalæ ad *Adamum*, *Abrahamum*, *Moſen*, & *Esdram*, referendis, repudiata item diviſione Cabbalæ in puram & impuram, ita rationes ſubducit, ut appareat, natam fuiſſe Cabbalam in Ægypto ſub Regibus Ptolemæis. Horum ſcilicet ſub imperio cum eſſet magna multitudo Judæorum, hi, Philoſophiæ *Pythagorico-Platonicæ* amore capti, eam *Cabbalæ* nomine indutam propagabant inter ſuos, ejusque ipſos Judææ incolas faciebant participes: quorum poſteri longo tempore poſt etiam ex *Ariſtotelica* Philoſophia nonnihil in prata ſua derivabant. Hinc, naturam & eſſentiam Cabbalæ ut doceamur, oſtendit, eam nihil eſſe aliud, quam *Metaphyſicam Judaicam*, eamque maximis involutam tenebris, non nixam ordine Logico Syſtematicoque, ſed traditione majorum, divinitus eam edoctorum, ſi fabula vera eſt. Etſi proinde vix ſperandum ſit, fore, ut rite eruantur omnis Cabbalæ ſenſus, tamen eum cenſet magnam ei lucem inferre poſſe, qui peritus ſit Philoſophiæ *Pythagorico-Platonicæ*. Quapropter quatuor & viginti producit theſes Cabbaliſticas,

Digitized by Google

cas, easque docet communes eſſe Cabbaliſtis cum Philoſophis Alexandrinis *Pythagorico-Platonicis*: ac dein pluribus manifeſtum facere conatur, imo, niſi fallimur, facit, Philoſophiam Ægyptiorum juniorem ſive *Pythagorico-Platonicam* eſſe matrem pariter & clavem Cabbalæ. Immenſam vero obſcuritatem Cabbalæ habet pro argumento & indicio, quod hæc Judæorum Philoſophia inter genera falſæ ſimulatæque Philoſophiæ referenda ſit. Tum diviſionem Cabbalæ in *theoreticam* & *practicam* perſequitur, docens, practicam eſſe impietatis pleniſſimam, theoreticæ vero alteram partem eſſe literalem, tribus nugaciſſimis partibus conſtantem, *Gematria*, *Notarico*, & *Temura*, alteram Philoſophicam, diviſam in *Bereſchith*, hoc eſt, Phyſicam, & *Mercavam*, hoc eſt, Metaphyſicam. Hinc exhibet ac dilucidat præcipua Philoſophicæ Cabbalæ dogmata: poſtea ſpeciatim diſſerens de Cabbaliſtarum *Adam Cadmon*, decem *Sephiroth*, quatuor mundis, *aziluthico*, *briahtico*, *jezirahtico*, & *aſiahtico*, de ipſorum doctrinis de Spiritibus, cum bonis, tum malis, itemque de anima humana, de quinquaginta portis prudentiæ, & triginta duabus ſemitis ſapientiæ: idque tam copioſe, tamque accurate & ingenioſe, ut nobis quidem ſatisfaciat.

Veniamus, age, ad *Hiſtoriam Philoſophiæ Chriſtianorum veterum*: in qua docetur, quouſque philoſophando progreſſi ſint Chriſtiani Græci, quotquot fuerunt uſque ad captam a Turcis Conſtantinopolim, itemque Chriſtiani Occidentis, qui ante medium ævum literis ſe dederunt, hoc eſt, ante Scholaſticos, quos vocant. Horum enim contemplationem reſervat Volumini proximo. Leviter igitur perſtrictis, quæ de ipſius *Chriſti* Philoſophia nugati ſunt nonnulli, quærit, an Apoſtoli fuerint Philoſophi, hoc eſt, jam ante acceptam θεοπνευςίαν imbuti doctrinis philoſophicis. Quod cum potiſſimum *Paulo* tribui ſoleat, Noſter, eorum, qui ſingulari ſtudio *Paulum* in Philoſophorum collegium cooptant, argumentis id haudquaquam effici, pulchre demonſtrat. Ad Patres Eccleſiæ quod attinet, vetuſtiſſimos eorum docet ante, quam in Chriſti caſtra tranſirent, Ethnicæ fuiſſe Philoſophiæ admodum

Digitized by Google

dum peritos, deinceps vero arma cepiſſe contra Ethnicos Philoſophos, eorumque errores ſtrenue impugnaſſe. Ex quo concludit, eos non quidem fuiſſe Philoſophos, hoc eſt, certæ cuidam philoſophantium ſectæ addictos, ſed tamen, quæ bona videbantur, Philoſophorum dogmata cum capitibus Chriſtianæ religionis compoſuiſſe. Infenſiſſimos videlicet ſe præbebant *Ariſtotelis* & *Epicuri* placitis, *Platonis* vero ac Stoicorum dogmata haud pauca laudabant: imo nimio *Platonicæ* Philoſophiæ amore accenſi, nonnihil damni ſubinde inferebant Theologiæ γνησίως Chriſtianæ. Id quod dum Cl. Autor facit manifeſtum, ſimul notat Jeſuitæ *Balti* λογομαχίαν, negantis ſingulari libro, jure Patres accuſari favoris erga *Platonis* Philoſophiam: itemque de *Pſevdo-Platoniſmis* Patrum, hoc eſt, de erroribus *Platonicis*, quos in doctrina de Trinitate aliisque dogmatibus *Souverainius* injuſte iis tribuit in libro anonymo, perdiligenter diſputat. Ceterum plus pietatis, quam judicii & ἀκριβείας, ſe deprehendiſſe fatetur in Patrum ſcriptis. Maxime Logicæ artisque Criticæ peritiam in iis deſiderat. In Phyſica nihil ſolidi apud eos obſervavit. Nec moralem ipſorum Philoſophiam laudat, imperitia quippe linguarum Biblicarum & ſuperſtitione aſcetica plurimum corruptam. Hac occaſione etiam *p. 1050 - 1067* ſuum profert judicium *de Hæreſi Valentiniana*, ſtatuens, hæreſin iſtam conſiſtere in interpretatione S. Scripturæ ſecundum Alexandrinorum Philoſophiam *Pythagoreo-Platonicam*, & ſimul ſecundum Cabbalam Judaicam. Hinc Patrum Philoſophiam dividit in duo genera, eamque, quæ ante tertium Seculum viguit, quo *Potamo* & *Ammonius* Alexandriæ condiderunt ſectam Eclecticorum, diſcerni jubet ab illa, quam coluerunt Patrum ii, qui poſt ortam Eclecticam ſive Syncretiſticam Alexandrinorum Philoſophiam vixerunt. Priorem in cenſum refert *Juſtinum Martyrem*, quem docet in Philoſophia verſatiſſimum, maximeque *Platonicæ* amantem fuiſſe; *Tatianum*, cujus dogmata philoſophica in modum Syſtematis exhibet, ex eoque concludit, eum e fonte Philoſophiæ *Pythagorico-Platonicæ*, itemque Cabbalæ Judiacæ, multum hauſiſſe; *Theophilum Antiochenum*, *Athenagoram*, *Irenæum*,

næum, & *Tertullianum*: quibus ſingulis, oſtendit, aliquid adhæſiſſe fæcium *Platonicarum.* Poſteriori in claſſe collocat *Clementem Alexandrinum*, cujus & *Platoniſmos* & *Stoiciſmos* notat, atque *Origenem*, cujus octo & triginta errores Philoſophicos, quos Theologiæ immiſcuit, ſingulatim proponit, ſimulque ejus exegeſin ſacri Codicis allegoricam vituperat. Commemorato tum *Anatolio*, Epiſcopo Laodiceno, quem *Ariſtotelicæ* Philoſophiæ cultorem fuiſſe profeſſoremque docet, ex quarto Seculo producit Philoſophiæ *Platonicæ* admiratores, *Arnobium*, *Lactantium*, *Euſebium*, *Didymum*, *Baſilium*, *Chalcidium*, (quem Chriſtianum hominem fuiſſe, non Ethnicum, exiſtimat,) & *Auguſtinum*, (de cujus ſcriptis philoſophicis, ſtudiorumque literariorum viciſſitudine, copioſior eſt,) eorumque in apricum profert errores Philoſophicos; e Seculo quinto *Syneſium* & *Pſeudo-Dionyſium Areopagitam*, de utroque, maxime de *Syneſii* doctrinis impuriſſimis, doctiſſimum cautiſſimumque ſe præbens Hiſtoricum; e ſexto Seculo poſt *Claudianum Mamertum*, qui quinto vixit, *Boethium*, *Æneam Gazæum*, & *Zachariam Scholaſticum*; e ſeptimo *Joannem Philoponum*; ex octavo *Joannem Damaſcenum*; e nono *Leonem Philoſophum*, *Pſellum*, & *Photium*: quibus ſubjungit Eccleſiæ Græcæ Philoſophos ſequentium ætatum, *Michaelem Epheſium*, *Magentinum*, *Euſtratium*, *Nicephorum Blemmidam*, *Georgium Pachymerem*, *Theodorum Metochitam*, *Nicephorum Gregoram*, ac denique *Michaelem Pſellum*, juniorem. Quod ad ultimum promittit Volumen *de Hiſtoria Scholaſticorum*, avide exſpectamus, ſimul optantes etiam atque etiam, ut eruditiſſimo ac laboris improbi patientiſſimo Autori contingat Hiſtoriam Philoſophicam pari ſolertia perducere ad exitum. Tam enim ſe præbet ſtudioſum veritatis, ut nec ſua quidem ipſius vineta cædere dubitet, hoc eſt, admiſſos antea a ſemet ipſo errores ingenue refellat, e. g. *p. 147, 153, 215, 1373 ſeq.* & *1448*, quibus poſtremis duobus locis communem eruditorum errorem, quem ſecutus ipſe fuerat, refutat, credentium, *Hypatiam*, Philoſopham, fuiſſe *Iſidori*, Platonici, uxorem.

RAYMUNDI DUELLII, CAN. REG. S. AUG. Sand-Hippolytenſis, de Fundatione Templi Cathedralis Auſtriaco-Neapolitani, (vulgo zu Wienneriſch-Neuſtatt,) Diſſertatio ad JO. MAURITIUM GUSTAVUM, S. R. I. Comitem de Mandersheid - Blanckenheim & Geroldſtein, Archi-Epiſcopum Pragenſem, & Primatem Bohemiæ deſignatum.

Norimbergæ, apud Jo. Ad. Schmidium, 1733, 4.
Plag. 4½.

Commemorat hac Commentatione Cl. *Duellius* fundationem Templi Cathedralis Auſtriaco-Neapolitani, & præcipua & notatu digniſſima fata illius ſtudioſe atque ſolicite exponit. *Fridericus*, Romanorum Imperator, quem vulgus tertium vocare ſolet, Neapoli Auſtriæ in ſacello caſtri S. Chriſti corpori ſacro Secularium Canonicorum Collegium, & in eo Præpoſitum, Decanum, & XI Canonicos, A. 1444 inſtituit, ut rem divinam facerent tantiſper in hoc ſacello, donec vel ipſe, vel heredes ejus, alium ipſis exædificaſſent aut aſſignaſſent locum. Quindecim annis poſtea *Fridericus*, venia a Pontifice impetrata, hocce Canonicorum Collegium in Eccleſiam B. Mariæ Virginis, ea tempeſtate parochialem, tranſtulit. Sed, ne penitus interirent ſacra in caſtro Neapolitano, in ſequenti anno Templum & Monaſterium, ibi recens exſtructum, Canonicis, qui *S. Auguſtini* regulam ſequuntur, traditum fuit, qui vero, elapſis octo & decem annis, ex caſtro in ſuburbium Neapolitanum, ubi Imperator Parochiale *S. Udalrici* templum ipſis ceſſerat, transmigrarunt. Interea temporis, ſcilicet A. 1468, Ordo Equitum *S. Georgii* iſthic locorum, juvante *Friderico*, Imperatore, in lucem prodiit. Eodem anno Epiſcopatus novæ hujus civitatis primordia cepit. A. 1480 ſingulari Bulla decrevit *Sixtus IV*, Pontifex, ut Epiſcopatus, nuper erectus, cum Ordine *S. Georgii* conjungeretur, & in unum corpus coaleſceret. Circa idem tempus terræ Auſtriacæ, Ungariæ

gariæ vicinæ, ingentem ab Ungaris cladem acceperunt. Quibus malis effectum eſt, quod Canonici alibi rerum ſuarum ſedem domiciliumque collocaverint. Quapropter *Fridericus*, Imperator, de transferendis Canonicis Regularibus *S. Auguſtini*, quorum ſedes, templum *Udalrici*, bellicis calamitatibus vaſtata everſaque fuerat, cogitavit, his tamen conditionibus, ut cum Ordine *S. Georgii* unam eandemque ſocietatem conſtituerent. Sed tunc ſalutaria Imperatoris conſilia turbaverunt Canonici illi, & hujus unionis effectum impediverunt, atque ſine Equitum *S. Georgii* conſortio aliquandiu potiti fuerunt Templo Cathedrali, donec poſt longam diuturnamque moram eos in ordinem redigeret *Maximilianus I*, Imperator, & ſevere ediceret, ut vel Eccleſiam Cathedralem Equitibus *S. Georgii* utendam poſſidendamque traderent, vel illius Ordinis veſtitum induerent, & unam cum eodem ſocietatem inirent. Neque tamen obturatum & pertinacem illorum animum flectere potuerunt Imperatoria Edicta, ſed illi veteres relinquere ſedes, quam obſequi Imperatoriis juſſibus, maluerunt. Quo ſeſe contulerint Canonici illi, altum apud veteres Scriptores ſilentium eſt. Succeſſerunt his Clerici, qui Ordini militari *S. Georgii* addicti, Capitulum conſtituebant. Sec. XVI exſtinctum fuit Collegium Cathedrale Neapolitanum, uſque dum A. 1692 a *Chriſtophoro Royas*, Antiſtite Neapolitano, inſtauraretur. Præeſt huic Collegio Epiſcopus, excipit eum Officialis, ſequuntur ſex Canonici, qui ſacra peragunt, & curæ animarum proſpiciunt. Antiſtitum munus in hoc Collegio a primis ejus initiis uſque ad noſtra tempora ſequentes geſſerunt: *Petrus Engelprecht*, *Auguſtinus Kibinger*, *Theodoricus. Chriſtophorus Wertavein*, *Gregorius Angerer*, *Franciſcus Abſtemius*, *Caſparus Lagus*, *Chriſtianus Noponæus*, *Lambertus Gruterus*, *Martinus Radwiger*, *Melchior Kleſelius*, S.R.E. Cardinalis, *Matthias Geisler*, *Jo. Thuanus*, *Laurentius Aidinger*, *Leopoldus*, *Comeſa Kollonitſch*, S. R. E. Cardinalis, *Chriſtophorus Royas de Spinola*, *Franciſcus Antonius*, Comes de Buchaim, *Ignatius de Lovina*, & *Jo. Mauritius Guſtavus*, S. R. I. Comes de Manderſcheid, Blanckenheim &

Digitized by Google

Geroldſtein, jam Archi-Epiſcopus Pragenſis, & Regni Bohemiæ Primas. Succedunt Epitaphia tria & viginti in templo & cœmeterio Neapolitano conſpicua. Sed quæ facile præterire poſſumus, hoc addito epiphonemate: Quid hæc ad nos? Quid hæc ad Rempublicam literariam?

MELETEMATA THORUNENSIA, SEU DISſertationes varii argumenti, ad Hiſtoriam maxime Polonicam & Pruſſicam, Politicam, Phyſicam, rem nummariam ac literariam, ſpectantes, jam collectæ, curante PETRO JÆNICHIO.

Tomus II & III.

Thorunii, ſumtu Jo. Nicolai, 1732, 8.
Alph. 1 pl. 16.

Operis hujus, cujus *primum Tomum A. 1727 p. 517 ſeq.* nos recenſere meminimus, *alter hic Tomus Martini Bœhmii*, Profeſſoris Gymnaſii Thorunenſis, ante viginti circiter annos demortui, Diſſertationes exhibet: quarum *prima* eſt *de Inſignibus Thorunenſis urbis*; ſecunda *de conſtantia Choinecia*, (quod Pruſſiæ oppidum eſt,) *Ordini Equitum Teutonicorum variis in bellis probata*; tertia *de jure Boruſſorum, quo non ſunt adſtricti ad generalem expeditionem extra fines ſuos*; quarta *de Singularibus quibusdam Polonicis*; quinta *de Curonia*, ſive Curlandia, *fatis ſæpiſſime ſiniſtris acriter preſſa, factis autem præclaris ſumme illuſtri*; ultima *Conſpectum* exhibet *Magiſtrorum Pruſſiæ generalium.* Adjecta eſt *Godofredi Weiſſii*, Eccleſiaſtæ Thorunenſis, A. 1714 mortui, Diſſertatio *de Coſacis*: in qua, nationis hujus appellatione derivata à Turcico *Cazak*, quod *prædonem* ſignificat, ejusque origine ad A. 1206 relata, quo ruſtici ob creberrimas Tartarorum in Ukrainam irruptiones arma ſumſerint, ſtatus Coſacorum tum civilis, tum militaris, deſcribitur. Ceterum & hanc & ceteras hujus Voluminis Diſſertationes videmus orna-

Digitized by Google

tis acceſſionibus eruditis partim Cl. Editoris, partim Cl. *Iſaaci Godofredi Gœdkii.*

Tertii Tomi primum locum occupat ejusdem *Mart. Bœhmii* Continuatio Diſſertationis *de Boruſſis ad generalem expeditionem extra fines ſuos non adſtrictis*: quam excipit ejusdem argumenti Diſſertatio, cujus Autor nondum ſatis eſt cognitus. *Tertia* Diſſertatio, quæ eſt *de Indigenatu Poloniæ & Pruſſiæ Regiæ*, ſuaque concinnitate & *ἀκριβείᾳ* palmam ceteris præripit, Autorem habet *Mich. Behmium*, Gedanenſem Conſulem. Quarto loco ſe conſpiciendos præbent (nondum enim erant editi,) *Naldi Naldii*, Florentini, (cujus nuper in his *Actis* mentionem fecimus *A. 1733 p. 396*,) *Libri IV*, carmine elegiaco ad Regem *Matthiam Corvinum* ſcripti, *de laudibus Bibliothecæ ejus*. Annexa eſt Cl. Editoris Diſſertatio *de meritis iſtius Regis in rem literariam*, in qua & Codex MStus membranaceus deſcribitur, in Bibliotheca publica Thorunenſi ſuperſtes, cui *Naldii* illud Opus elegantiſſima veſte ornatum ſplendidiſſime nitidiſſimeque eſt inſcriptum. Hanc Diſſertationem magis placituram putamus Hiſtoriæ literariæ amantibus, quam ipſum illud *Naldii* longiſſimum Carmen, verborum quidem dives, ſed rerum inops. Sequitur ejusdem Autoris, Cl. videlicet *Janichii*, Diſſertatio *de vineis Ungariæ*: cui eſt adjuncta *Pauli Keleri*, Thorunenſis, Germanico ſermone contexta Deſcriptio Topographica peraccurata præcipuarum Ungariæ vinearum. Claudit hoc agmen ejusdem *Janichii* Oratio *de certaminibus & præmiis Poetarum*, annotationibus illuſtrata doctiſſimis.

SPECIMEN ANIMADVERSIONUM IN PROLEgomena in Novi Teſtamenti Græci editionem accuratiſſimam, nuper Amſtelodami edita.

Londini, apud R. Hett, 1731, 8 maj.
Plag. 2.

Cum multos invenerunt adverſarios Prolegomena illa, quæ in N. T. Græci editionem Amſtelodami in publicum prodire

re juſſit Cl. *Wettſtenius*, Remonſtrantium apud Amſtelodamenſes Profeſſor, tum in Anglia quoque Vir doctiſſimus, cujus nomen ignoramus, in eadem hæc Prolegomena calamum ſtrinxit, ideo potiſſimum adductus, quod *Wettſtenius Rob. Stephani* & *Theod. Bezæ* induſtriæ, in N. T. edendo, emaculando, & illuſtrando, olim collocatæ, detraxit præter meritum. Hos igitur Duumviros contra *Wettſtenium* in hac Commentatiuncula ſibi vindicandos ſumſit Cl. *Anonymus*, qui, licet Autorem, ut fatetur ipſe, Prolegomenorum iſtorum ignoraverit, ſatis tamen accurate iniquitatem *Wettſtenii* erga *Stephanum* & *Bezam* oſtendit non magis, quam convellit. Et quidem, quod ad *Rob. Stephanum* attinet, *Wettſtenius* ſcripſit, varias lectiones, in margine celeberrimæ editionis A. 1550 notatas, ab *Henrico*, filio, puero octo & decem annorum, collectas fuiſſe, & *Stephanum* vix decimam partem varietatum in lectionibus quorundam Codicum, a ſe collatorum, notaſſe. Ad poſterius recte omnino reſpondet Cl. *Anonymus*, limatiori judicio fuiſſe *Rob. Stephanum*, quam ut marginem ſuæ editionis minutiis & manifeſtis librariorum erroribus oneraret, varietates duntaxat inſigniores ratus annotandas. Prius vero cum ex duobus *Henr. Stephani* & *Theod. Bezæ* locis, perperam intellectis, tantummodo probaſſet *Wettſtenius*, allatis Duumvirorum verbis clariſſime demonſtrat Autor, eos nihil confirmare minus, quam quod voluit iſte. *Bezæ* itidem duo inprimis objecit *Wettſtenius*, quorum alterum eſt, quod circa Codices MStos XV, a *Rob. Stephano* conſultos, commiſit, dum ex XV fecit XXV; alterum vero huc redit, quod ſuum Codicem, vulgo Cantabrigienſem dictum, & *Stephani* ſecundum, β, pro duobus MStis accipiat cum tantummodo ſint duo nomina ejusdem Codicis. Sed prius ita refutat *Anonymus*, ut neget, *Bezam* de collatione MSto a *Rob. Stephano* inſtituta, intelligi oportere, cum *Henr. Stephanus* poſt editionem A. 1550 Codices MStos undique conquiſitos contulerit, eorumque uſum *Bezæ* conceſſerit. Codicem vero Cantabrigienſem, & *Stephani* ſecundum, duos eſſe diverſos Codices, refutatis prius *Wettſtenii* argumentis, pro contraria ſententia allatis, *quatuor* omnino probat momentis. *Pri-*

mum

mum enim *R. Stephanus* teſtatur, Codicem ſuum ſecundum in Italia ab amicis collatum fuiſſe. *Beza* vero de Codice Cantabrigienſi memorat, eum in Monaſterio *S. Irenæi*, Lugduni in pulvere jacuiſſe uſque ad A. 1562. Deinde *Stephani* ſecundus Codex textum Græcum exhibet in iis locis, ubi mutilus eſt Cantabrigienſis, & contra mutilus ille eſt, ubi hic textum habet Græcum. Tum multas Codex Cantabrigienſis lectiones adeo ſingulares refert, ut eas *Rob. Stephanus* omittere non potuiſſet, e. g. *Luc. III*, *36*, omittit τȣ̃ Καινὰν, *Act. XV*, *20*, deſunt verba καὶ τȣ̃ πνικτȣ̃, &c. Huc accedit, quod plures ſunt lectiones ex aliis Codicibus a *Rob. Stephano* notatæ, quæ etiam in Cantabrigienſi habentur, nec tamen in margine comparet Codex ſecundus. Denique in multis locis & lectionibus a ſe invicem iſti Codices ita diſcedunt, ut, diverſi, neceſſe ſit, habeantur. Cui rei ut fidem faceret eo majorem Cl. *Anonymus*, ex *Matthæo*, *Luca*, & *Actibus Apoſtolicis*, diſcrepantes horum Codicum ac maxime diverſas in calce hujus ſpeciminis exhibuit lectiones, quæ uſque adeo diſſentiunt a ſe, ut, neminem, niſi præjudicata opinione faſcinatum, fore, exiſtimemus, qui, perlecta hac lectionum varietate, non ſit duos diverſosque Codices ex iisdem facillime perſpecturus.

DE SERENISSIMÆ DOMUS AUSTRIACÆ Principatu in Suevia Obſervatio Hiſtorica LUDOVICI BARTHOLOMÆI HERTTENSTEINII, *J. U. L. Ulma-Suevi.*

Dudum quidem, Suevicarum rerum evolvendo memorias, altum illud veterum pariter atque recentiorum Hiſtoricorum de nobiliſſimo hocce argumento ſilentium miratus fui; cauſas vero tam diu neglecti argumenti, in tanto hodierni Seculi ſcribendi pruritu, fateor, non inveni, dignumque proinde duxi, quod in peculiari quodam meletamate explicaretur. Animus primo erat, illud *Specimini Juris Publici Suevici de Ducatu Sueviæ & Alemanniæ* coronidis loco annectere, poſtea vero

vero ob varias rationes conſultius duxi, ſeparatim iſtud pertractare. Cum vero rerum mearum ratio non permiſerit, ultimam opellæ applicare limam, præcipua tantum illius momenta & prima quaſi lineamenta in compendium hocce redegi, ex optimorum quorumvis Autorum monumentis ejusdem originem, fata, ſucceſſionem, atque appertinentias, ſuccincto calamo, at, quantum per obſcuritatem materiæ licebit, diſtincte, explicaturus.

Incidit vero illius initium in tempora *Rudolphi I*, Imperatoris, qui, cum, exſtincta familia Auguſta Stauffenſi, deſperaret univerſos Sueviæ ordines ſub Imperium unius Ducis redigere, vel, quæ *F. Fabri* eſt conjectura, antiquum Alemanniæ regnum inſtaurare, demum A. 1282 in Comitiis Auguſtanis id egit, ut, accedente Statuum conſenſu, in quo magnum tum etiam jus fuit, veteris Ducatus Suevici reliquias filio ſuo ſecundo genito, *Rudolpho*, per ſolenne Decretum hac lege in feudum conferret, ut, judice Ill. *de Ludewig*, in reliquos ordines Sueviæ, Epiſcopos, Marchiones, Comites, Prælatos, Civitates, Nobiles, pagos, Imperio atque Imperatori immediate ſubjectos, nihil acciperet autoritatis, ſed hi eodem cum ipſo jure uterentur, ac Imperio abſque Duce vel Principe intermedio parerent. Ex quo ſimul manifeſtum eſt, Sueviam univerſam, dudum in plures partes diſſectam, *Rudolpho* nunquam obtigiſſe, eumque adeo non tam Ducem fuiſſe Sueviæ, quam Ducem vel Principem in Suevia, quo ſenſu etiam Herbipolitani Antiſtites Duces Franconiæ audiunt. Unde etiam, ac quoniam regionis anguſtia alii forſan titulo non reſpondebat, Auguſtiſſima Domus Auſtriaca a Ducis Sueviæ titulo ſibi temperavit, Principis encomio contenta: neque majus quid unquam in Suevia arrogavit fortunata Habspurgenſium progenies, quamvis parum abfuerit, quin ſive Gallorum, ſive Bojorum, conatibus ſub imperium unius reduceretur. Equidem non deſunt Scriptores, qui hancce *Rudolphi Junioris* Inveſtituram prorſus inficiantur, eo quod nullus idoneus Hiſtoricus illius fecerit mentionem, ipſique Auſtriæ Duces ad *Maximiliani I* uſque tempora Ducis Sueviæ titulo inſigni-

Digitized by Google

ſignibusque abſtinuerint. Quod ergo prius negantium argumentum attinet, illud certe clariſſimis plurimorum optimæ notæ Chronographorum, ſive coævorum, ſive ſuppariorum, teſtimoniis ſatis ſuperque refellitur. Miſſis recentioribus, numero certe plurimis, ſpeciminis loco provoco ad duos præſtantiſſimos Autores παραλειπομένων, *Abbatem Urſpergenſem* ac *Hiſtoriam Chroniconque Auſtrale*, quorum hic apud *Freherum* expreſſe afferit, *Rudolphum, Regem, Auguſtæ curiam celebraſſe, ibidemque de conſilio & voluntate nobilium, qui aderant, Rudolphum Ducem Sueviæ creaſſe*, ille vero diſerte ſcribit, *Regem Rudolphum filium ſuum Joannem feciſſe Ducem Sueviæ.* Quamvis enim in nomine erraverit, rem ipſam tamen ſat clare loquitur. Quantum vero ad poſterius ſpectat, nec hic deſunt argumenta, quibus contrarium evinci poſſit, quippe idem noſter *Rudolphus* apud *Pezii Chronographum*, *Joannes Parricida* apud *Steronem*, *Leopoldus* apud *Sulgerum*, *Alberti Sapientis* filii apud *Mutium*, *Rudolphus Ingenioſus* apud *Lehmannum*, *Wilhelmus* denique *Ambitioſus* apud *F. Fabri*, Duces Sueviæ audiunt, ac in literis & nummis paſſim ita nominantur: ne jam dicam, jura, prætenſiones ac poſſeſſiones Principum titulorum inſigniumque neglectu non amitti, adeoque fundamentum, inde deſumtum, admodum eſſe infirmum. Quemadmodum vero hæcce omnia ſatis certa ſunt atque perſpicua; ita, ſi de terris, quas *Rudolphus* hoc nomine filio in Suevia contulerit, diſpicias, dubia fere cuncta, incerta, atque obſcura, deprehendes, aliis univerſum Ducatum Suevicum, aliis veteris Ducatus reliquias, aliis Præfecturam Provincialem Sueviæ, aliis priſcorum Ducum Domania, aliis denique patrimonialia Hohenſtauffenſium prædia in earum cenſum referentibus, quorum quidem poſtremi, ſi divinando rem aſſequi licet, proxime veritati acceſſiſſe videntur. Cum vero tam Domania Ducalia, quem patrimonium Hohenſtauffenſe, florentibus adhuc Ducibus, mirum decreverint, quantum præciſe ex utroque ad *Rudolphum* noſtrum pervenerit, definitu difficillimum reor. Scilicet ad ductum *Beſoldi*, *Cruſii*, *Lazii*, *Fuggeri*, aliorumque, in re obſcura ita conjector, accepiſſe illum

arcem Hohenſtauffenſem, caſtrum Achalm, oppidum Blaburnium, Landgraviatum Frauenfeldenſem, Comitatum Altorffenſem, Advocatiam quorundam Monaſteriorum, Adelbergenſis in ſpecie & Blaburani, loca quædam in Ergovia, Turgovia, atque Alſatia, (unde etiam in *Annalibus Colmarienſibus* Dux Alſatiæ audit,) forſan & plura, quæ vero ob Scriptorum ſilentium & literarum inveſtituræ defectum diligentiam noſtram effugerunt. Reliqua autem, quæ Sereniſſima Familia Auſtriaca in Suevia hodie poſſidet, Dominia, ad antiquum Sueviæ Principatum proprie non ſpectant, ſed eidem ſucceſſu temporis variis titulis acceſſerunt, quamvis hodie communiter ad eundem referantur. Hiſce præmiſſis, ad *Rudolphum* noſtrum redeo, qui, pacata per Patrem Suevia, & perdomitis quibusdam regionis iſtius Regulis, ſedem Ducatus ſui, teſte *Lazio*, Lauffenburgi ad Rhenum conſtituit, &, haud diu poſt, anno ſcilicet 1289, terreſtribus valedixit, ſucceſſorem poſthumum nactus *Joannem*, cujus legitimam tutelam ſuſcepit patruus, *Albertus I*, Suevorum, quorum etiam conſilio in omnibus tam pacis, quam belli, Saxonici inprimis, conſultationibus atque expeditionibus cum maxima Auſtriacorum indignatione uſus fuit, amantiſſimus. Cum vero *Joannis* patrimonium juſto, ut quidem credebatur, diutius retineret, & Sueviæ etiam Ducatum, teſte *Sterone*, ſubdole ipſi eripere meditaretur, A. 1308 ab eodem & nefanda ſociorum triga crimine horrendo, ut ex *Rebdorffio* patet, miſere fuit trucidatus. Merito hinc *Henricus VII*, Cæſar, omnibus bonis exutum parricidam proſcripſit, in eo ſaltem juſto durior, quod innocentes agnatos a ſucceſſione excluſerit, uſque dum A. 1312 eandem *Leopoldo I* Glorioſo (qui deinceps, teſte *Cuſpiniano*, plures in Suevia munitiones eorum, quos conſcios paternæ necis deprehenderat, diruit, ſoloque æquavit;) hac conditione reſtituit, ut, innuente laudato *de Ludewig*, in ordines Sueviæ, matriculæ Imperii ſemel adſcriptos, nihil acciperet autoritatis, & Sueviæ Principatus Auſtriacis terris annecteretur, neque unquam ab iſtis divelleretur, quod quidem jam a *Rudolpho I* factum eſſe, Cel. *Struvius* exiſtimat. Atque hinc forſan eſt, quod Auſtriaci, ut & ex

ex antiquis marmoribus atque ſigillis, apud *Fuggerum*, patet, inſignia veteris Ducatus Suevici haud raro cum Auſtriacis conjunxerint, eum fere in modum, quo Carinthiæ inſignia perficiuntur, niſi quod in his faſcia argentea duobus oſſibus femoris, formam crucis exprimentibus, ſit ornata. Fortaſſis etiam hæc ipſa Sueviæ cum Auſtria conjunctio in cauſa fuit, quod veteres Duces Auſtriæ interdum titulo ac inſignibus Sueviæ in ſuis Diplomatibus abſtinuerint, & Auſtriaca in Suevia Dominia nullo particulari Conſilio regantur, ſed regimini ſupremo Oenipontano æque, ac reliquæ anteriores Auſtriæ Provinciæ, ſubſint, quemadmodum etiam omnes appellationes a judiciis inferioribus ad illud devolvuntur. Ceterum non deſunt Scriptores, qui cum *Lazio* & *Hubnero* arbitrantur, huncce noſtrum *Leopoldum* poſtremum fuiſſe, qui Sueviæ Ducis titulum uſurpaverit; ſed egregie falluntur, qui ita ſentiunt, quippe poſt hujus obitum Principatus noſter ad *Albertum II* Sapientem fuit devolutus, qui non tantum A. 1336, *Cruſio* & *Fabri* teſtibus, *Nicolaum*, Conſtantienſem Epiſcopum, Capitaneum Sueviæ & Alſatiæ conſtituit, ſed etiam, ut quorundam fide conſtat, Burgoviam tum Sueviæ conjunxit. Ceterum laudatiſſimus Princeps Suevos tanti æſtimavit, ut, teſte *Cuſpiniano*, multos ex illis in Auſtriam deduxerit, & Auſtralibus, de multitudine eorum, quaſi minoris ipſi æſtimarentur, conquerentibus, reſponderit: *Ne canem quidem Suevicum ob cauſam veſtram dimitterem; liceat mihi vivere, ut Principem decet.* Quamvis ergo poſteriores Auſtriæ Duces Sueviam non amplius immediate gubernaverint, ſed illius adminiſtrationem regulariter Officialibus ſuis commiſerint; bona tamen in eadem ſita nihilo minus retinuerunt, ut adeo ſeries Principum Sueviæ minus recte ab Hiſtoricis hic abrumpatur. Cum enim hic A. 1358 diem obiiſſet ſupremum, illius filii primo quidem paternam hæreditatem communi conſilio ita gubernarunt, ut primogenito, *Rudolpho IV* Ingenioſo, ſuperior Suevia obtigerit, qui deinde quoque, teſte *Fabri*, una cum uxore in Villa S. Dionyſii reſedit. Poſtquam autem & hic vita deceſſerat, inſtituta A. 1362 inter

Digitized by Google

ſuperſtites fratres patrimonii diviſione, *Leopoldus III* Probus Sueviam accepit, id quod tam ex *Cruſii* atque *Lazii* teſtimoniis, quam etiam ex diverſis actibus, quos in eadem celebravit, manifeſtum eſt, dum non tantum acquiſitione Comitatus Hohenbergenſis, Vallis Druſianæ, ac Præfecturæ Provincialis Sueviæ Superioris & Inferioris, ſed etiam alienatione patrimonii Hohenſtauffenſis, (quod partim A. 1367 *Ulrico*, Comiti *ab Helffenſtein*, partim A. 1370 *Conrado a Rietheim*, ut ex *Cruſio* & *Beſoldo* videre eſt, oppignoraverat,) Dominum Principatus Suevici ſeſe demonſtravit. Equidem obſtare huic noſtræ ſententiæ videtur locus quidam *Mutii*, qui diſerte teſtatur, *Carolum IV Duces Auſtriæ, Alberti II Sapientis filios, Albertum* ſcilicet ac *Leopoldum, coegiſſe, datis literis ſolenniter declarare, ſe in Palatinatu Rheni, in Suevia & Alſatia, Duces non eſſe*, ſed ſermo tunc, ut ex *Cruſio* haud obſcure colligimus, tantum fuit de Ducali titulo, &, quem affectare videbantur, in reliquos Status ſuprematu, non vero de Dominiis, quæ in Suevia ſub Principatus titulo poſſidebant, quorum poſſeſſionem Imperator illis nunquam ademit, neque adimere jure potuit, id quod ex Privilegio quodam poſteriori ipſius *Caroli IV* de A. 1366, apud *Limnæum*, clariſſime elucet, in quo quippe inter alias Auſtriacas ditiones Sueviæ, Alſatiæ, Sundgoviæ, Ergoviæ, & Turgoviæ, expreſſa ſit mentio, quam deinde *Sigismundus*, Imperator, in alio Diplomate de A. 1437 totidem verbis repetiit, ut adeo dicta renuntiatio nihil evincat, niſi quod Suevia immediate Imperio ſubſit, nullumque habeat Ducem, niſi Imperatorem, id quod Auſtriaci nunquam impugnarunt, ſed potius exemplo *Friderici III*, apud *Lunigium*, publice affirmarunt. Interea *Leopoldo III*, poſt fatalem illius ad Sempachum ſtragem, tres filii, *Wilhelmus* ſcilicet *Ambitioſus, Leopoldus IV Superbus*, & *Fridericus Senior*, in Suevia ſucceſſerunt, de quorum primo *Fabri* clariſſimis verbis refert, *Wilhelmum Auſtriacum Ducem Sueviæ fuiſſe appellatum, ſeque etiam Ducem Suevorum ſcripſiſſe*: poſtremum vero excepit filius unicus, *Sigismundus*, cujus tutelam ſuſcepit *Fridericus III*, qui deinde ad majo-

Digitized by Google

majorem Provinciarum Suevicarum ſecuritatem cum potentioribus Sueviæ Proceribus & Civitatibus contra ſecretas *Alberti Bavari* machinationes, teſte *Burgmeiſtero*, ſingulare fœdus percuſſit, ac, Autore *de Roo*, fratri ſuo, *Alberto VI Prodigo*, ad certum tempus habitationem in Suevia conceſſit, uſque dum *Sigismundus* terrarum ſuarum adminiſtrationem ipſe obtinuit, easdemque A. 1494 *Maximiliano I*, quem, deficiente prole, heredem inſtituerat, reliquit, qui deinde Principis Sueviæ titulum, quem *Rudolphus IV* in Diplomate quodam, apud *Lehmannum*, primus uſurpaverat, inſtauravit, ac reliquis in Suevia ditionibus Comitatus Kirchbergenſem & Weiſſenhornenſem adjecit; ut adeo fruſtra ſint, qui cum Cel. *Struvio* ſtatuunt, *Maximilianum* Sueviam in titulis ſuis primum geſſiſſe. Avum inde excepit nepos, *Carolus V*, qui A. 1521 Ducatum Würtembergicum, quem tamen mox priſtinis poſſeſſoribus ſub certa lege reſtituit, & A. 1548 Conſtantienſem civitatem genti ſuæ intulit, in literis & Diplomatibus ſuis *S. R. I. Principis in Suevia* encomio, licet demum poſt Comitatus, uſus. Poſtea vivus terrarum Auſtriacarum adminiſtrationem fratri, *Ferdinando I*, conceſſit, qui easdem Comitatu Brigantino auxit, & A. 1564 decedens, Comitatum Tyrolenſem ac Auſtriacas in Suevia ditiones, teſte *Hübnero*, filio juniori *Ferdinando* reliquit, cujus ex *Philippina Welſeria* ſuſceptus filius *Carolus* ab Auſtria ex opulenta patris hereditate Marchionatum Burgovienſem vix precibus obtinuit, reliqua vero omnia *Rudolpho II* ceſſerunt, quem deinceps in Suevia ſuo ordine exceperunt *Maximilianus*, electus Rex Poloniæ, ſummusque Ordinis Teutonici Magiſter, *Matthias*, *Albertus*, *Ferdinandus II*, *Leopoldus*, *Ferdinandus Carolus*, atque *Sigismundus Franciſcus*, quo A. 1665 ſine ſobole maſcula extincto, *Leopoldus M.* Sueviam cum reliquis terris Tyrolenſibus accepit, easdemque *Carolo V*, Lotharingiæ Duci, ad tempus gubernandas, utendas, fruendas, conceſſit, poſt cujus fata patri in Suevia liberata *Joſephus* ſucceſſor exſtitit undiquaque glorioſiſſimus, mox iterum, lugente Auſtria, mortalibus ereptus. Quare, fatis ſic jubentibus, præmatura morte exſtincto

 ſucceſ-

ſucceſſit frater Auguſtiſſimus *Carolus VI*, maximus ſane in his terris Princeps, & unicus hodie Auſtriacæ ſtirpis propagator, ſemper invictus, ſemper Auguſtus: cui ut divinum Numen in complementum terrenæ felicitatis dignum aliquando heredem & ſucceſſorem maſculum donare velit, cum bonis omnibus pie vovemus.

RECUEIL DE LETTRES &c.

i. e.

BOISSERII EPISTOLÆ DE MAGIA ET MAGIS contra Sanctandreanum.

Lutetiæ Pariſ. apud Carol. Oſmontium, 1731, 8.

Plag. 19.

Sanctandreani, Medici Conſtantienſis, (*a Coutances*,) duodecim de Magia Epiſtolas recenſuimus *A. 1726 p. 185 ſeq.* meminimusque, & Germanicam earum verſionem hic loci prodiiſſe A. 1727. Merito igitur audimus & alteram partem, hoc eſt, recenſemus totidem Epiſtolas adverſarias nonneminis, qui vel gerit, vel gerere vult videri nomen *Boiſſerii*. Is *Sanctandreanum* accuſat immodicæ & irreligioſæ incredulitatis, quæcunque de magis ac ſagis traduntur, referentem ad cauſas naturales: imo videri eum ait ſacras de obſeſſionibus diabolicis hiſtorias explicare ex principiis mere phyſicis. Narrat idem, ejus Opus, doctrinæ quippe Patrum Eccleſiæ inimicum, nuper in Synodo Gallica expoſitum fuiſſe judicio Prælatorum, qui tamen, aliis urgentibus negotiis, ſine cenſura id dimiſerint. Facile eſſe judicat, *Sanctandreanum* refutare e ſacro Codice, ſcriptis Patrum, Conciliis, Hiſtoria Eccleſiaſtica & Civili, legibus Imperatorum & Regum, ſententiis denique Parlamentorum. Cum vero jam præclare hoc fecerit *Delrius*, itemque in ſuo *Manuali Exorciſtarum Brognolus*, ſibi id unum curæ eſſe, ut defendat judicem quendam, a *Sanctandreano* tractatum immitius. Denique ſe publicaſſe ſcribit has Epiſtolas *ad majorem Dei gloriam*. Quibus verbis dum finitur Præfatio, aliis judicandum relinquimus, an formula hæc generatim prodat harum Autorem Epiſtolarum.

Ex

Digitized by Google

Ex *Epiſtola prima* diſcimus, *Sanctandreanum* impugnaſſe ac rejeciſſe proceſſum judiciarium, A. 1669 & ſequenti in Gallia habitum contra quosdam magiæ reos; antagoniſtam vero noſtrum tam eſſe religioſum, ut ſua in Bibliotheca nullum habeat librum de Magia editum, & illis maxime libris hujus generis careat, quos legi vetent *Indices* Eccleſiæ *prohibitorii.* Ceterum illud jure recteque ſupponit, nihil debere in hoc argumento ſtatui decernique, quo violetur autoritas ſacri Codicis, hoc eſt, ipſius Dei. In *Epiſtola ſecunda* refutat quinque *Sanctandreani* ſententias, ſtatuentis, 1) Deum non pati, a Diabolo ſeduci hoc modo homines; 2) Diabolum non eſſe tam ſtolidum, ut faciat pactum ſuis ipſius rationibus adverſum; 3) Diabolo non licere induere corpus humanum; 4) ſatis eſſe miſerum Diabolum, nec ei tribuendas eſſe novas culpas, quibus reddat ſe miſeriorem; 5) magica facta referri poſſe ad cauſas naturales, neque adeo tribuenda eſſe dæmonibus. Priora quatuor Noſter confutat perfunctorie, & ratione paſſim recepta. Ultimum pro graviſſimo argumento habet, ſi rite probari poſſit. At, quam male ſe hic gerat *Sanctandreanus*, docetur *Epiſtola tertia*, tribusque ſequentibus, quibus quippe oſtenditur, eum proferre, quæ careant veri ſpecie, dum effectus magicos aſſignet efficaciæ effluviorum corporis humani in ſubſtantias longe remotas, itemque pulveri ſympathetico. *Epiſtola ſeptima* adverſus *Sanctandreanum*, ſtatuentem, non dari veri nominis magos & ſagas, ſed eos ſibi tantummodo videri magiam exercere, cum illudant ipſis ſuæ imaginationes, ſua ſomnia, vulgaris ſententia defenditur non ſolum ſua antiquitate, verum etiam decretis Conciliorum, Principum, judicum, graviſſimis. *Epiſtola octava* probare aggreſſus, re vera diabolum transferre magos per aerem in locum Sabbathi ſui, hiſtorias profert in medium complures, earumque teſtes exiſtimat eſſe exceptione majores. *Nona* in *Epiſtola* idem comprobat facto noviſſimo & a judicibus agnito A. 1669 in loco quodam Galliæ, cui nomen *la Haye Dupuis.* Hanc quidem hiſtoriam exponit copioſe, dignam ſane lectu, quia, ſi vel maxime non ſit vera, legentes tamen non minus *cum quadam miſeratione delecta-*

Digitized by Google

lectabit, quam Epaminondas ille moriens apud *Ciceronem Lib. V ad Famil. Epiſt. XII.* Idem Noſter *Epiſtola decima* probat ex nota ſagis a diabolo impreſſa in ſuo Sabbatho, nititurque teſtimoniis ſagarum de loco non ſolum ſuæ notæ, ſed & notarum, ſociabus ſuis impreſſarum. Duabus in poſtremis Epiſtolis de Hayenſi illo proceſſu filum narrationis pertexit, ejusque juſtitiam contra *Sanctandreanum* vindicare ſtudet: inter alia pro comperto referens, ſagas in Sabbatho ſuo ſæpe veſci carnibus infantum nondum baptizatorum, eorum item, qui non fuerint ſepulti in loco ſacro: nec dubitans, diaboli ſub figura capri præſentis podici a ſagis & magis ſumma cum reverentia oſculum imprimi: addens, unum adeſſe ſolere diabolum conſpicuum, ceteram dæmonum multitudinem intereſſe nefandis
Pag. 353. hiſce ſacris inconſpicuam. Refert quoque, *Eudelinum* quendam, Abbatem, A. 1453 faſſum eſſe, ſe eo tempore, quo pactum magicum inierit cum diabolo, ei promiſiſſe, e ſacra ſe cathedra docturum, non dari ullum magum aut ſagam, ſed hos eſſe meros ingenii delirantis luſus. Jam, cum idem docuerint *Lutherus* ac *Melanchthon*, (ubi, quæſo, id docuerunt?) ſuſpicatur, eos eadem conditione, qua Abbas ille, ſocietatem iniiſſe cum Diabolo.

370-387. Ultimum hujus libri locum occupat libellus quidam ſupplex Parlamenti Normannici, miſſus ad Regem *Ludovicum XIV*, poſtquam is iſti Collegio mandarat, ut ſubjectos ſuo judicio & jam condemnatos magiæ reos e carcere dimitteret, & ex ſua Provincia exire juberet, reddita prius ipſis integritate famæ & exiſtimationis, ac redditis quoque ſuis cuique fortunis ac facultatibus. Reſpondet hic Parlamentum, ſuam magorum ſagarumque ad ignem condemnationem eſſe juſtiſſimam, quippe jam olim pæne ubique locorum & gentium uſitatam, maxime vero in Gallia. Hoc freti principio, credunt, vera omnino eſſe, quæ narrentur de notis magicis, de translatione corporum per aerem, de nocturnis magorum conventibus: ideoque petunt a Rege etiam atque etiam, ut ipſorum ſententiam ſua autoritate confirmet, nec patiatur, ſe regnante in Galliam invehi ſententiam contrariam & novam.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomus I Sectio IV.

PRIMATUS HISPANIARUM VINDICATUS, ſive defenſio Primatus Eccleſiæ Toletanæ adverſus Memoriale Eccleſiæ Hiſpalenſis, Hiſpanice conſcripta a Sacræ Theologiæ Doctore, NICASIO SEVILLANO, eidemque Primatiali Eccleſiæ dicata; Latine autem reddita a CAJETANO CENNI, Presbytero Piſtorienſi.

Romæ, ex Typographia Vaticana, 1729, fol. Alph. 6 pl. 20.

Innotuit anno hujus Seculi vigeſimo tertio apud Hiſpanos libellus, titulo Memorialis ab Eccleſia Hiſpalenſi editus, in quo Primatus Toletanæ Eccleſiæ labefactatur. Quem cum *Nicaſius Sevillanus* perlegiſſet, & Toletanæ Eccleſiæ bellum de Primatu indicere animadvertiſſet, pro hujus autoritate arma quaſi ſumenda, & libellum, qui ſe apud multos inſinuaverat, refutandum ſibi exiſtimavit. Atque inde natum eſt, de quo agimus, Opus, certe doctiſſimum, quod quoniam Hiſpanice ab ipſo Autore eruditiſſimo ſcriptum eſt, partim quod eadem

T

Digitized by Google

dem uſa fuerat lingua Eccleſia Hiſpalenſis in Memoriali, partim ut, qui rudes literarum humaniorum priori illius lectione decepti erant, his ab erroris opinione removerentur, Latine hunc librum, A. 1725 promulgatum, reddidit *Cajetanus Cenni*, & Romæ exſcribendum iterum typis curavit. Ipſa Memorialis, ab Eccleſia Hiſpalenſi evulgati, confutatio *tribus*
Pag. 14. *Partibus* abſolvitur. In *prima* ſic verſatur Doctiſſ. Autor, ut oſtendat, alienum eſſe hoc Memoriale ab Eccleſia Hiſpalenſi. Nam, cum Eccleſia Toletana per quadringentorum ſeptuaginta quatuor annorum ſpatium pacifice poſſederit Hiſpaniarum Primatiæ dignitatem, & poſt ſententias latas in Bracharenſem & Tarraconenſem Eccleſiam pro Toletano Primatu exempla adſint Toletanorum Præſulum, Primatiæ jura in Diœceſi Hiſpalenſi exercentium, ex invidia compactum hoc Memoriale
21 ſeq. videtur Autori. Inde ad cauſas, quibus ſe innixam dicit Eccleſia Hiſpalenſis ad tradendum Regi Catholico Memoriale ſuum, procedit, earumque & imbecillitatem, & falſitatem, a-
33. perit, ac, depravata Autorum & corrupta exempla in Memo-
45. riali iſto offendi, doctrinasque incertas ac vitiatas in eodem
59. legi, probat. Quoniam quoque in Memoriali traditum eſt, Archi-Epiſcopi nomen ante Barbarorum invaſionem in Occidente, ac ſpeciatim in Hiſpania, inauditum fuiſſe, contrarium variis ſolidisque hic adſtruitur argumentis, totque ac tam gravibus Memoriale erroribus ſcatere oſtenditur, ut dignum vi-
110 ſeq. deatur, quod ad ſacræ Inquiſitionis tribunal deferatur. *Par-*
160. *te ſecunda*, quæ caput controverſiæ complectitur, Doctiſſ. Autor Primatem dicit eſſe Metropolitam, qui Metropolitæ propriam jurisdictionem retinens, in Provincia habet inſuper autoritatem & jurisdictionem firmam, conſtantem, ſuæque ſedi annexam in reliquarum Provinciarum Metropolitas juxta ſa-
164 ſeq. cros Canones. Hac Primatis definitione fundamenti loco poſita, teſtimoniis *Joannis Morini*, *Fr. Franciſci Longi Coriolani*, *Baronii*, *Spondani*, *Lucii Marinæi*, *Jacobi Gordon*, *Jo. Baptiſtæ Riccioli*, *Jo. Aloyſii Gotophridi*, *Petri Joſephi Cantelii*, *Genebrandi*, *Petri Opmeer*, *Innocentii Cironii*, *Fr. Franciſci Bordon*, *Franciſci Gonzaga*, aliisque, probatur,

Tole-

Toletanam Primatiam eſſe antiquiorem invaſione Maurica in Hiſpaniis; quibus ex ipſis Hiſpanis adjiciuntur teſtimonia Cardinalis *Aguirre*, *Garſiæ de Loayſa*, *Nicolai Antonii*, *M. Petri Medinæ*, *Franciſci Ruix de Vergara*, *Joſephi Peliſer de Thobar*, aliorumque. Idem Primatus Toletanus adſtruitur Bullis Pontificum, *Urbani II*, *Paſchalis II*, *Gelaſii II*, *Calixti II*, *Honorii II*, *Lucii II*, *Eugenii III*, nec non ex Bulla *Hadriani IV*, & *Alexandri III*, ex *Honorii III* & *Innocentii VIII* Diplomatibus, & ex Edicto *Martini V*, quo omnes controverſiæ de Toletano Primatu dirimuntur. Accedit Edictum ac Decretum Regium, *Joannis II* temporibus evulgata, pro Toletano Archi-Epiſcopo. Hinc id agit Autor, ut demonſtret, definitionem ſupra adductam Primatus convenire in Archi-Epiſcopum Toletanum, & Toletanam Eccleſiam ſemper fuiſſe Metropolin ab initio hujus dignitatis in Hiſpania, contra ea Carthaginenſem Eccleſiam nunquam fuiſſe Metropolin. Quam quidem ſententiam non ſolum rationibus, ſed & ipſis Concilii verbis, & Gundemari, Regis, Decreto, ſtabilit. Præfuiſſe etiam, quod *alteram* conſtituit *Partem* definitionis, Conciliis Præſulem Toletanum, ex Conciliis Toletanis IX, X, XI, & ſequentibus, confirmatur, & Toletanam Eccleſiam D. *Gregorii* tempore Primatialem fuiſſe, depoſitione *Januarii* & *Stephani*, Hiſpanorum Præſulum, comprobatur; cui ſubjunguntur alia ſummæ vetuſtatis monumenta, ex quibus apparet, Archi-Epiſcopos Toletanos Primates Hiſpaniarum nuncupatos fuiſſe. Quod *tertium* fuit in definitione, autoritatem ejusmodi ſedi certæ affixam eſſe oportere; adeo proprium Eccleſiæ Toletanæ demonſtratur, ut ante Gothorum tempora jam ipſi adhæſerit Primatialis dignitas, & Archi-Epiſcopus Toletanus tempore ſaltem Gothorum Primatis munia obierit. Cumque quatuor ſint neceſſaria Metropolitæ, ut ſit Primas, 1) convocare Synodos, 2) ordinare Epiſcopos, 3) ordinari a Provincialibus citra alius Primatis interrogationem, 4) jus habere in comprovincialium Epiſcoporum Provinciis; hæc omnia Toletano Præſuli convenire, argumentis perſpicuis docetur. *Pars III* in eo occupata eſt, ut rationes, quibus Hiſpalenſis

Pag. 184 ſeq. 195 ſeq. 202 ſeq. 218 ſeq. 237. 259. 275. 300. 347. 381. 395. 406. 475.

Digitized by Google

Eccleſia innititur, penitus diluantur. Ipſum Opus, uti ſplendidiſſime omnino & accuratiſſime typis exſcriptum eſt, ſic & Indice rerum memorabilium clauditur ſatis copioſo.

DELLA STORIA NATURALE DELLE GEMME, delle Pietre, e di tutti Minerali, &c.

h. e.

HISTORIA NATURALIS GEMMARUM, & Lapidum, omniumque Mineralium, ſeu Phyſica ſubterranea, D. HYACYNTHI GIMMÆ, Legum Doctoris, Advocati Extraordinarii urbis Neapolis, Promotoris Generalis Societatis Roſſanenſis Scientiarum, Incurioſorum dictæ; in qua Gemmarum Lapidumque nobilitas, nomen, colores, ſpecies, loci, figuræ, generationes, magnitudines, duritates, matrices, uſus, & efficacia, fabulæ, utrum igni reſiſtant, quali nomine in Scriptura Sacra veniant, qualia Symbola, aliæque notiones, huc pertinentes, examinantur; accedunt Notitiæ Metallorum, Salium, Sulphurum, Bituminum, Aquarum diverſarum, foſſiliumque, ex lapide figuratorum, itemque de cavernis, aquis, ignibusque ſubterraneis, Vulcanis mundi, in quantum phyſica ſubterranea, examinantur, præter utiles quosdam ad declarandam Mineralium, Vegetabilium, Animaliumque, Hiſtoriam Tractatus, Diviſæ in Libros VI & Tomos II, cum Tabulis Capitum in prima, nominum vero Lapidum, aliarumque rerum notabilium, in ſecunda Parte.

Tomus I & II.

Neapoli, impenſis Januarii Muzii & Felicis Moſcæ, 1730, 4.
Tomus quisque conſtat Alph. 3.

Ampliſſima tituli inſcriptio, quid Autor eleganti hoc, laborisque pleniſſimo, libro agendum ſuſceperit, jam abunde indicat

indicat. Nihil ſupereſſe videtur, quam ut potiorum capitum
ex hiſtoria ſacra & profana, legitimisque ſanæ Philoſophiæ
fontibus, ſatis ſuperque elaboratorum, ſuccinctam quandam
ideam ſubnectamus. Gemma ipſi eſt lapis pellucidus, ſplendens, T. I L. I
rarus, id eſt, non vulgaris, parvusque, limam impune ferens, quo Cap. 3.
ipſo, *raritate*, cryſtalli nobiliores, *puritate*, marmora ſplen-
dentia, aut lapides ſemipellucidi, *limæ tolerantia*, lapides co-
lorati & pellucidi magnitudinis definitæ, a Gemmarum claſſe
excluduntur. Quicunque vero magnitudinis definitæ non
ſunt, limamque admittunt, pro ſplendoris duritieique gradu, mar-
mora, cotes, ſilices, ſaxa, appellat. Inde optimorum Auto- 8.
rum de generatione lapidum & gemmarum judicia proponit,
addita epicriſi, dari ſuccos lapideſcentes, qui, ſicut minerarum,
pro ſui diverſitate, ſic & lapidum, principia eſſe poſſint; ſiqui- 9.
dem, a mollitie quadam ad definitam duritiem tendere eosdem,
declaratum ſit, quamvis vegetationis cujusdam, in geneſi lapi-
dum admittendæ, argumentum id eſſe nequeat. Color au- 10.
tem Gemmarum Autori provenit exhalationibus metallicis
ſubterreſtribus, quæ vel a lapide nondum indurato ſuſcipiantur,
vel eundem etiam perfectum, ſi poroſior, adeoque & ignobi-
lior, fuerit, ingrediantur. Cujus rei eidem argumenta ſunt,
quod Gemmæ igne colorem exuant, quod mineræ locis, ubi
gemmæ effodiuntur, vicinæ eſſe deprehendantur, quod per
menſtrua, uti eidem videtur, colores gemmarum extrahi poſ-
ſint, quod ejusdem generis gemmæ, prout Rubini, Berilli, Ame-
tiſti, Topazi, variorum colorum eſſe ſoleant, imo quod gemmæ
dentur ſemicoloratæ. Formari intra matrices ſuos Gemmas, 11.
exemplo Smaragdi, qui praſſio, Jaſpidis, qui ſilici, Adamantis,
qui cryſtallo innaſcatur, declarat. Gemmæ noctu lucentes
ſuſpectæ penes eundem ſunt fidei, ſicut nec virtutis earun- 12.
dem definitio certa dari poteſt. Quo autem Hiſtoriæ ſuæ
quidam conſtituatur ordo, lapides dividit in pretioſos, minus
pretioſos, animalium denique, & qui diverſæ ſint ſpeciei, aut
qui mineralium ſint matrices. Longum eſſet, ſingulorum, quæ T. I L. II.
de pretioſis lapidibus adducuntur, rationes reddere. Sufficit,
uniuscujusque hiſtoriam ſic tradi, ut matricis, figuræ, magni-

Digitized by Google

tudinis definitæ, patriæ, diverſitatis in colore,ſignorum,pretii, & ſinceritatis, uberrimæ rationes adducantur. In genere de gemmarum verarum ſpuriarumque criteriis judicat, tactu veras cognoſci poſſe eo, quod frigiditatis majorem, quam vitra,gradum obtineant, maxime ſi lingua explorentur. Gravitate etiam & pondere ſpuriæ gemmæ veras multum exſuperant,quandoquidem pro coloribus acquirendis metalla in uſum advocanda ſint artificibus. Inde & limæ ſignum evidens eſt.

T.I L.II Cap.15.

T.I L.III. Lapides animalium dividit in eos, qui in variis eorundem partibus generari deprehendantur, eosque,quos ab animalibus in varios uſus aſſumi, aut appeti, conſtet,utrinque autem exiſtere,qui veri,quique fabuloſi, merito cenſendi ſint. Inde remotis & pro figmento declaratis lapidibus, bufonite, alectorio, chelidonio, corvino, aliisque,imo vero illis, qui in avium ſtomachis reperti eſſe dicuntur,utpote qui inglutiti,non vero generati,ab iisdem ſunt, admittit equidem Ætitem, ſed qui nomen ſaltem,non originem,ab aquila acceperit, de cetero referendus ſit ad ventres minerales, quorum variæ ſpecies ab *Imperato* recenſentur, qui ſcilicet in ſinu vel terram, vel lapides, ferant, quo ipſo concuſſi, ſonitum edere ſueverunt. De Piſcibus extra dubium poſitum eſt, dari ex cruſtaceis & oſtracodermis, qui,prout Aſtaci, lapides ventriculo, ex ſquammatis vero, qui capite gerant. Nam experientia docet, eſſe præter auratam, lupum, corvumque, quibus lapides in capite, excavati ſcilicet & margine ſerrati,naſcantur, quos oſſa potius lapidum æmula diceres, plures alios,denticem, ſargum,ſalpam. Dubium tamen, utrum lamiæ dentes petrefacti huc pertineant. Inde conveniens eisdem nempe inter lapides minerales locus aſſignatur, Maxime vero huc pertinent Perlæ concharum, tum marinarum, tum fluviatilium,quarum ampliſſime recenſetur hiſtoria. Lapides quadrupedum in omni fere eorum genere, equo, aſino, mulo, caſtore,generari dicuntur; receptos autem & pretio quodam habitos eſſe Hyſtricis ſeu porcinos, & qui Bezoardici dicuntur, quales equidem a pluribus Indiarum animalibus, ſimiis,bubulis, ovibus, aliisque ruminantibus, ferri ſoleant, potiori tamen jure pertineant ad caprarum genus, quarum aliud ſit

Indiæ

Indiæ orientalis incola, aliud nomine Capricervæ veniat, & Bezoaris occidentalis ferax ſit. Lapidis crocodilorum ſerpentum, ſeu cobras, & ſi qui alii ſunt, ſuis originibus eruuntur. Operoſus cumprimis eſt Autor in generatione calculi humani T. I L. IV eruenda, cumque, calculos in cerebro humano reperiri, fama ſit, Cap. 13. ab abuſu Tabaci ſternutatorii, quamvis, fieri hos poſſe, merito neget, occaſioni tamen datæ, qua de Tabaci origine, progreſſu, patria, aliiſque innumeris, diſſerere poſſit, adeo tenaciter inhæret, ut plures paginas commentationibus, accurate factis, impleat, quo ſcilicet diſcurſu *Tomo I, Libro*que *totius Operis IV*, finis imponitur. *Libro quinto*, qui *alterius Tomi* primordium eſt, marmorum origines, & in colore diverſitates, quid antiquis temporibus, noſtraque ætate, artificiorum exinde fabrefactum ſit, de formatis marmorum luſu picturis, ſeu opere muſaico, judicia, ſtudioſe exponuntur. Sicut lapidum, quibus a patria nomen eſt, ſeries paulo poſt, marmorum ſcilicet Aſiatici, Memphitici, Phrygii, Arabici, Thracici, Samii, aliorumque, imo & eorum, qui arenarii dicuntur, prout amodytes, tophaceique reliqui, educuntur. Lapidum mineris feracium ordines, quibus ab Autore recenſentur, conveniunt cum illis, qui ab *Agricola*, aliiſque, afferuntur. Condonandum ſane, T. II L. V quod omnes Minerarum diverſitates, quibus metalla in Germania & alibi educuntur, tum etiam, qui ſemimetalla, aut ſulphura fundunt, innoteſcere doctiſſimo Autori non potuerint. Cap. 15. Magna horum lapidum eſt diverſitas, nec ab *Agricola*, nec *Caſio*, unquam ſatis deſcripta, imo vero, qui toto die novis noviſque mutationibus effodiantur. Interim metallorum, & metallicorum omnium, hiſtoria, omni Autorum ævo conquiſita, eleganter apponitur. Sunt certe ex cadmiis noſtris cobaltiſque ita elegantes coloribus rutilis inſigniter nitentes ſpecies, ut cryſtallorum montanarum varietates taceamus, qui Hiſtoriam quandam integram ſatiſque amplam facere poſſent. Eadem eſt mirabilis rerum diverſitas in lapidibus figuratis, quorum ordines recenſentur, partim a ſimilitudine cum corporibus cœleſtibus, prout Cometites *Scheuchzeri*, aut arte factis, prout Ceraunius & Belemnites, partim a convenientia cum vegetabilibus, 17.

bus, ita,ut plurimorum fructuum Icones ex lapide menſis gorgo-
nicis apponi poſſint,aut animalibus denique, ſive eorum partes
lapide figuratæ deprehendantur,prout in oſſibus,dentibus,corni-
busque petrefactis, ſive integræ eorum imagines lapide effictæ
T.II L.V ſint. Ultimus eſt ordo lapidum, qui mineralibus, id eſt, ſa-
Cap. 24. libus, ſulphuribusque,prægnantes ſunt, quo in loco lapidis ter-
minus latiori paulo ſenſu accipitur, terras, limum etiam & ar-
T.II L.VI. gillas, dummodo ſalium ſulphurumque,aut bituminum, ſemina
in iisdem deliteſcant, ſub ſe complectens. Fatendum ſane eſt,
nihil omiſſum eſſe eorum,quæ ulla ratione ad Syſtematis hu-
jus declarationem pertinere poterant. Et merito quidem di-
cendorum initium fit a terris quæ ſteriles ſunt, arenaceæ ſcili-
cet plus vel minus, aut pingues,lapidumque naturam paulatim
imitatæ, quæ ſcilicet vel œconomicis, vel medicis, uſibus hoc
ipſo impenduntur. Cum alioquin ſint, quæ ſalia in ſinu ſuo
Cap. 4. foveant, nitrum, alumen aut vitriolum, imo & ſulphura,
quorum non unum idemque genus, ſiquidem & ratione
fluoris,aut conſiſtentiæ,& virtutis, a ſe invicem diſcrepant. Sicut
enim ſulphureæ naturæ ſunt, arſenicum auripigmentum nati-
vum, nam & factitium eſt, nempe vulgare, ita, qui fluorem a
natura indepti ſunt, ſucci terreſtres inflammabiles & reſinoſi,
ſulphuris nomen non minus merentur, bituminis nomine ve-
5. nientes, cujus matrices ſunt carbones foſſiles. Sulphura ſane
per omne naturæ regnum eo uſque ſuum divulgaverunt im-
perium, ut neceſſe duxerit Autor, declarare, quicquid undique
odoriferum aut inflammabile eſt,ad bituminis naturam refer-
ri poſſe, quo in ſermone prolixus eſt, camphoræ, plantarum a-
romaticarum, mannæ, ſachari, animalium etiam, moſchi zibe-
thive, feracium, mentionem faciens, & prolixam prorſus
16. deſcriptionem addens. Redit tamen in viam, & aqua-
rum dulcium æque ac inſipidarum rationes reddit, quo
tempore ipſi de cavernis, aquisque ſubterraneis, de ignibus ſub-
terraneis,ac terræ motubus, de montibus vulcaniis, ignium ſub-
terraneo itinere, montium perennibus incendiis per omnes
globi arctici antarcticique partes, jucundiſſima eſt oratio, ita
quidem,

quidem, ut, cum voluptate perlecturum, quicunque rerum pretia rite dignoſcere valet, hoc Opus, affirmare certiſſime poſſimus.

MATHESIS FORENSIS, oder Entwurf derer Mathematiſchen Wiſſenſchaften ꝛc.

h. e.

***DELINEATIO EARUM SCIENTIARUM** Mathematicarum, quibus carere non poteſt JCtus in dijudicandis quamplurimis cauſis forenſibus; Autore JO. FRIDERICO POLAC, Jurium & Matheſeos Profeſſore Ordinario in Academia Francofurtenſi ad Viadrum.*

Lipſiæ, ſumtibus hæredum Lanckiſii, 1734, 4.

Plag. 21, cum fig. 4.

Eſt hæc indoles Jurisprudentiæ, ut in definiendis cauſis ſua ſæpe ab aliis diſciplinis, & peritis in arte, petat, id quod inter Medicos jam dudum intellexerunt peritiores, quando in dijudicanda vulnerum lethalitate, abortus procuratione, veneficiis, & innumeris aliis, eorum opem ac conſilia, antequam poſſit ferri ſententia, implorant JCti. Comprobarunt hoc laudabili conamine ac ſucceſſu peculiaribus ſcriptis *Zachias* in Quæſtionibus Medico-Legalibus, *Alberti*, *Gœlicke*, *Teichmeyerus*, *Troppanneger*, aliique, in Medicinæ forenſis Inſtitutionibus & Diſputationibus. Quapropter, cum idem ſæpe præſtet in finibus regundis, ædificiis ruinoſis, operibus novis, Matheſeos cognitio, hanc ſibi ſumſit Autor operam in hac Matheſi Forenſi, inprimis cum ſparſim quidem hinc inde quædam de hoc argumento inveniantur, ex inſtituto vero, quoad omnes Matheſeos diſciplinas, ejusque ad cauſas forenſes applicationem, ante eum, quantum quidem conſtat, egerit nemo. Totus ergo in eo fuit, ut, ad meliorem rei intellectum,

non ſolum in cujusvis *Sectionis Capite primo* ipſa præcipua ſuppeditaverit diſciplinarum pertractatarum principia, adjectis Figuris in æs inciſis, quo & rerum Mathematicarum alias ignari hac opera uti valeant, ſed & ſtudioſe, quanta tamen fieri potuit brevitate, collegerit Juris obvenientes cauſas controverſas, prout easdem ordo Pandectarum, quarum Tituli etiam rubricis omnium Capitum adjecti, forte obtulit. Has omnes controverſias definit ex principiis Matheſeos, adducendo inſuper vel ipſarum legum civilium ac Provincialium diſpoſitiones, vel Conſilia & Deciſiones, ſi quæ obvenerunt, noviſſimorum JCtorum. Ceterum in ipſo Opere hanc ſecutus eſt methodum, ut in *V Sectionibus* neceſſitatem & utilitatem, ad JCtum ex Arithmetica, Geometria, Architectura Civili, Mechanica, & Chronologia, in applicatione Juris ad facta obvenientia redundantem, ſuccincte demonſtret. Abſolvitur autem *Sectio I* de Arithmetica, præmiſſo prius Capite generaliori de utilitate Matheſeos in Jurisprudentia, *octo Capitibus*; quorum 1) agit de Arithmetica, ejusque generalioribus principiis; 2) de Proportione Geometrica & Arithmetica, occaſione tit. de J. & J. quo plerumque in Compendiis JCtorum de Juſtitia commutativa & diſtributiva agitur; 3) de Computatione Legitimæ, & reliquis rerum communium Arithmeticis diviſionibus, item de detractione quartæ Falcidiæ & Trebellianicæ, occaſione tit. de inoffic. Teſt. Familiæ herciſc. communi dividundo; 4) de Haveria ad tit. ff. ad Legem Rhodiam de jactu; 5) de Regula Societatis ad tit. ff. pro Socio; 6) de Computatione graduum ad tit. ff. de Rit. Nupt. 7) de Computatione interuſurii, & 8) de Rationibus reddendis tutelæ geſtæ. *Sectio II*, de Uſu Geometriæ in Jurisprudentia, conſtat *ſex Capitibus*, quorum 1) de Geometria ejusque principiis in genere; 2) de uſu ejusdem in materiis ſervitutum, diviſionibus Inſularum, occaſ. tit. ff. de Servitutibus prædii ruſtici, itineris, actus, viæ, item de acquirendo rerum domin. 3) de Finibus regundis, & inde natis controverſiis componendis occaſione tit. fin. regund. 4) de Diviſionibus prædiorum Geometricis ad ff. tit. Comm. divid. & familiæ herciſc.

5) de

Digitized by Google

5) de novo opere, ejusque indagatione, ad tit. ff. de novi operis nunt. 6) de Uſu Planimetriæ & Steriometriæ in taxationibus ædificiorum, & reliquis ocularibus inſpectionibus. *Sectionis III*, de Uſu Architecturæ Civilis in Jurisprudentia, Caput 1) agit de Architecturæ civilis principiis in genere; 2) de Servitutibus intuitu ædificiorum, occaſ. Lib. 8 ff. 3) de Muris, an ſint proprii, an communes; 4) de Ædificiis ruinoſis, & inde metuendo damno, ad tit. ff. de damno infecto, it. de ſuggrundiis & protectionibus; 5) de Ædificiis ad æmulationem. *Sectio IV*, de Uſu Mechanices in Jure, ſiſtit Caput 1) de Principiis Mechanices in genere; 2) de Uſu horum principiorum in dirimendis controverſiis intuitu ſervitutum, ad materias ff. de ſervitutibus fluminis, aquæductus, & aquæ pluviæ arcendæ; 3) de Molendinis, indeque proficiſcentibus variis controverſiis. Tandem *Sectio V* & ultima, de Uſu Chronologiæ, *quatuor Capitibus* agit 1) de Chronologia in genere; 2) de Uſu ejusdem in interpretandis Legibus; 3) de Computatione anni & diei ſecundum Jus Civile, occaſione tit. ff. de Feriis & Dilationibus, & 4) de Indictione Romana, ad tit. ff. de Fide Inſtrument.

TRACTATUS DE FEBRIBUS JUXTA Circulationis leges; ubi, rejecta ſanguinis fermentationis & fermentorum ſuppoſitione, ſolidorum ſyſtematis veritas demonſtratur in Theoria & in Praxi; Autore HUGONE GOURRAIGNE, Univerſitatis Monſpelienſis Medicinæ Vice-Profeſſore, & ejusdem urbis Charitatis Medico.

Monſpelii, apud Joannem Faure, 1730, 12.

Alph. 2.

Ingens eſt libellorum numerus, qui de febribus tractant, nondum tamen omnis ejus argumenti vis adeo exhauſta, ut, quod non dictum fuerit prius, dici nihil queat. Quæ cum ita ſe

Digitized by Google

habeant, Cl. Autor, quæ inde a viginti annis circa febres obſervaverat, in ordinem redigenda, & ad recentiorum mentem exponenda, ſuſcepit. Quanquam vero id præcipue, & data velut opera, agere videatur, ut febrium phænomena ad ſuam theoriam revocet; in praxi tamen ab omni Syſtemate non minus ſe liberum eſſe, quam in diagnoſi & prognoſi, profitetur. Syſtemata tamen, inprimis Syſtema ſolidorum, artem Medicam non ſolum ex mente ipſius decorant, ſed in remediis etiam opportune adhibendis Medicorum mentem illuſtrant. Itaque febrium rationes redditurus, non in quodam ingenii commento perfugium ſibi quærendum eſſe exiſtimavit, ſed laudabili exemplo ſanguinis circuitum, naturæ judiciis ſat & abunde confirmatum, maxime ante oculos habuit, atque ex turbatis ejus legibus, a natura conſtitutis, & inverſo motu, omnem motuum febrilium indolem explicavit. Ut vero omnis ea febrium theoria rectius caperetur, Diſſertationem quandam Phyſiologico-Pathologicam, de qua mox plura dicemus, præmittendam putavit, principem de febribus tractationem *tribus* poſtea *Partibus* complexus. *Prima* de Febribus in genere, natura nimirum febris generatim ſpectatæ, differentiis, cauſis, proxima, & occaſionalibus, ſymptomatibus, diagnoſi, & curatione, agit. *Altera* in *tres* abit *Sectiones*, quarum *prima* febres continuas ſimplices & compoſitas, *ſecunda* febres continuas accidentales, nimirum cauſum ſeu febrem ardentem, epialam, lipyriam, aſſodem, ſive anxioſam, ſyncopalem & cardiacam, colliquantem, hecticam, & reliqua ſymptomata, quæ febres continuas comitantur & ſubſequuntur, ſive febris alios morbos arceſſat, cum ipſa complicatos, e. g. phrenitidem, lethargum, ſive in alios morbos, quos non comitatur, degeneret; ſive in febres intermittentes mutetur; *tertia* febres malignas, febrem malignam ſimplicem, febres peſtilentiales, & peſtem, reliquas ſpecies, variolas item, & morbillos, perſequitur. *Tertia* demum *Pars* febres intermittentes cum in genere, tum easdem ſimplices periodicas & erraticas, compoſitasque, ſiſtit, in omnibus vero his febribus ſingularibus eadem methodo, quam ſuperius in *Parte prima* tenuerat, utitur, ut deſi-

definitiones, diviſiones, morbi indolem atque eſſentiam, ſymptomata, eorumque explicationes, diagnoſin, diverſitatem a morbis affinibus, prognoſin, indicationes, & medicationes, exponat. Nos quidem in ea ſumus opinione, non contemnenda plane eſſe, quæ hic ad cognoſcendas curandasque febres afferuntur. In ea tamen luce febrium theoriam eſſe, edito hoc Opuſculo, nondum credimus, in qua illam quam maxime conſtitutam cuperemus. Quantum enim eſt, quod in ea deſiderari queat. Sed, quoniam ad examinandas refutandasque aliorum ſententias otio noſtro non facile abutimur, videamus potius ſpeciminis loco Diſſertationem præliminarem, quoniam principia eorum, quibus theoria febrium ab Autore propugnata nititur, exhibet, quamvis non nova & incognita; videamus etiam de febrium eſſentia doctrinam generalem. Diſſertatio agit de ſolidis & liquidis corporis humani, de mutua illorum actione, nempe de humorum circulatione, & de vitiato atque inverſo circulari motu. Totum corpus ex vaſis inter ſe connexis conſtat, quæ in ſanguinea, lymphatica, nervoſa, ſecretoria, & excretoria, dividuntur. Arteria a corde ortum habet, deſinitque tandem in arterias lymphaticas. Ex his arteriis varie inflexis oriuntur continuo venæ lymphaticæ, quarum plures unitæ in venas ſanguineas coaleſcunt, & ad cor redeunt. Ex arteriarum forte lymphaticarum ultimis diviſionibus lateraliter emergunt vaſa lymphatica. Vaſa hæc in alia aperiuntur. Unita ductus majores effingunt, qui partim in glandularum lymphaticarum veſiculas lympham eructant, in diverſis corporis partibus obvias. Plures tandem ex illis ductibus lymphaticis venis vicinis inſeruntur. Præter hæc vaſa ex arteriis lymphaticis vaſa collateralia ortum trahunt in cerebro, nervi ſcilicet, quæ ſuo munere functa, haud dubie in venas lymphaticas aperiuntur, ut una cum ſanguine lympha nervalis ad cor revertatur. Demum in pluribus corporis partibus ex ipſis arteriis haud dubie lymphaticis emanant alia vaſa, quæ ſecretoria & excretoria appellantur. Hæc vel ſimul cum vaſis, a quibus habent originem, intertexuntur, per membranas appenſas, & in unum vas commune excretorium

 abeunt,

abeunt, glandulaſque conglomeratas conſtituunt, vel cum aliis vaſis non implicantur, nec in aliis deſinunt, ſed unum alterumque vaſculum in loca deſtinata pateſcit; atque tunc glandula conglobata vocatur. Ad humores pertinent ſanguis, lympha, lympha nervalis, & humor recrementitius atque excrementitius. Sanguis, ſi Anatomice tractatur, ex duplici parte conſtat, rubra altera, altera alba. Hæc denuo partem ſeroſam lymphaticam & fibroſam complectitur. Si Chymice tractatur, ſalia, ſulphura &c. exhibet, quæ tamen ignis potius effectus Noſtro eſſe videntur. Sunt quidem ſalia & ſulphura in ſanguine, ſed in ſtatu ſano adeo diviſa, ut, deficiente mole, nullas ſalis, nec ſulphuris, proprietates habeant. Sed præter rubram & albam partes etiam aereæ ſanguine continentur. Sanguinis quantitas quamvis maxima eſt, juſte tamen atque exacte determinari nequit. Quæ de reliquis humoribus breviter Autor diſputat, hic lubenter meritoque præterimus. Ex mutua fluidorum ſolidorumque actione oritur circulatio ſanguinis, lymphæ, & lymphæ nervalis, ſecretioque & excretio humorum recrementitiorum & excrementitiorum. Velocitas ſanguinis circulantis quanquam in diverſis partibus variat, neque tamen hæc adeo accurate definiri poteſt. Illud tamen certum eſt, circa cor velocitatem eſſe maximam, eandemque illa proportione minui, qua arteriarum rami magis magisque a corde diſtant, & reliquorum etiam motum humorum eſſe tardiorem, quo magis in vaſis a corde remotis moventur. Quando humores per vaſa ſua libere profluunt, adeſt ſanitas; ubi vero pervertitur hic circuitus, adeſt morbus. Hic enim nihil aliud eſt, quam vitiata humorum circulatio, cui proxime debentur omnia morbi ſymptomata; vitiatur autem motus ſanguinis, lymphæ, & lymphæ nervoſæ, ſi augetur, ſi minuitur, ſi pervertitur, & depravatur. Quales a ſingulis hic morbi generentur, Autor pluribus illuſtrat. Humorum recrementitiorum & excrementitiorum motus progreſſivus vitiatur, ſi illorum ſecretio præpeditur, & ſecreti humores in ſuis vaſis retinentur, & obhæreſcunt; ſi extra modum excernuntur, ſi ſecretio depravatur, humorumque ſecretorum motus pervertitur.

Digitized by Google

tur. Poſtquam nunc ipſius hujus Diſſertationis conſpectum quendam exhibuimus, ad explicationem febris in genere, ab Autore traditam, progredi jubemur. Omnis corporis ſtatus, in quo pulſus micat frequentior, cum notabili functionum læſione, febris eſt. Cauſa ejus proxima & immediata debetur præpedito ſanguinis circulo, ſeu lentiori facto ſanguinis motui, in extremis vaſorum ſanguineorum capillamentis. Oriuntur autem febres a vitio vel ſolidorum, vel fluidorum, vel utrorumque ſimul. Solida vel nimia vi contrahuntur, vel deficit aut imminuitur illorum vis ſyſtaltica. Si primum contigerit, ſumme preſſa tota ſanguinis moles in vaſa omnia impetum molitur, eaque inſigniter dilatat. Hinc & vaſa capillaria, ab irruente ſanguine ultra modum dilatata, parum contrahuntur, &, qua proportione ſanguinem recipiunt, ea illum peræque non propellunt. Hinc ſanguis in iis obhæreſcit & conſiſtit, advenientisque curſus præpeditur. Vis vaſorum minuitur vel ob rigiditatem, vel ob laxitatem eorum. Nimium conſtrictis rigidisque fibris, vaſorum diameter coarctatur. Unde advenienti a corde ſanguini non facile cedunt, nec ab eo diduci ſe patiuntur vaſorum parietes. Quo fit, ut lentior reddatur & retardetur motus ſanguinis in vaſis capillaribus, utpote minus ad motum aptis. Vaſa nimis laxa parva vi contrahuntur, inprimis capillaria, quorum præ aliis magna eſt debilitas. Quapropter lenteſcenti ſanguini facile cedunt, permittuntque, ut intra canaliculos ſuos obhæreſcat, &, qui ſubſequitur, propter hanc obſtructionem, parum, aut plane non, progrediatur. Quod ad fluida attinet, ſanguinis, ſicut ceterorum humorum, vitium vel in quantitate, vel in qualitate, eſt. In quantitate aucta vaſa vel valide contrahuntur, atque hinc ipſe magna copia, ſummaque velocitate, ad capillaria vaſa propulſus, ob minimum horum reniſum, ſubſiſtit in illis; vel nimis dilatata difficulter ſe reſtituunt, & proinde vaſa minora, ut capillaria, ſanguini advenienti propter innatam flexibilitatem facilius cedunt, & ſtagnationi ejus locum relinquunt. Imminuta vero ſanguinis naturali quantitate, vaſa parum dilatantur, & propterea modica etiam vi contrahuntur. Unde & lentus eſt

tar-

tarduſque ſanguinis motus, & difficilis admodum ad vaſa capillaria progreſſus. Hæc naturaliter laxa & implicata ſanguinem hunc pariter lente propellunt, adeoque efficiunt, ut, cum adveniens perpetuo cruor libero ſuo itinere intercludatur, obhæreſcat, & ſubſiſtat, atque ea ratione expeditus per illa vaſa decurſus retardetur. Sanguis, cujus in qualitate eſt vitium, vel craſſior eſt, vel partibus heterogeneis inquinatus. Utrobique vel augetur, vel imminuitur ejus motus, illiusque curſus in extremis vaſorum capillamentis præpeditur. Si ſolida ſimul & liquida vitiantur, id eo facilius contingit, quo magis neceſſaria eſt ſolida inter & liquida proportio ad circuitum ſanguinis naturalem, & rite conſtitutum. Quibuscunque igitur ex cauſis ſanguinis circuitus præpeditus fuerit, in extremis vaſorum ſanguineorum capillamentis, ſanguis, poſtea accedens, ſubit vaſa liberiora, ſeu illa, quæ minus a corde diſtant. Unde frequentius & utplurimum majori quantitate ad cor redit. Nam, cum ſanguis illa ultima vaſa infarcta & repleta non percurrat, ad iter ſuum perficiendum minori temporis ſpatio opus habet. Quapropter cor ſanguinem, quem ſuæ contractionis vi nunc in arterias protruſerat, mox de novo & cito recipit, atque illico rurſus in arterias propulſat, atque ita porro. Ex quibus ſatis patet, cordis ventriculos dilatari frequentius & conſtringi, atque pulſum eſſe frequentiorem. Corde enim frequentius contracto, ex naturali ordine conſequitur, frequentius dilatari arterias, & hinc pulſuum crebriorem eſſe frequentiam. Ex adaucto, vel imminuto, vel depravato, ſanguinis circulo functiones detrimentum capiunt, vitiatur humorum ſecretio, & tandem invertitur omnis, ad quem motus exiguntur, ordo, & corporis œconomia. Inde vero ſymptomatum febrilium ilias oritur, quorum ratio per reliqua Capita copioſius explicatur.

ABREGÉ DES MATHEMATIQUES POUR L'Uſage de ſa Majeſté Imperiale de toutes les Ruſſies &c.

h. e.

COM-

Digitized by Google

COMPENDII MATHEMATICI, IN USUM S. Maj. Imperatoriæ Ruſſiæ univerſæ conſcripti, Tomus III, complectens artem muniendi.

Petropoli, ex Typographia Societ. Scientiar. Imper. 8 maj. Pl. 12, Tabb. æn. 18.

Celeberrimo Operis hujus Autori, Eruditiſſ. *Jac. Hermanno*, cujus nomen, ut alia Opera ejus immortalia taceamus, ob ſubtiliſſima inventa, quibus Geometriam ſublimiorem, Mechanicam, Phyſicam, aliasque ſcientias tantum non omnes, mirum quantum locupletavit, ex his *Actis* noſtris ſatis notum eſt, conſtitutum non fuiſſe, nova Architecturæ militari ornamenta hoc Compendio addere, ipſe titulus ſatis prodit. Juſſus enim Compendium artis muniendi conſcribere, in uſum Principis juventutis, in ſpem magni Imperii educandi, prima ſcientiæ hujus rudimenta diſerte explicare, atque præcipua axiomata, quæ militarium operum conditores in muniendis urbibus, aliisve locis, ſequuntur, luculenter illuſtrare, opus habuit. Finem propoſitum itaque haud felicius ſe aſſecuturum arbitratus eſt, quam ſi inſigniores muniendi modos, ipſo uſu probatos, *Freytagii* inprimis Belgicum, atque Ill. *Vaubanii* Gallicanum, copioſe ac diſtincte exponeret, atque ita demonſtraret, qua ratione formæ muniendi, a Celeberrimis hiſce Viris excogitatæ, partim generalibus, partim ſpecialibus, artis regulis apte reſpondeant. Addidit præterea illam muniendi formam, quam magnus ille *Cœhornius* invenit, partim ob nominis celebritatem, quam ſapientiſſimus hic Architectus merito conſecutus eſt, partim ob regularum, quas ſibi præſcripſit, excellentiam, etiamſi non ſatis conſtet, an ſecundum conceptam ab ipſo ideam locus aliquis unquam munitus fuerit. Et, cum uſus hujus ſcientiæ inprimis in condendis operibus, ut vocant, irregularibus appareat, ea, quibus Architectorum laboribus conſuli poſſe putavit, elegantibus & copioſis regulis complexus eſt. Ultimo denique loco illa etiam caſtrenſia opera exſtruere docet, quæ ad tempus duntaxat aliquod duratura conduntur, mox, poſtquam uſus illorum ceſſaverit, rurſus diruenda; qualia ſunt

lineæ, quibus caſtra cinguntur, varii generis valla, in campo exſtructa, aliaque, hiſce ſimilia, munimenta. Luculenter inprimis Cel. Autor demonſtrare inſtituit, qua ratione loca munita, vel oppugnanda, vel contra hoſtium inſultus defendenda ſint, mutuatus, ut ingenue fatetur, quæ huc pertinent, ab Autore Commentariorum de oppugnatione & defenſione locorum, qui Gallico idiomate prodierunt. Licet itaque imperfectionem Operis hujus, tanquam alieni ab artibus ac ſcientiis, quas profitetur, modeſte deprecetur; illud tamen fama nominis ejus, quam per orbem univerſum conſecutus eſt, indignum non eſt reputandum. Ut taceamus, ordine Mathematicum decente luculenter omnia, atque admodum perſpicue inprimis, expoſita eſſe, paſſim pro ſagacitate ſua obſervationes ac cautelas, quæ militarem vitam ſequentibus ingratæ non ſunt futuræ, appoſite inſpergit. Nervoſe atque diſtincte, quæ præſtantia, qui defectus ſint in formis muniendi, quas varii Autores excogitarunt, demonſtrat, atque, nexus vallorum, propugnaculorum, aliorumque operum, accurate explicando, uni quaſi obtutui locum arte munitum eleganter exponit. Calculum quoque trigonometricum, quo ex datis nonnullis anguli reliqui ac lineæ in ſingulis muniendi formis facile inveniuntur, accurate explicat, ut mature tyrones uſui tabularum, quas alii Autores paſſim dederunt, aſſueſiant, eoque majorem hac opera diſcentium gratiam meruit, quo pauciores ſunt ſcientiam hanc profeſſi, qui ejus ſatis gnari eſſent. Illud maxime laudandum eſt, quod ordine admodum naturali, poſtquam conſtructionem vallorum, aliorumque operum munitorum, expoſuit, oppugnationem eorundem atque defenſionem confeſtim ſubjiciat, ut, dum omnia recenti memoriæ impreſſa hærent, labores diſcentium mirum in modum adjuventur. Multi omnino ſunt, qui ſua in militari Architectura inventa ſingularibus ſcriptis typis evulgarunt, ſed non tam tyronibus, quam in ſcientia hac haud mediocriter verſatis, ſcribere inſtituentes, multa, quorum ignoratio diſcentes remoratur, omiſerunt, aut non omnia ordine tyronum ſtudiis accommodato expoſuerunt. Ut verum fateamur, non aliud nobis ſcien-

X tiæ

tiæ hujus Compendium occurrit, quod artem hanc addiſcentibus, tum ob perſpicuitatem dictionis, tum ob ſelectum argumentorum, æque ac conſcripta hæc a Cel. *Hermanno* rudimenta, commendari poſſe arbitremur. Sed, cum ipſe Cel. Autor nova inventa hoc Opere luci publicæ exponere haud ſuſceperit, plura ex illo excerpere nobis jam non vacat, ſiquidem fieri nequeat, ut doctiſſimarum Animadverſionum ejus, paſſim intertextarum, ſine ambagibus mentionem faciamus.

Gründliche und Vernunftmäßige Wahrheit der Chriſtlichen Religion ꝛc.

i. e.

SOLIDA ET LUMINI RATIONIS CONGRUENS Veritas Religionis Chriſtianæ. Pars I, quæ agit de eſſentia Dei, & quatuor prioribus modis revelationum ejusdem, ſimulque repræſentat virtutes inde deducendas, per formam Dialogi expoſita a SYLVESTRO TAPPENIO, SS. Theol. Licent. & Miniſterii Evangelici Hildeſienſium Seniore, & Paſtore ad S. Andreæ.

Hildeſiæ, 1733, 8.

Alph. 1.

Qui veritates ſanctiores, quales exhibet Codex ſacer, cum lumine rationis in diſſidium committunt, & adverſa fronte pugnare aſſerunt, næ illi deludunt vulgum hiantem, & mentes, quibus incocta vis nativa diſſerendi ac ratiocinandi in promtu eſt, ab amplectenda oraculorum divinorum veritate repellunt. Inprimis fundo Theologico calamitatem inferunt homunciones, qui, dum ipſi nil ad ſacras veritates afferunt ſolidæ cognitionis, homines emunctæ naris in odia publica implicant, & aures ad argumenta e lumine rationis petita obturant, eosque, qui acutioris ſunt judicii, odio perſtringunt Theologico, mercati videlicet munia ſua vel ambitu turpiſſimo, vel clandeſtino pre-

 tio,

tio, vel pactione, ni Helenæ, certe Clitemneſtræ. Utrumque nævum pervidit Venerand. Autor, coryphæus ſui ordinis, & doctrinæ ſanctioris ſolidiorisque decus. Perſpexit, ſtolide eos agere, qui lumen rationis cum lumine revelationis vel permiſcent, vel unum cum altero in ineluctabilem conjiciunt contradictionem. Quid igitur exigat Autor a Theologo, facile patet. Requiruntur videlicet facultates duæ, una philoſophandi, altera ſacrum Codicem dextre exponendi, & ad rem præſentem attemperandi. Arriſit ei ob rationes domeſticas ſermo vernaculus, & methodus dialogiſtica. Occaſionem ſubminiſtrarunt triſtes otii horæ, quas ipſe ab honore divino amplificando haud exiſtimavit alienas. Libellus in *tria* diſtributus exſtat *Capita*. *Capite primo* expoſuit eſſentiam Dei, ſimulque naturam ſpirituum, animæ, & materiæ. *Caput ſecundum* repræſentat revelationem divinam, quæ ſeſe exſerit 1) per habitudinem & deſiderium animæ; 2) per contemplationem animæ noſtræ corporisque; 3) per contemplationem reliquarum rerum creatarum; 4) per facta Dei extraordinaria, nempe creationem mundi humanique generis, & miracula Chriſti ac Apoſtolorum ejus. Additur Sectio de incredulitate, ejusque inani pallio. *Capite tertio* exponuntur officia practica, hinc deducenda, vel profluentia. Circa ſublimiora dogmata Metaphyſica equidem paſſim a Ven. Autore nobis diſſentire liceat. Cum vero diſſenſiones literatorum modeſte ſint ferendæ, quoniam ipſæ occaſionem veritati ulterius inveſtigandæ ſuppeditant: & cum pulchrum fuerit & factu egregium, ut quisque Judæorum ad conſtruendam tabernaculi divini ædem ſacram de ſuo pro viribus afferret; noſtro publicoque nomine ab Autore Venerando contendimus, ut *Partem ſecundam* in dias luminis auras emittere ne gravetur.

J. C. H. R. G. DEMONSTRATIO DE EXIſtentia & uſu Monadum, quæ prima corporum ſunt elementa.

I. Quicquid eſt e ſerie poſſibilium, illud ipſum continetur intellectu infinito Dei, quippe qui ſimul, diſtincte,

cte, & adæquatiſſime, omnia poſſibilia cognoſcit. Poſſibilia, ad certum ordinem repræſentata, conficiunt ſyſtema mundi poſſibilis. In ejusmodi mundo quodvis minutiſſimum tenet relationem ad complexum coordinatorum. Quare cognitio minutiſſimarum rerum & Deo digna, & ad totum quoddam conſtituendum ſeu creandum eſt conducibilis. Dum enim ea, quæ exſiſtunt, & in actum deducuntur, ſunt minima pars poſſibilium; facile pateſcit, rationem Deo fuiſſe, cur unam poſſibilium ſeriem voluerit exſiſtere, reliquas æque poſſibiles poſthabuerit. Ratio electionis & poſthabitionis indubie nititur objectorum habitudine ad finem, divinitus per creationem intentum. Niſi hoc ſtatuatur, ſapientiæ & bonitatis Dei nulla fuit habitudo ad opus creationis perficiendum. Quo ipſo patet, minima quæque non eſſe ſeponenda a ratione objectiva, per quam Deus unam poſſibilium ſeriem voluit exſiſtere, reliquas æque poſſibilium poſthabuit.

II. Quis igitur dubitabit, veritatem quamvis eſſe utilem? Quicquid enim ad rationem objectivam delectus, a Deo inſtituti, pertinet, illud ſuo gaudet fine, eoque re ipſa conducibili. Si quis quærit, an veritas hæc, vel illa, certo reſpectu mihi, vel tibi, ſit conducibilior, ei id non poſſumus non largiri, ad fines huic, vel illi, præſtitutos ſingulas veritates haud æque eſſe utiles. Meum vero non eſt, ita definire, & ſententiam expromere, ut eas per ſeſe inutiles pronuntiem veritates, quarum uſum in præſens non pervideo, vel nunquam pervidere valeo. Omnia enim & ſingula non ſunt ſingulis æque utilia. Nonnunquam incidunt tempora, quibus ea non nullius exſiſtunt uſus, quæ quondam plane inutilia exiſtimabamus.

III. Sunt, qui uſum monadologiæ introſpicere vel nolunt, vel nequeunt. Quodſi vero corpora e ſimplicibus quæcunque ſunt compoſita, & hoc ipſum diſtincte exponi poteſt; in veritatem devenimus & progreſſi ſumus, qualiscunque illa demum videatur. Nolit quiſpiam de utilitate hujus veritatis conqueri. Nulla non veritas ſuam ſpondet & exhibet utilitatem (§. 2).

IV. Verum dubitas de eo, quod corpora ſingula e ſuis conſtent ſimpliciſſimis elementis, quæ quidem partibus ca-

 reant.

Digitized by Google

reant. Quæras, quæſo, & exponas luculente rationes dubitationis. Dubitandum enim non eſt, niſi manifeſtiſſima ſit obvia dubitandi ratio. At rationes dubitationis afferuntur non unæ. Objicis enim, uſum monadologiæ apparere tibi nullum. Exiſtimas ſcilicet, id ſemper eſſe inutile, cujus utilitatem in præſens ipſemet non perſpicis. Liceat ſuffragari quantum ad poſterius attinet. Magiſtri ratiocinationum prohibent, ne prius ſimul largiamur. Non unicuique datum eſt, uſus omnium rerum quovis momento temporis perſpicere. Aliud præterea eſt, rem non exſiſtere, aliud eſt, rem uſu omni prorſus carere. In mentem venit objectio alia, quæ jubet exulare monadologiam, eo quod inſulſum ſit, ſimplicia quævis eſſe quoque ſpiritus, ac corpora non niſi ex ſpiritibus coaluiſſe. Bona verba, quæſo! Qui monadologiam propugnant, hoc ipſum, quod objicitur, a doctrinis ſuis alienum eſſe, profitentur. Spiritus & ens ſimplex non ſunt unum idemque. Spiritus enim intellectu & voluntate præditus eſt; ſimplex elementare haud item. An hoc per varios caſus & tot diſcrimina rerum poſſit evehi in ſtatum animæ vel ſpiritus, alia eſt quæſtio, quam ii affirmant, qui ex carnibus producunt ſubſtantias novas, easque (*) animatas. Ad præſentem ſcopum ea quæſtio cum non ſpectet, nec tanti pretii videatur, dimitti intacta poterit. Potiſſima tandem objectio deſumitur ex eo, quod, exſiſtere ejusmodi elementa corporum ſimplicia, nondum fuerit exacte demonſtratum.

V. Tentandum igitur eſt, quid lex demonſtrationis ferat, quid reſpuat. Occurrunt mihi duo argumenta, quibus nituntur elementa corporum ſimpliciſſima. Unum deducitur a negatione progreſſus cauſæ, materialis videlicet, in infinitum. Alterum ex principio contradictionis depromitur. Quantum ad prius attinet, progreſſus ille exoritur, quoties datur habitudo infinitæ ſeriei in ſpatio, in quo unum ab altero

per

(*) Conf. *G. G. Leibnitii Commentatio de Anima brutorum*, *§. 6 p. 192 ſeq. Tom. I* Epiſt. *Leibn.* a Cl. *Kortholto nuper emiſſorum.*

Digitized by Google

per cauſas materiales dependet. Alterum eſt manifeſtum. Si enim globus quidam ex particulis infinitis conſtat, & rurſus dimidium globi ex æque infinitis coaleſcit particulis; evidens eſt, dimidium globum ex æque infinitis compoſitum eſſe particulis, ac totum. Non video igitur rationem, cur dimidium non ſit tantæ magnitudinis, quantæ exſiſtit totum. Magnitudo enim eſt multitudo partium. Ubi igitur eadem eſt partium multitudo, ibi eadem erit magnitudo. Contradictionem quis non videt? Cur igitur illud habetur pro vero, quod contradictionem ejusmodi involvit? Simulac hoc agnoſcis, fateberis, opinor, dari ſimplicia.

VI. Uſus doctrinæ, qui ſtabilit ſimpliciſſima rerum elementa, eſt multiplex. Attingamus, quæſo, in præſentiarum unum & alterum. Quid ſimplicitas Dei, ſpirituum,& animarum, ferat & involvat, non niſi ex doctrina de ſimplicibus pateſcit. Hinc patet, ſpiritus & animas non niſi a Deo potuiſſe ex nihilo produci, ac per ſeſe interire haud poſſe. Ex immaterialitate ad immortalitatem nonnulli argumentatione vitioſa concludunt, eo quod doctrinam de ſimplicibus negligunt. Plurimum intereſt, doctrinis veris & momentum trahentibus ſolida ſubſterni argumenta, ne profanis debeamus ludibrium. Non enim ſufficit animus, pro veritate defendenda promtus & propenſus. Arma juſta quoque adhibeantur, neceſſe eſt. Qui Deum in diductum & commenſurabilem mutant ſubſtantiam, deficiuntur doctrina de indole ſimplicium.

VII. Quicquid de ſimplicibus, qua talibus, affirmatur, illud de compoſitis, qua talibus, eſt negandum. Fundit igitur doctrina de ſimplicibus uſum ſuum, ubi de natura compoſitorum eſt tractandum. Quare, obſecro, corpori non attribuis vim cogitandi? Quare corpori, per ſeſe tali, omnem demis vim, eamque aliunde arceſſis? Doctrina hic, quæ de ſimplicibus præſcribit, in ſubſidium eſt vocanda, ni citra notiones determinatas philoſophari lubeat.

VIII. Et quid doctrinæ de omnium rerum creatione majorem affundit lucem, quam doctrina de ſimplicibus? Undenam conſtant corpora? Ex ſimplicibus (§.4). Unde ſimplicia

porro

porro exſiſtere cœperunt? Non ex ſimplicibus, per cauſam materialem, nec ex compoſitis. At undenam quæſo? Exſtiterit, neceſſe eſt, ſubſtantia abſolute neceſſaria, intelligens, & volens, quæ corporibus creandis ſuffecerit. Concidit ita ſententia de emanatione omnium rerum ex Deo. Corruit portentum de materialiſmo, quem Athei ſolent amplecti.

IX. Si igitur genuinus de omnium rerum creatione ſenſus Atheiſmo ponit obicem, & doctrina illa, de creatione differens, innititur doctrinæ de ſimplicibus corporum elementis (§. 7); ergo monadologia eſt inexpugnabile adverſus Atheos propugnaculum.

X. Ex quibus, ſimul ſumtis, clariſſime elucet, ſummum eſſe pretium ſtatuendum monadologiæ, eamque ad inutiles aranearum telas, & commenta fallacis imaginationis, haud eſſe referendam. Animum proinde ad credendum inducimus, acutiores in poſterum facilius admiſſuros eſſe elementa ſimplicia, & de uſu monadologiæ magis ſobrie pronuntiaturos.

HENRICI KOEHLERI, PHILOS. MAG. Exercitationes Juris Naturalis, ejusque cumprimis externi, methodo Syſtematica propoſiti.

Jenæ, apud Jo. Frid. Ritter, 1729. 4.
Alph. 2.

Doctiſſ. Autor, qui aliis jam ſcriptis, maxime verſione Germanica literarum amœbearum *Leibnitii*, *Clarckii*que, innotuit, ſingulari ſtudio Jus Naturale, quod vocat, externum excutiendum illuſtrandumque ſibi ſumſit. Intelligit autem ille per Jus Naturale externum complexum earum legum naturalium, ad quarum cuſtodiam alter alterum ex dictamine rationis cogere poteſt. Principium determinatum, unde doctrinas Juris Naturalis externi determinare ipſi licuit, redit ad illud: *Suum cuique*, quod cum abſtinentia alieni conſpirat, quam *Grotius* pro charactere juſtitiæ externæ videtur aſſumſiſſe,

ſſe. Hinc ſolicite diſtinguit res ad forum externum naturale pertinentes ab iis, quæ ad forum internum, & tribunal rationis, ſpectant. Nec minus diſtincte ob oculos ponit juſtitiam externam, ſeu expletricem, eamque a juſtitia interna curate ſejungit. Opuſculum ipſum, lectu ſane dignum, *VII Diſſertationibus* conſtat, quarum hæc fere ſumma eſt: *Diſſ. I* agit de natura humana morali; *Diſſ. II* de obligatione, & lege naturali, ejusque principio, & origine; *Diſſ. III* de imputatione; *Diſſ. IV* de officiis hominum naturalibus, eorumque diſcrimine, & gradatione; *Diſſ. V* de jure læſi in lædentem connato in ſtatu naturali; *Diſſ. VI* de jure pactitio; *Diſſ. VII* de jure dominiorum. Non licet nobis ſingula exponere. Id autem monendum ducimus, Cl. Autorem principiis ſcriptisque *Wolfianis* diligenter docteque uſum eſſe, nec minus ab eodem *Grotium* paſſim & emendatum, & illuſtratum.

GUSTAVI CHRISTOPH. HOSMANNI, Conſiliarii Conſiſtor. & Eccleſ. Concionat. Aulici, S. Theol. Doct. ejusdemque in Acad. Kilon. P. P. Ord. Chronologia Sacra Librorum Veteris Teſtamenti, Obſervationibus exegeticis illuſtrata.

Hamburgi, apud Viduam B. Felgineri, 1734. 4.
Plag. 18.

S. Rev. Autor id ſua virtute meruit, ut intra breve annorum ſpatium præcipuis in Aula & Academia Holſatica muneribus ſacris obeundis admotus ſit. Inter concatenatos tantorum munerum labores publicis etiam Muſarum ſacris Vir laborioſiſſimus nonnunquam litare haud intermittit. Teſtantur id Diſſertationes Academicæ non unæ, alibi laudatæ, & loquitur id etiam præſens Opus Chronologicum, quo prolixæ diſceptationis

Digitized by Google

tionis argumentum concinna quadam brevitate complexus eſt. Non primum ſcriptum eſt, quod in hoc genere S. Rev. Autor vulgavit, ſed bina jam præceſſerunt, quorum aliquam hoc loco notitiam ſubjicere, operæ pretium omnino fore, exiſtimamus; ſiquidem & liti haud indoctæ exinde reciprocatæ lucem quandam fœnerari licebit.

Ediderat Vir Cl. *Gothofr. Kohlreiſſius*, Præpoſitus Eccleſiæ Cathedralis Raceburgenſis, A. 1724 *Chronologiam Sacram*, Hamburgi, 8, excuſam, quam primum ad examen revocavit Noſter, ita quidem, ut in *Hypotypoſi Chronologiæ S.* Hiſtoriam populi Iſraelitici a morte *Iſaaci* uſque ad captivitatem Babylonicam illuſtrante, ibidem A. 1727, 8, edita, cogitata quædam *Kohlreiſſii* de numero annorum *1 Reg. VI, 1*, ſub incudem vocaret, &, quid ſibi in illis cummaxime diſplicerct, modeſte breviterque exponeret. Non defuit tunc ſibi *Kohlreiſſius*, & mox A. 1728 vulgavit *Defenſionem reſtitutæ antiquitatis temporum religioſam & Evangelicam*, itidem Hamburgi, 8, typis expoſitam; ubi quæ in *Hofmannum* dixerat, hic non multo poſt iterum excepit in *Annotationibus ad Hypotypoſin Chronologiæ*, Hamburgi A. 1729, 8, publicatis. *Kohlreiſſius* in vulgato poſthac ſcripto, cujus rubrum: *Chronologia Liphrat katon adhuc immota*, Lubec. 1732, 8, ſuppreſſo quidem *Hofmanni* nomine, ſub Annotatoris tamen compellatione, eundem ſubinde perſtrinxerat: unde & *Hofmannus* in præſenti *Chronologia S.* has ſuas temporum rationes ita propoſuit, ut, nulla amplius *Kohlreiſſii* mentione facta, dubiis ſibi obmotis ſatisfacere, eademque diluere & infirmare, annifus ſit.

Huc uſque dicta ad generalem quandam hujus Libri notitiam atque hiſtoriam pertinent. De tractatione ejusdem ſpecialiori id monere liceat, in univerſum eandem abire in *duas Partes*. *Priorem Partem* Canon Chronicus conſtituit, *alteram* Notæ Exegeticæ abſolvunt. Ex ipſo Canone vix datur, ut aliquid per recenſum huc repeti queat, cum ipſe annorum maxime calculis, & connotatione breviſſima præcipuorum eventuum ac rerum memorabilium, ad eosdem relatarum, conſtet. In genere, cum Chronologia ſacra hic ſolummodo ſpectetur,

Digitized by Google

ctetur, Chronotaxes, & Biblicæ annorum ſupputationes, omnem faciunt paginam. Hinc eſt, ut poſt aſſumtam mundi conditi epocham, quam & Doctiſſ. Autor per integrum Canonem produxit & continuavit, deinde ſuis quibuscunque intervallis mox epocha Exitus Iſraelitarum ex Ægypto, mox epocha Jubilæorum, mox anni *Nebucadnezaris*, & 70 anni captivitatis, a *Jeremia* prædicti, mox epocha Captivitatis, qua uſus eſt *Ezechiel*, mox ejusdem *Ezechielis* anni 531, obſidione typica *Cap. IV, 4 ſeq.* adumbrati, mox 70 ſeptimanæ *Danielis*, & æra etiam Seleucidarum, ſive Contractuum, in partes vocentur, & tum inter ſe, tum etiam cum generali mundi epocha, comparentur. In ipſis eventuum quorundam connotationibus occurrunt nonnunquam, quæ aſteriſco ſignata ſunt, de quibus mox in limine Lectorem Autor præmonuit, ea luculentis quidem rationibus ſe demonſtrare haud poſſe, veri tamen ſimillima ſibi haberi. De anno nativitatis Chriſti obſervamus, illum ex noſtri Autoris computo ad A. M. 4249 referri; qui quidem anni calculus prolixo iſti catalogo variarum ſententiarum de anno mundi, quo natus eſt Chriſtus, quem velut in tabula exhibuit Cel. *Jo. Alb. Fabricius* in Bibliograph. Antiquar. *Cap. VII §. IX p. 187 ſeq.* in quo quidem hic annus nondum a quopiam connotatus habetur, jure ſuo addi poterit. Cum anno incenſi & everſi templi Hieroſolymitani autem ipſe hic Canon Chronicus clauditur.

In Obſervationibus Exegeticis, quæ *alteram* hujus Chronologiæ *Partem* conficiunt, pro noſtro excerpendi inſtituto plura ſeſe offerunt, quam quidem brevis noſter recenſus capere poſſit; cum omnia fere in his nova ſint, in quibus non aliorum, ſed ſua duntaxat, cogitata Autor propoſuit. Ut igitur, dum percurrere ſingula non licet, unum alterumque tantum delibemus, poſtquam Obſervat. I & II de Annis Patriarcharum antediluvianorum, eorumque computatione, & ordine filiorum *Noachi*, traditum erat, Obſervat. III Autorem differentem legimus *de Cainano*, qui inter *Arphaxadum* & *Salah* non modo a LXX Interpretibus *Gen. X & XI*, ſed & ab Evangeliſta *Luca Cap. III, 36*, Genealogiæ Chriſti inſertus,

 tem-

temporis rationes,ad Codicem S. Hebræum exigendas, inſigniter ſane turbat. Cum autem in hoc dubio integritas atque puritas textus apud Evangeliſtam *Lucam* potiſſimum ſarta tectaque ſervanda ſit, cauſæ huic commodum ſatis ac peridoneum præſidium ab ipſo *Luca* ſuffici, exiſtimat Noſter, quando is ſub ingreſſum Genealogiæ ſuæ *v. 23* verbis: *ὡς ἐνομίζετο* utatur, quibus ex communi Judæorum opinione, quam uſus verſionis *τῶν ὁ* induxerat, ſe tantummodo loqui, clare ſatis indigitet. Id autem ſi aſſumatur, non modo huic, ſed & reliquis in hac Genealogia occurrentibus dubiis,ſatisfieri poſſe.

Deinde,cum conciliandis dubiis in annis *Abrahami*, Patriarchæ *Jacobi*, commorationis item Iſraelitarum in Ægypto, ex diverſis V. & N. T. inter ſe collatis locis Obſerv. IV & ſeq. inſudavit Autor, Obſervat. VIII in epocha Exitus ex Ægypto figenda occupatur, hujusque terminum a quo ex conſideratione loci *1 Reg. VI, 1* coll. *Deut. IV, 45, 46, & Joſ. V, 9,* cum ingreſſu in terram Chanaan conjungendum eſſe, planum facit. Obſervat. IX autem Epocham Jubilæorum, cujus inventionis laus inter cetera Chronologiæ ſacræ præſidia Autori noſtro cummaxime debetur, in medium profert; ac, poſtquam hujus rationem hoc loco ediſſeruit,& Judæorum Chriſtianorumque quorundam teſtimoniis muniit, inde per integram Iſraelitarum in Chanaane commorationem ad captivitatem usque Babylonicam, in quo intervallo, præeunte *Maimonide*, in Tr. שמטה ויבל *Cap. X* ſeptendecim in univerſum annos Jubilæos numerat, ſpatioſiſſimum ſibi campum apertum habet, in quo, quam late hujus epochæ uſus pateat, oſtendere potuit. Id quod cumprimis facit Obſervat. XIII ad locum *Jud. X, 8*; Obſervat. XVII ad locum *1 Sam. XIII, 1*; Obſervat. XXI ad *2 Paralip. XV, 19, XVI, 1*; Obſervat. XXIV ad *2 Paralip. XXII, 2*; Obſervat. XXXII ad *Ezech. I, 1, 2*. In quibus præcipue anni deſignati difficultates prorſus inextricabiles dederunt huc uſque Interpretibus, quos tamen cum ad Jubilæorum epochas exegit Autor, iisdem quam accuratiſſime reſpondere, nec ullum dubitandi amplius locum relinquere,

ad

Digitized by Google

ad oculum demonſtrat. Ut autem ex prolatis huc uſque ſpeciminibus ſatis patet, omnem Doctiſſ. Autoris operam in eo verſari, ut obſcurioribus S.S. locis lucem affundat, atque ut contradictionibus & antilogiis, quas cum empæctis aliis *Ben. Spinoza* etiam in Tr. Theol. Politic. ex hujusmodi Chronologicis difficultatibus maxime ſectatur, omnis materia & anſa præcidatur; ita & id ipſum ad commendandum Lectoribus noſtris concinnum hunc libellum ſufficere exiſtimamus, præſertim cum omnia in eo ita conciſe dicta ſint, ut ex eo per compendium vix referre liceat.

Kurtzgefaſte Reformations-Hiſtorie der Däniſchen Kirche ꝛc.

h. e.

COMPENDIUM HISTORIÆ REFORMATIONIS Eccleſiæ Danicæ, ex documentis fide dignis Danico primum idiomate congeſtum, nunc vero, ut ſit loco ſpeciminis Annalium Eccleſiæ Danicæ, qui expectari jubentur, in linguam Teutonicam converſum, exhibitumque Lectoribus, Autore ERICO PONTOPPIDANO, *Hackenbergæ apud Alſenenſes V. D. M.*

Lubecæ, impenſis Jonæ Schmidt, 1734, 8.
Alph. 1 pl. 4½.

Theatrum *Daniæ veteris & modernæ*, cujus recenſionem in *Actis A. 1731 Menſ. Jul. p. 330 ſeq.* dedimus, ejusdem Autoris eſt, cujus eſt Liber præſens; quod vel ideo hoc loco monendum ducimus, ne quis alii cuidam Autori id ipſum tribuat, cum nomen ejusdem, aliquoties ibidem repetitum, per unius literæ mutationem, qua ex *Pontoppidano Pantoppidanus* effictus eſt, tum quidem haud ſatis curate exſcriptum ſit. Ut autem Pl. Rev. Autoris peritiam in argumentis hiſtoricis, quam in iſthoc libello ſatis probatam dederat, jam tum quoque ex merito commendavimus, ita &, quæ jam præ manibus eſt, haud adeo magnæ quidem

 dem

dem molis, ſed ejusdem tamen argumenti, opella haud minus digna nobis creditur, de qua in cenſum noſtrum referatur; quod vel ideo etiam meretur, quoniam in hujus Hiſtoriæ parte hoc ipſum ſcriptum primum & unicum eſt, in quo ſeorſim juſtaque ſerie de eadem exponatur, nec in eo fallitur Autor, quando in Præfamine de aliorum in hoc genere laboribus, quo loco *Conr. Aslaci*, *Henr. Muhlii*, & *Chriſtiani Kortholti*, Jun. tanquam præcipuos nominat, ita cenſet, quod in eorum Commentationibus ſingularia quædam Hiſtoriæ Reformationis Danicæ capita quidem illuſtrata ſint, integrum autem hoc argumentum intactum huc uſque fuerit relictum. Quod vero omnium locupletiſſimum in hanc rem viri, dum viveret, ſummi, *Henr. Muhlii*, apparatum adhuc laudat & celebrat, cum eo nunc ita comparatum eſt, ut ex divite ejusdem vena, poſtquam Senex ille Venerandus non ita pridem d. 7 Decembris A. 1733 rebus humanis exemtus eſt, nihil amplius expectandum ſit, quod ad integrum hoc argumentum exhauriendum facere poſſit: adeo quidem, ut vel ex his etiam cauſis præſens Pl. Rev. Autoris labor nobis carus eſſe debeat.

Ipſum autem hunc libellum ſuum Cl. Autor in *quinque* omnino *Sectiones* diſpeſcuit. *Sectione I* neceſſitatem Reformationis exponit, ex corrupta ſub Papatu Eccleſiæ Danicæ facie demonſtratam. *Sectione II* Proſopographiam & characteres ſubjicit Regum, Epiſcoporum item, atque Optimatum quorundam, Danicæ gentis, quorum vita cum hoc Reformationis ævo conjuncta fuit. *Sectione III* ipſum Hiſtoriæ filum orditur, quod ab A. 1517 per primum Decennium, ſervata etiam annalium methodo, ita deducit, ut purioris doctrinæ ſemina paſſim quidem hinc inde ſparſa, ſed varie tamen adhuc impedita, oſtendat. *Sectione IV* iſtam Hiſtoriæ ſeriem per alterum Decennium ab A. 1527 uſque ad A. 1536 continuat, ubi poſt comitia Othonienſia veritas Evangelica æque, ac Papiſmus, in publicam libertatem atque tutelam recepta fuit. *Sectione V* Decennium tertium & ultimum exhibet, ab A. 1537 ad A. 1547 protenſum, ubi, abrogato penitus Papiſmo, nihil omiſſum eſt, quod ad veritatem Evangelii propagandam quoquo facere modo potuit.

Ut

Ut generalis hæc libelli diſpoſitio eo cummaxime comparata eſt, ut inde originem, progreſſus & incrementa, quæ ſacrorum emendatio apud Danos æque, ac ceteros ſibi junctos populos, habuerit, paulo diſtinctius cognoſcere liceat; ita in ipſa tractatione hæc omnia ſpecialiori eventuum enumeratione magis magisque ab Autore declarantur. Equidem pars horum haud minima iis rebus abſolvitur, de quibus jam aliunde conſtat, atque de his, utut ad meliorem exactioremque ordinem redactis, non adeo huc referre noſtrum erit. Obſervatum tamen & nobis eſt illud, quod in rebus hujusmodi vulgatioribus Autor minus ſit ſolicitus, ut fidem ſingulis a ſe dictis addat, eaque teſtibus idoneis, ex monumentis fide dignis prolatis, probet: de quo quidem Autoris etiam rationes facile perſpicimus, quod ille tum Compendii, quos ſibi præſcripſit, limites excedere, ac citationum multitudine libri molem augere, noluerit, tum quoque crediderit, hujusmodi geſtis, qualia ſunt *Henr. Zutphanienſis, Herm. Taſtii, Melch. Hoffmanni*, & habiti ejus cauſa Colloquii Flensburgenſis, fidei quod ſatis eſt, jam aliorum opera eſſe conciliatum. Relinqui tamen hinc aliquid incommodi, negare haud ſuſtinemus, quod ii, qui alioquin hoc Noſtri labore cum fructu uſuri ſunt, forte non omnes ab aliorum in hanc rem præſidiis inſtructi eſſe potuerunt: quibus proinde id non poteſt non evenire, ut neſciant, cujus in rebus iſtis omnibus, ab Autoris etiam noſtri ætate quam maxime remotis, niti ac ſtare fide debeant. Ut adeo haud abs re fuerit, ſi in perpetuis, quos ſe moliri Autor perhibet, Eccleſiæ Danicæ Annalibus, vel hæc ipſa, vel alia hujusce rei capita probatione ſufficiente, ex locuplete fontium apparatu, quo illum munitum eſſe intelligimus, haud deſtitui patiatur.

Sed, quod de Libro præſente dicendum reſtat, non hic prorſus exulant documenta, quæ fidem narratis quibusdam abunde facere poſſunt. Imo vel hoc velut ſingulare quodpiam habet, quod præcipua quædam iſtius ævi monumenta, ad ſtatum rei ſacræ apud Danos pertinentia, ac hodiedum rarius alioquin obvia, vel integra, vel per compendium eidem inſerta, vel recens

cens etiam in lucem protracta ſint. Cujus quidem rei exempla jam in Sectionibus prioribus occurrunt, ubi ſuperſtitionis papalis documenta non unius generis, ac in his literæ indulgentiarum, quas *Jo. Angelus Arcimboldus*, non ignobilis harum quæſtor, apud Danos venum dederat, *p. 104 ſeq.* ex integro afferuntur. Majoris autem momenti ſunt, quæ ex Actis Comitiorum Othonienſium A. 1527 *Sect. IV p. 170 ſeq.* ex Colloquio Hafnienſi A. 1530 de confeſſionibus & querelis partis utriusque, *p. 211 ſeq.* ex Comitiis A. 1533 Regis eligendi cauſa habitis *p. 260 ſeq. Sect. V* autem ex Agendis Eccleſiæ Danicæ, a *Bugenhagio* A. 1537 primum concinnatis, ac A. 1539 publice promulgatis, *p. 333 ſeq.* ex Articulis Concilii nationalis Ripenſis A. 1542 *p. 370 ſeq.* aliaque paſſim, vel integra, vel per excerpta hujus rei monumenta, communicantur. Ut autem hæ velut gemmulæ huic Opuſculo haud leve pretium addunt, ita & de promiſſis Annalibus facile ſalivam Lectori movebunt, ſi eosdem eodem modo exornare datum fuerit.

D. PHILIPPI FRID. HANE, SS. THEOL. & Hiſt. Ecclef. atque Civil. P. P. in Acad. Kilon. Commentatio Academica de Origine Juris & Beneficii Emigrandi, quod Religionis cauſa in Germania noſtra obtinet; ex genuinis Hiſtoriæ atque Juris Eccleſ. fontibus deducta. Editio altera.

Hamburgi, apud T. C. Felgineri Viduam, 1733, 4.
Plag. 11½.

Nobile, atque certum, & hoc tali tempore inprimis uſitatum eſt Jus emigrandi, ſed ratio, & modus, certique illius limites, nondum per omnia ſunt extra controverſiam. Itaque laudabili conatu experiri voluit Rev. Autor, ſi quid præſidii ex Hiſtoriis afferre poſſit. Quo conſilio, excuſſis, quotquot habere licuit, literarum monumentis, legibusque Imperii fundamentalibus, genuinas hujus juris origines inveſtigavit, & ex occaſione veraque ratione legum iſtarum demonſtrata non parum

rum

rum lucis toti cauſæ accendit. Fuit autem juri emigrandi
proluſum jam in Receſſu Comitiorum Auguſtan. A. 1530 §. 60, §. 4.
ubi quippe illud hominibus Pontificiis, in territorio Domini,
Auguſtanam Conf. profitentis, tribuitur. Inde Pax Religioſa 5.
A. 1555 idem jus æque ad cives Evangelicæ religionis extendit,
ſuppeditante primum D. *Praunio*, Cardinali, & Conſiliario
Epiſcopi Auguſtani. Initio quidem noluit Rex *Ferdinandus* Pag. 13 ſeq.
conſentire, totumque hoc caput expungendum cenſuit,
qui tamen poſtea, æquiori uſus ratione, conceſſit. Idem
Princeps laudatiſſimus decreto peculiari (*Neben-Abſchied*) con- §. 7.
ſtituit, ut ne Præſules Catholici ſubditos ſuos, A. C. addictos,
perſequerentur, ſed religionis frui libertate permitterent. Quæ
declaratio *Ferdinandi* decantatiſſima magnopere deinceps fuit
impugnata. Ceterum jus emigrandi per Pacem Religioſam Pag. 21.
erat voluntarium, & ſubditorum arbitrio relictum; per formulam
vero Pacis Weſtphalicæ lex duræ neceſſitatis evaſit, ita
ut Dominus territorii hominibus diverſæ religionis emigrationem
imperare poſſit. Sub *Ferdinando I* & *Maximiliano
II*, indulgentiſſimis Imperatoribus, Eccleſia Evangelica pacis
religioſæ fructibus per aliquot annos gaviſa eſt, & jura hæc
quoque manſerunt extra controverſiam. Anno autem 1575 Abbas §. 10.
Fuldenſis & Præſul Moguntinus in cauſa fuere, ut de libertate
religionis Evangelicæ acriter diſceptaretur in Comitiis. Electores
Proteſtantes Capitulationi *Rudolphi II* Regis illam declarationem
Ferdinandi inſeri volebant, quam tum tres Archi-Epiſcopi
Electores omni ratione ac ſtudio infringere conabantur,
negantes, factam illam eſſe, aut, ſi unquam facta ſit, Pag. 25, 29.
pro legitima nolebant agnoſcere. Porro in Comitiis Ratisbon. §. 11.
A. 1576 inſtabant Proteſtantes, declarationem illam inſeri publico
Decreto Comitiorum, & ita in vim legis publicæ transſcribi;
ſed ne tum quidem pervincere poterant. Exſtant ſcri- 12, 13.
pta privatorum ex utraque parte in hac cauſa edita. Sub *Rudolpho
II* & *Matthia* plurimis Proteſtantium querelis non fuit 14.
ſatisfactum; ſub *Ferdinando* autem *II* non modo liberum
religionis exercitium, ſed & jus emigrandi, liberum plane,
conculcari cœpit. Per ſeverum illud Edictum, quod Reſtitu- 15, 16.

tionis vocant, libertas emigrandi tam duris conditionibus fuit circumſcripta, ut omnem beneficii, nedum juris, rationem amitteret, imo potius *expulſio, exilium* ac *proſcriptio*, dicenda eſſet; quibus etiam nominibus ipſe utitur *Ferdinandus*. Partem Edicti, huc ſpectantem, cum ſuis quibusdam Animadverſionibus, inſerit S. Rev. Autor, & notat, non omnia neque ſatis diligenter, neque ſatis fideliter, ex Actis Comitiorum Aug. ad Cæſarem relata: mixtas inter ſe atque confuſas diverſas in hac cauſa tractationes, ex falſis præmiſſis multa perperam concludi, eo unice conſilio, ut jus partum infringeretur. Per præcipitata Pacis Pragenſis conſilia A. 1635 nihil præſidii ac-
§. 17. ceſſit deploratæ ſubditorum cauſæ. Cæſar ratione ſuarum Provinciarum nihil de rigore Edicti remiſit, ergo nec pro aliorum Statuum ſubditis aliquid impetrari potuit. Tandem in transactione Pacis Weſtphalicæ non ſine ſummis laboribus emigratio ſubditorum rurſus eo reducta eſt, ut juris atque beneficii
18 ſeq. habeat rationem. Docet S. Rev. Autor, quantæ molis fuerit,
21. hanc impetrare libertatem, neque diffitetur, in gratiam ſubditorum, pro aſſerendo iis libero ſacrorum uſu, conditiones multo benigniores non ſolum fuiſſe propoſitas, ſed & ab Adverſariis conceſſas, quam quidem ipſe pacificationis eventus re vera
22. illis indulſit: cujus rei cauſæ recenſentur. Quare autem ſubditorum & exulum Auſtriacorum minor in hac Pace, quam ce-
25. terorum, ratio fuerit habita, nemo mirabitur, qui ſummam Cæſareanorum pertinaciam, cui Ordines Proteſtantes & Sueci etiam tandem concedere cogebantur, conſiderat. Ceterum varias Interpretum de jure emigrandi ſententias, quæ potiſſimum ex neglectis Hiſtoriæ præſidiis ortæ ſunt, Autor noluit ſub examen revocare, utpote quibus dijudicandis quilibet jam par eſſe poſſit. In fine precatur, ut jus, tanto labore ac ſanguine partum, ſibi haud eripi, aut aliqua ſui parte infringi patiantur illi, quorum curæ, tutelæ atque poteſtati, illud eſt relictum.

RECUEIL DE DISCOURS, &c.

h. e.

SYL-

Digitized by Google

SYLLOGE DISSERTATIONUM, AUT CONverſarum, aut compoſitarum, a JOANNE BARBEYRACIO, JCto Academiæ Groninganæ.

Tomi II.

Amſtelodami, apud P. Humbertum, 1731, 8.
Alph. 1 pl. 9.

Quæ *Tomo priore* continentur Diſſertationes, duæ *Gerb. Noodtii*, (quarum una eſt *de Poteſtate ſummorum imperantium*, altera *de Libertate Conſcientiæ*,) & una *Jo. Frid. Gronovii*, quid ſit *Lex Regia*, doctiſſime exponens, jam *A. 1714 Menſ. Octobr. p. 470 ſeq.* in his *Actis* recenſitæ ſunt. Præmiſſa quoque iis nunc *Vita Gerhardi Noodtii*, JCti Clariſſimi, nobiſque ſæpe laudati, prætereunda nobis eſt, nuper quippe jam inſerta horum *Actorum Supplem. Tom X Sect. II p. 86 ſeq.* Tranſimus itaque ad *poſteriorem Tomum*, in quo una *J. W. Slicheri*, doctiſſimi juvenis, duæ ipſius Cl. Autoris, exhibentur Diſſertationes pereruditæ. Ac *Slicherianam* quidem, Latine primum A. 1717 Amſtelodami editam, Gallicum traduxit Noſter in ſermonem rogatu patris, *Antonii Slicheri*, in Curia Hollandiæ Conſiliarii ampliſſimi. Inſcripta ea eſt: *de juſta defenſione honoris*, & *quinque* habet *Capita*, quorum *ultimum* recenſebimus, quo accurate agitur *de Duellis, honoris recuperandi cauſa iniri ſolitis.* Eſt enim is verus totius hujus libelli ſcopus. Hic, præmiſſis pluribus monomachiæ generibus, (ſcilicet congreſſibus fortuitis, quos *rencontres* Galli vocant, pugna duorum, idem regnum appetentium, vel eandem ſponſam, pugna ad litem finiendam inita, pugna duorum hoſtium pro ſuo cujusque exercitu, pugna proluſoria cum milite uno hoſtilis exercitus, pugna duorum gladiatorum Romanorum,) hodiernorum duellorum inveſtigans originem, negat, ſe ullum eorum veſtigium inveniſſe in veterum Aſiæ populorum, in Ægyptiorum, in Græcorum & Romanorum, hiſtoria. Imo profert memorabiles aliquot hiſtorias priſcas, e quibus lucide apparet, hodierni moris duel-

la olim haud fuiſſe uſitata. Ducit igitur eorum originem a barbaris medii ævi, e ſeptentione egreſſis, Gothis, Langobardis, ceteriſque, &, ab iis in Italiam invectum hunc eſſe morem, docet. Hi enim populi, cum prius duellis uſi eſſent ad lites componendas, itemque ad oſtendendam innocentiam, eaque inire conſueviſſent conſentiente, vel etiam imperante, Principe ſuo, tandem pervenerunt hac occaſione ad conſuetudinem, quamvis contumelioſam vocem vindicandi duello, quaſi videlicet Deus victoriam ſit daturus innocenti. Invaluiſſe poſtea docet hanc conſuetudinem tempore expeditionum cruciatarum inter Equites ſacros, & maxime in Gallia. Hinc fert judicium de hoc honoris ſui, verbo læſi ab altero, defendendi more. Docet, hominibus duntaxat ratione non utentibus, ſed, quo itur, inconſiderate euntibus, placere, conſervari hunc morem; a ſapientiſſimo quoque ſtultiſſimum haberi, recuperatum ire duello violatam ab altero exiſtimationem; nec Romanis, nec Græcis, ſapientiæ laude eminentibus nationibus, id moris fuiſſe; hunc morem eſſe vetitum & Eccleſiæ, & optimorum Principum, legibus; nec Turcas, nec Ethnicos hodiernos, non improbare hanc inter Chriſtianos receptam conſuetudinem. Ultimo loco diſſerit breviter de ratione tollendi morem hunc, & barbarum, & ridiculum.

Accedimus ad ipſius Cl. *Barbeyracii* meletemata, quorum utrumque jamdudum fuit editum ſeparatim, & poſterius quidem primum Latina, deinde Belgica, tum Germanica, lin-
Pag. 179. gua. Prior harum Diſſertationum breviter enarrat *fructus, quos e literarum ſtudio percipit res publica*, ſpeciatim e cultura Logices, Ethices, Antiquitatum, linguarum Latinæ & Græcæ, Medicinæ, Matheſeos, Phyſicæ, Aſtronomiæ. Hinc damna oſtenduntur & plurima, & maxima, quæ affert vitæ imperitia literarum diſciplinarumque, maxime vero Theolo-
235. giæ veræ ignoratio. Altera in Diſſertatione hæc excutitur quæſtio, *an liceat doctori Eccleſiaſtico publice caſtigare magiſtratum, peccato aliquo contaminatum*. Supponit initio Cl. Autor, doctores Eccleſiaſticos eſſe veros cives, ſive ſubditos, adeoque debere magiſtratui & obedientiam, & reverentiam: id & do-

cuiſſe

cuiſſe Chriſtum, & agnoviſſe ejus diſcipulos; contrariam ſententiam ſub Papis demum eſſe natam, & multas calamitates importaſſe Chriſtianis rebuspublicis. Hinc legem producit divinam *Exodi XXII*, 28, qua maledicere vetamur magiſtratibus, eamque cum exemplis, tum dictis Apoſtolorum, *Pauli, Petri*, & *Judæ*, illuſtrat, concludens, non licere civi cuicunque peccata magiſtratuum cenſura & reprehenſione proſequi publica. Concionatoribus vero ſacris id multo minus, quam aliis, licitum eſſe, contendit, propterea quod illi hoc pacto evadant demagogi & turbatores vulgi peſtilentiſſimi. Tum eos refellit, qui docent, ideo id licere Concionatoribus, quod officium ipſos ſuum obſtringat ad peccatores omnes, Tros Rutulusve fuat, caſtigandos. Ait ſcilicet Noſter, magiſtratum, commiſſo crimine aliquo, reprehendi & moneri a Sacerdote ſuo oportere privatim, ſalvo honore magiſtratui debito, exemplo *Samuelis* & *Nathanis*. Addit, ſacerdotes vix eſſe idoneos judices de actis publicis, e. g. de bello gerendo, vel pace facienda, de exactione tributorum, de pœnis, vel earum remiſſione. Maxime autem periculoſas contendit eſſe cenſuras concionatorum de magiſtratuum uſu ſuorum circa ſacra jurium, obſervatque, multum hic peccaſſe Patres Eccleſiæ: id quod manifeſtum facit aliquot exemplis. Ceterum, cum ſacerdotes quidam ex titulo *Paſtorum*, quem gerunt, ſupremam ſibi vindicent in quosvis Auditores poteſtatem, hos refellit dicto *Petri*, Apoſtoli, vetantis eos dominari ſuis ovibus. Poſtremo concedit, ſacerdotes debere vitia reprehendere generatim, & officia pertractare cum magiſtratuum, tum civium, ut quisque audientium, ſui quod eſt muneris, inde condiſcat. Non caruiſſe Diſſertationem hanc adverſario, e Præfatione generali novæ hujus Editionis diſcimus. Refert enim Cl. Autor, hanc ſuam meditationem in Germania oppugnatam eſſe publice a Concionatore quodam, eodemque Antiſtite. Ipſi vero Antagoniſta hic indignus videtur reſponſione, cum & ipſa cauſa ſe defendat, & adverſarius, præterquam quod contumelioſo uſus ſit ſcribendi genere, a ſtatu controverſiæ aberrarit, alienamque ſæpe ſententiam ſibi tribuerit.

Digitized by Google

NOUVAUX ESSAIS SUR LA BONTÉ DE DIEU, &c.
i. e.
OPUSCULA NOVA DE BONITATE DEI, LIbertate hominis, & origine mali; ex Anglico in Gallicum tranſlata.

Amſtelodami, ſumtibus Societatis, 1732, 12.
Plag. 12½.

Frequentes editiones horum Opuſculorum in Anglia, & applauſus omnium, quo excepta fuerunt, Autorem *Anonymum* moverunt, ut eadem in linguam Gallicam transferret, & edenda curaret. Neque indigna fuerunt hæc Opuſcula, quæ Gallice redderentur, ac in manus plurium venirent, atque huc uſque venire potuerunt, utut erroribus, quod intelligentes rerum facile exiſtimabunt, non careant. Ac primo quidem Autor Doctiſſ. de quæſtione diſputat, quæ primo dijudicanda illi loco eſt, qui de religione recte exiſtimare cupit; quod ſcilicet religionis ſit fundamentum, qui fons habendus, utrum ipſa rerum natura ac ratione morali, an vero ſola Dei voluntate arbitrioque, nitatur religio. Qua in re diſceptanda dijudicandaque ut eo rectius verſari Vir Cl. poſſit, relictis omnibus, quid ſit religio, quid natura rerum moralis, quid denique voluntas Dei arbitraria, definit. Ex quibus vocabulorum definitionibus id efficitur, ut quæſtionis primæ: num vera Religio nitatur ipſa rerum natura morali? hic ſit ſenſus: num officia, quæ Deus a nobis exigit, ſint ejusmodi, ut per ipſam rerum naturam intelligi poſſit, æquum eſſe & juſtum, ea ab ejusmodi creatura exigere, qualis homo eſt, & num propterea homines favore fruantur divino, quod digni eodem ſint? ſecundæ vero: num officia, quæ lege divina præcepta ſunt, quibusque tot præmia propoſita ſunt, non eam ob cauſam, quod juſta ſint æquave, nobis præſcripta ſint, ſed quod ita placuerit Deo, nullo ad perfectiones ejus, ſapientiam, & bonitatem, reſpectu habito, aut etiam ad bonum malumve, quod ex iis officiis obſervatis neglectisve oriri poteſt. Tradita utriusque quæſtionis vi ac ſignificatione, quid, quacunque ſumta, ſequatur

tur

Digitized by Google

tur, docet. Quod ſi prior vera ſit, Deum in præcipienda religione ſapientem ſe & benignum exhibuiſſe. Eſſe enim eum ſumme & ſapientem & benignum, qui, cum infinita gaudeat potentia, non abutatur creaturarum ratione præditarum imbecillitate & obſequio, nec imponat leges plane arbitrarias, ſed in iisdem ferendis naturam rerum ſequatur; cum e contrario manifeſte ſapientiæ & bonitatis leges migret, qui, natura rerum neglecta, ex arbitrio abſoluto agat, & eam tantum ob cauſam alia præcipiat, alia prohibeat, quod ita ſibi placeat. Ex quo id ſequatur, ut, ſi religio ſola Dei voluntate nitatur, ſapientiæ bonitatique divinæ illa adverſetur. Religionem præterea rerum naturæ conformem ejusmodi eſſe, ut ratione humana cognoſci intelligique poſſit. Quamvis enim fieri poſſit, ut difficillimum ſit interdum, quid optimum factu, judicare; non eſſe tamen dubitandum, quin erroribus ea occaſione admiſſis ignoſcat, pro bonitate ſua, Deus. Nullum vero in cognoſcenda religione uſum rationis eſſe, ſi ex ſolo arbitrio Dei pendeat, & æque abſurdum fore, in religionis negotio eam adhibere velle, ac ſi quis aurium ope colores cognoſcere, & diſcernere a ſe invicem, velit. Solam etiam religionem, rerum naturæ conſentaneam, aptos homines ad diſcernendam divinam revelationem a falſa reddere. Non quidem ſequi, ut divina revelatio ſit, quæ naturæ rerum non repugnet; ſed illud tamen, ut, quæ eidem repugnet, falſa habeatur. Quod ſi vero plane arbitraria ſit religio, plane fieri non poſſe, ut, quæ vera, quæ falſa ſit revelatio, certo ſciamus, cum nihil ſit, ex quo de ea re judicari tuto poſſit. Neque enim ſapientiæ, aut veracitatis, aut bonitatis divinæ, aut miraculorum, ullam in ea re vim eſſe poſſe, cum neſciremus, an Deus in revelanda religione perfectionibus illis uti, aut eam miraculis confirmare voluerit, & annon potius ſpiritibus impuris poteſtatem conceſſerit, iisdem ad ſtabiliendum errorem utendi. Porro, ſi natura rerum nitatur religio, ſenſum revelationis verum inveniri poſſe. Neque enim in errores pernicioſos facile incidere, qui omnia ad naturam rerum ipſam exigat; idque non ſolum in iis rebus, quæ ad mores pertineant, obtinere, ſed in illis quoque, quæ ſola ſpeculatione, quam dicunt, contineantur.

Lon-

Digitized by Google

Longe vero aliam eſſe arbitrariæ religionis rationem. Incertum enim maxime eſſe, num obſcuris, an vero perſpicuis, uti vocabulis Deus in revelanda ea voluerit, utrum propriis, an impropriis, recteque tum ſtatui, rationem non poſſe ſenſus revelationis judicem agere. Neque hanc difficultatem tollere, qui Spiritum S. interpretem conſtituant, aut probabile eſſe negent, Deum ſumme benignum non ab erroribus in revelatione interpretanda cuſtodire, qui verum ejus ſenſum ſerio quærant. Quod ſi enim Deus plane pro arbitrio agat, & poſterioris revelationis ſenſum incertum eſſe, nulliusque benignitatis divinæ rationem habendam eſſe. Denique, ſi rerum naturæ conformata ſit religio, unam eam ac perpetuam eſſe, etiamſi negandum non ſit, inſtituta poſitiva pro ratione circumſtantiarum mutari poſſe; cum contra ea arbitraria Religio multiplex eſſe, mutarique, pro lubitu divino, queat. His expoſitis, utram harum quæſtionum affirmandam cenſeat, addit, ac, religionem naturæ rerum conformem eſſe, atque ad eam exigi debere, ſtatuit. Primum, quo ad eam rem probandam utitur, argumentum ab analogia petitum eſt. Cum enim Deus ſemper & ubique, id quod negari non poſſit, ita agat, ut perfectiones ipſius, ſapientia, & benignitas, jubent, veroſimile non eſſe, unam eſſe religionem, in qua eas negligat. Secundo, cum Deus vi perfectionum ſuarum, quid rerum naturæ conveniat, optimumque ſit, & ſciat, & facere poſſit, veriſimile eſſe, eum &, quæ religio ei ſit conformis, ſcire, eamque potiſſimum tradere hominibus & poſſe, & velle. Quod ſi quis dixerit, Deum interdum prorſus pro arbitrio agere, neglecta rerum natura, ut intelligant creaturæ, finitam ejus eſſe potentiam; eum peſſime Deo tribuere, quod non niſi in hominibus potentia ſua abuſis, ſuperbisque tyrannis, locum habere poſſit. Ceterum non negat, actiones divinas plane arbitrarias eſſe in eo caſu, quo ex natura rerum rationes agendi peti nequeunt. Ita ſoli arbitrio divino eſſe tribuendum, quod ſol eum, quem tenet locum, non alium in Syſtemate ſolari occupet. Quod quale ſit, facile exiſtimabunt, qui, nil ſine ratione eſſe poſſe, omniaque in mundo connexa rationibus eſſe, norunt.

Fuit,

Fuit, qui, quæ his objici poſſent, ſibi viſus eſt habere, dubiaque ſua cum Autore communicavit. His ille Epiſtola proxime ſequente reſpondet. Prima autem Objectio hæc eſt: Etiamſi Deus interdum ea agat, quæ natura rerum moralis requirit; non tamen ſemper ita agere, ſed aliquando etiam plane ex arbitrio, quid velit fieri, decernere. Quam Autor, propterea valere non poſſe, ait, quod, ſi vera ea ſit, ſequeretur, ut Deus etiam tunc tantum pro arbitrio agere videatur, cum naturam rerum reſpicit, ſimilisque ſit judici iniquo, *Luc. XVIII.* Neque rationem eſſe, cur Deus, quam ſæpe ſequitur, rerum naturam, propterea ſcilicet, quia ſapientia id exigit, non ſemper ſequi velit. Apud homines quidem ſæpe accidere ſolere, ut modo rationem, modo arbitrium, in agendo ſequantur, ſed hoc imperfectioni eorundem affectibusque violentis eſſe tribuendum, quorum neutrum in Deum cadat. Confutata Objectione ipſa, ad exempla reſpondet, ſibi oppoſita. Scilicet, putare, ait, Adverſarium, præceptum de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali, primis hominibus, & de non comedenda carne ſuilla, Iſraelitis datum, ſatis oſtendere, Deum in rebus ad religionem ſpectantibus interdum plane pro arbitrio agere. Sed, non ex his exemplis id, quod viſum ſit Adverſario, colligi poſſe, putat. Utut enim ignoremus rationes harum legum, ex ipſa rerum natura depromtas, non tamen propterea, nullas plane ejusmodi fuiſſe, recte ſtatui. Neque habiturum, quod opponat, Adverſarium, ſi, fructus arboris natura ſua homini noxios fuiſſe, id quod vel ex ratione legi addita pateat, dixerit, carnemque ſuillam in multis locis leproſos reddere homines, adeoque noxiam eſſe dignamque, qua interdicatur hominibus. Non magis valere *Abrahami* exemplum. Actionem præceptam omnino injuſtam fuiſſe, ſed eo conſilio fuiſſe præceptam, ut, quam ſibi humana ſacrificia diſpliceant, oſtendat, conſtantiamque *Abrahami* exploret Deus, non ut ipſam *Abrahamus* exſequatur. Reliqua, quæ Autor hoc loco dixit, ad confirmanda illuſtrandaque ea pertinent, quæ priori libello dixerat. Altera, quæ oppoſita Autori fuit, Propoſitio hæc eſt: Quamvis religio poſtulet, ut ea faciamus,

mus; quæ juſta ſunt, & cum rerum natura conveniunt; eandem tamen & id requirere, ut prorſus nos voluntati divinæ ſubjiciamus, omnesque, quas inſtituit, partes cultus religioſe obſervemus. Ad hanc Objectionem reſponſurus Autor, cultum divinum definit, quod iis actionibus contineatur, quæ venerationem Dei, & quam honorificentiſſime nos de eo ſentire, indicant. Ex quo colligit, actiones per ſe & natura ſua ridiculas noxiasve non poſſe eſſe cultus divini partes, quia entis colendi ſtultitiam arguerent; quæ vero natura ſua ejusmodi ſint, ut animum venerantem Deum, & perfectiones Dei ipſas, innuant, ad cultum ejus pertinere, etiamſi mandatæ non ſint. Quod ſi vero actiones natura ſua ἀδιάφοροι, & nec venerationem Dei, nec contemtum indicantes, conſuetudine, aut inſtitutione divina, tales fiant, omnes circumſtantias effectusque, quos habere poſſint, conſiderandos, neceſſarioque obediendum eſſe, ſi nil ex ipſis mali oriri poſſit, idque rerum naturæ morali conveniens eſſe. Negligi vero easdem poſſe, ſi quis v. g. in locum fuerit delatus, ubi hæ rationes voluntati divinæ repugnare creduntur, ubique magnas turbas daturus, ſibique ipſe perniciem concitaturus eſſet, qui eas ſuſcipere vellit, namque & id principium convenientiæ exigere. Quam in rem affert exemplum, illuſtrationi inſerviens, plane inſigne. Non poſſe ſibi hic Apoſtolorum exempla objici, qui propter Evangelium duriſſima quæque perpeſſi ſint. Namque id feciſſe eos in rebus minime ἀδιαφόροις, v. c. Evangelii prædicatione, ipſis a Chriſto mandata. Longe ſecus autem in ἀδιαφόροις egiſſe. *Timotheum* enim v. c. circumciſum a *Paulo* eſſe, non quod ullum ceremoniæ iſti pretium, aut vim ullam, ſtatuerit, ſed quod turbas evitare voluerit. Denique benevolentia divina non excidere, qui in his rebus, errore inducti, peccent; non enim errores Deum, ſed animi vitium, punire. Ultimo loco vocabula convenientiæ & diſconvenientiæ, quibus Autor uſus eſt, quæque obſcura viſa ſunt, ab omni obſcuritate liberantur, oſtenditurque, ſententiam Autoris de fundamento religionis minime favere incredulitati, ſed honori eſſe revelationi divinæ.

Quæ

Digitized by Google

Quæ hanc excipit Epiſtola, in defendendis perfectionibus Dei, quas vocat, moralibus, h. e. bonitate, ſapientia, juſtitiaque, verſatur, libertateque homini aſſerenda. Primo loco Autor fundamenta explorat, quibus, quicquid eſt in doctrina de perfectionibus certum indubitatumque, nititur. Horum tria eſſe poſſe dicit, teſtimonium Dei, experientiam, denique naturam rerum ipſam. Et teſtimonii quidem divini nullam hic vim eſſe, cum de eo hoc loco quæratur, num Deus homines decipere poſſit velitque, quod ipſum ex perfectionibus illis moralibus dijudicetur. Eandem eſſe experientiæ rationem. Summam quidem ex omnibus operibus divinis bonitatem ſapientiamque elucere; ſed ex ipſis non conſtare, qui finis Deo fuerit in his rebus condendis propoſitus. Quid ſi enim ita fecerit, quia ſic placuerit, aut vanæ gloriæ cauſa? Solam igitur rerum naturam relictam eſſe, ex qua certum firmumque argumentum pro iisdem Dei perfectionibus duci poſſit. Scilicet, cum ſit omnino præſtantiſſima agendi ratio, quæ rectam rationem perfecte ſequitur, & optima quæque eligit; Deus autem, quæ optima ſint, plane intelligat, eademque efficere poſſit; nullum eſſe dubium, quin & ea eligat, & faciat. Non poſſe hic objici mala, quæ in mundo ſunt. Mala enim phyſica aut ſtultitia hominum mundo inferri, aut per ipſam ſapientiam bonitatemque divinam abeſſe non poſſe. Bonum publicum ſæpe malo privato obtineri; tempeſtatibus & ventis purgari aerem, multaque hominibus commoda parari; doloribus effici, ut voluptatibus eo ſuavius afficiamur, ut a periculis nobis caveamus, omnibusque iis, quæ conſervationi noſtræ repugnant. Denique ſine dolore nec voluptatis capaces nos futuros, neque probari poſſe, cadere in homines voluptatem ita poſſe, ut dolor in eos cadere nequeat. Veritatis cognitionem eſſe jucundam, ſed propterea, quod ignorantia eam antecedat; virtutis autem exercitium ſuave, quia miſeri dentur, erga quos virtus ſe exſerere poſſit. Malum autem morale ex libertate, hominibus conceſſa a Deo, fluere, ejusdemque abuſu. Liberos eſſe nos, ſenſu quemque percipere. Agere nos quidem nunquam ſine motivo, ſed non eſſe neceſſariam inter motiva & actiones connexionem, adeoque motivis nullam phyſicam neceſſitatem in-

Digitized by Google

inferri. Motiva invitare, ſuadere, phyſicam autem neceſſitatem cogere; hanc ſemper vincere, illa rejici poſſe, etiamſi, ea optima eſſe, ſciamus. Nec præſcientiam divinam inferre actionibus noſtris neceſſitatem. Cum enim nulla ſit inter motiva & actiones neceſſaria connexio, ſequi, ut vel libertas cum præſcientia conſiſtere poſſit, vel actiones liberæ præſciri non poſſint. Facile autem ex iis, quæ hoc loco diſputat Autor, patet, eum non procul a Socinianorum ſententia abeſſe, qui actiones liberas & contingentes præſciri negant; certe affirmare præſcientiam actionum liberarum & contingentium non audet. Illud vero minime omnium libertatem tollere, oſtendit, quod ex arbitrio noſtro rerum ſuavitas non pendet, nec propterea aliquid nobis placere poteſt, quia volumus, id nobis placere. Falli quoque magnopere, qui libertatem negent, quod natura ad vitium inclinati ſimus. Id enim falſum eſſe, naturamque non ad malum, ſed bonum, nos inclinare atque vocare, adeoque neque ipſi, neque ejus autori, mali culpam eſſe tribuendam. Ultimo loco docere ſuſcipit Autor, quid homines amabiles reddere poſſit, & quæ ipſis ineunda ſit ratio conciliandi amoris benevolentiæque divinæ. Amabiles reddi homines, ait, eo ipſo, quo Deus amabilis reddatur, ſcilicet amore, quem dicunt, univerſali, quo homo fertur ad bonum publicum curandum, & ad præſtandum tantum cuique boni, quantum poteſt. Amorem autem benevolentiamque Dei non ulla alia ratione obtineri, quam ita vivendo, ut perfectiones ipſius & beneficia nobis præſtita exiguat, publicoque commodo inſerviendo. Hanc igitur unam eſſe veramque religionem. Neque hæc inimica revelationi eſſe, religionive revelatæ. Se enim hoc unum voluiſſe docere, quid ſcilicet per ipſam rerum naturam Deo gratum reddere hominem poſſit. Præterea revelationis non eſſe, officia præſcribere, ſed argumenta & motiva proponere, quibus eadem perſuaderi poſſint. Nulla opus fuiſſe revelatione, ſi ita vixiſſent homines, ut rerum natura rectaque ratio poſtulat. Eſſe aut conveniens, aut inconveniens, dari a Deo revelationem. Si hoc ſit, nullam eſſe poſſe; ſin illud, quod ſit omnino, inter ea, quæ dixerit, & revelationem nullam eſſe pugnam. Finem Epiſtolæ facit tandem

dem oſtendendo, falſas opiniones de Deo, ſententiamque de religione ex arbitrio abſoluto Dei pendente, ſuperſtitionis fundamenta eſſe.

Tria contra hanc Epiſtolam dubia Autori mota ſunt. Primum, cum Deus præſciat, qualis homo quisque futurus ſit, multi autem omnino mali noxiique ſint, Deusque impedire poſſit, quo minus hi naſcantur, videri pugnare cum ejus bonitate, quod hos naſci permittat. Secundum, cum Deus ante viderit, quam extiterint homines, eos libertate abuſuros, cur eos libertate donarit, ſi bonus ſit. Ultimum, cum homo ſemper agat, quod optimum eſſe judicat, libertatem conſiſtere non poſſe. Ad hæc is proxima Epiſtola reſpondet; primum dubium ſupponere præſcientiam actionum liberarum, quæ probata non ſit. Omnia in mundo fieri, adeoque & homines naſci ratione cum legibus naturalibus conſentiente, qua & incendia, naufragia, aliaque mala, contingant. Poſtulare autem, ut has Deus tollat, idem eſſe, ac poſtulare, ut ne mundus exiſtat; quod quidem abſurdum ſit, niſi, plus eſſe in mundo mali, quam boni, probetur. Quod ad alterum attinet, pariter ſupponi, homines ſine libertate eſſe, & felicitatis tamen capaces fieri poſſe, quod ſit abſurdum. Redire ergo dubium huc: an non melius feciſſet Deus, ſi homines plane non creaſſet; quod quidem propterea negandum ſit, quod homines omnino plura bona, quam mala, mundo inferant. Summum vitium æque eſſe rarum, ac ſummam virtutem. Pauciſſimos eſſe, qui non plus boni, quam mali, efficiant; id quod propterea pauci intelligant, quod ad vitia aliorum attendant omnes, ad laudabiliter facta non item. Tertio dubio priori Epiſtola ſe ſatisfeciſſe, putat. Ibi dictorum igitur ſummam repetit, & luce majori colluſtrare ſatagit.

Ultima Epiſtola ea prolixius explicat, quæ libello primo de *Abrahami* ſacrificio dixerat. Sumit, Deum eſſe ſumme bonum & ſapientem; *Abrahamum* obligatum fuiſſe, tueri filium ejusque vitam, eamque obligationem ab ipſo Deo tolli non potuiſſe. Injuſte igitur facturum fuiſſe, ſi ſerio cædem filii mandaſſet, id quod ſit falſum. Deum quidem eſſe Dominum creaturarum, potuiſſeque adeo *Iſaacum* vita privare,

Abrahamum ſine ſcelere ingenti non potuiſſe. Jus, quod Deus in homines habet, non potuiſſe obligationem *Abrahami* tollere, quæ ex natura rerum, non ex voluntate Dei, penderit. Quin, ſi Deus creaverit hominem ita, ut per leges naturæ v. c. ſexaginta annos feliciter vivere poſſit, non conveniens ſit, ut eum, nihil tale promeritum, ante vita, quia ſic placeat, directe privet, quam hi anni ſint elapſi. Nam, quod tempeſtate, terræ motu interdum homines vita priventur, qui diutius vivere poterant, indirecte id fieri & modo naturali, de quo hic ſermo non ſit. Quod ſi quis fingat, Deum Iſaaco reddere vitam, aut ipſius ſtatum, qui mortem ſecuturus erat, eo feliciorem reddere potuiſſe; eum injuſtitia quidem Deum liberare; neque tamen id ipſum eſſe ejusmodi, ut obligationem *Abrahami*, quam dixerit, tollere aut infringere poſſit. Neminem facile conceſſurum eſſe, Deum *Abrahamo* præcipere, ſalva juſtitia, potuiſſe, ut filium odiſſet, qui odio dignus non erat. Eandem autem omnino eſſe affectuum & actionum rationem. Denique ſi rationem rectam legemque naturæ in conſilium adhibuiſſet *Abrahamus*, non potuiſſe certum eſſe, Deum eſſe omnino hujus præcepti autorem, nec ſe vana quadam ſpecie decipi, ſive ſomno ipſi, ſive voce de cœlo miſſa, præceptum illud datum fuerit. Tradere quidem S. Codicem, ſimplici fide eum in revelatione ſibi facta acquieviſſe, non autem, eam illius certitudinem fuiſſe, quam ratio exigit. Probaſſe Deum obedientiam ejus piumque animum, non autem judicium, quod de facti ſuſcipiendi moralitate tulerit. Peſſime autem agere, qui, cum hæc cum doctrina morum conciliare non poſſint, ad arbitrium Dei confugiant, & ita nodum non ſolvant, ſed ſecent.

UTILITAS REI NUMMARIÆ VETERIS, COMpendio propoſita. Accedit Appendicula ad Nummos Coloniarum, per Cl. VAILLANTIUM editos, e Cimeliarchio Vindobonenſi cujusdam e Societate Jeſu; Autore R. P. LUDOVICO DEBIEL, A. A. L. L. & Philoſophiæ Doctore, ejusdemque in antiquiſſima Academia Vienneſi Profeſſore Ordinario.

Vien-

Viennæ, apud Jo. Ad. Schmidium, 1733, 4.
Plag. 8, cum Tab. æn. 1.

Quamvis *Spanhemius*, ſelectiſſimæ, vir doctrinæ avocare potuiſſet Cl. *Debielium* a propoſito ſuo nummariæ rei tradendi ſcientiam, quippe qui aureo de veterum numiſmatum uſu & præſtantia libro omnem rei nummariæ ambitum exhauſiſſe videtur; nihilo minus, cum diligentiſſimus Autor, *Spanhemianum* Opus prolixitate, vaſto omnigenæ doctrinæ apparatu, & nimio pretio, abſterrere tyrones ab ejus emtione, animadverteret, ipſe quoque eandem viam ingreſſus eſt, & rei nummariæ veteris compendium confecit, illisque, qui uberius & diſertius expoſita deſiderant, *Antonii Auguſtini* Dialogos, & *Joberti* ſcientiam nummorum, commendavit. *Octo Capitibus* utilitatem, quæ ex nummis redundat, oſtendit. Agit vero *Cap. I de nummorum ordine & utilitate ad Hiſtoriam; Cap. II de nummorum Conſularium, ſeu familiarum Romanarum, ad Romanam Hiſtoriam utilitate; Cap. III ad Hiſtoriam Auguſtorum eorundem numiſmata quid faciant? Cap. IV numiſmata Regum & urbium quid Chronologiæ ſerviant? Cap. V de Geographiæ veteris emolumentis e nummis; Cap. VI de utilitate numiſmatum ad ſcientiam naturalem; Cap. VII veſtes, arma, religiones, ritus, ædificia, in nummis expreſſa, Pictoribus, Architectis, Poetis, quid proſint? Cap.* ultimo *de nummorum utilitate ad conciliandum amorem virtutum.* Sequitur Appendicula ad *Vaillantii* nummos Coloniarum Romanarum. Ediderat Doctiſſ. *Vaillantius* prolixam recenſionem numiſmatum Imperatorum, Auguſtarum, & Cæſarum, in coloniis percuſſorum. Verum, cum nonnulla ſummam hujus antiquitatum peritiſſimi Medici diligentiam fugiſſent, de Supplementis ad *Vaillantii* Opus cogitare cœpit Cl. *Debielius*, & quinquaginta & uno numiſmatibus auxit *Vaillantinas* copias. Nummus XI, in quo caput *Juliæ Piæ*, ſeu *Domnæ*, uxoris *Septimii Severi*, repræſentatur, magni moduli ex ære eſt, & inter rariſſimos haud dubie locum obtinet, propterea Pag. 63.
quod alium ex ære parvo raris annumeravit *Vaillantius*. Occaſione nummi XXVIII obſervat Autor, omnes *Maximini* & 72.
Maximi nummos in coloniis egregiæ raritatis eſſe, & inter præcipua cimelia referri. In fine notas compendiarias, quæ in Lati-

nis nummis occurrunt, adjecit. In lectione formularum, quæ ævo *Conſtantiniano* in uſu fuerunt, *Joberti* potius, quam *Harduini*, fidem ſecutus eſt, & Autores illos, ex quibus profecit, candide atque ingenue allegavit.

Verſuch einer Zuverläßigen Nachricht von dem Kirchlichen und Politiſchen Zuſtande der Stadt Hamburg, ꝛc.

h. e.

SPECIMEN RELATIONIS FIDE DIGNÆ DE utroque ſtatu, tam Eccleſiaſtico, quam Politico, Civitatis Hamburgenſis, qualis olim fuit a tempore CAROLI M. uſque ad tempora FRIDERICI III, Imperatoris.

Absque loci & Typographi indicio, 1731, 8.

Alph. 1 pl. 6.

In Germania a multo abhinc tempore Hamburgenſium Civitas tam excellentia, quam antiquitate, præ aliis civitatibus claruit. Quare non mirum eſt, quod ejus Hiſtoriam tot viri, quamvis non æquali ſucceſſu ſinguli, perſecuti ſint. *Lambeciano* Operi hactenus præſtantiæ laudes nemo denegavit, nec alius opera ipſi palmam præripuit. Cum vero per deſcriptorum incuriam ac inſcitiam in laborem *Trazigerianum* tanta moles tantusque numerus errorum irrepſerit, vix credendum eſt, laborem ab ipſo Autore nunc pro ſuo cognitum iri. Vir diligens, cujus ſub manibus habemus Opus, non eſt ex iis, quos Hamburgum genuit, aluit, fovet. Auſus eſt, quod indigenæ ſine dubio non licuit. Noſtrum, quo vivimus, Seculum tanta Hamburgi protulit memorabilia, ut propter illa, quæ olim contigere, copioſe enarrare, indigenis fas non ſit. Erat igitur extranei, tantas enarrare res, tantasque iras. Cum vero extraneus ſit, non tantum veniam errorum ſuorum ſperat, ſed & omnium, cui res hiſtorica Hamburgenſis curæ cordique eſt, auxilium æqua cum fiducia implorat, ut, collatis ſubſidiis, rebus ipſius adſint. Non deſperandum vero nobis de documentis & teſtimoniis, quæ in lucem tandem proferre promiſit. Ex his enim, & ex incepto & continuo prolato Opere, non tantum dabitur nobis Hiſtoria Civitatis Hamburgenſis, ſed & multum illuſtrabitur id, quod de fatis Provinciarum vicinarum refertur.

✡ ✡ ✡

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomus I Sectio V.

LA TEOLOGIA DEL CHIOSTRO OVERO LA SANtitá, e le Obbligazioni della Vita Monaſtica, &c.

h. e.

THEOLOGIA COENOBIALIS, SEU SANctitas & Officia Vitæ Monaſticæ, conſcripta & edita ab Abbate quodam Ordinis Ciſtercienſis, ad Pontificem Maximum Romanum, CLEMENTEM XII.

Tomi II.

Romæ, ex Typographia Antonii de Roſſi, 1731, fol. Tom. I Alph. 3 pl. 17. Tom. II Alph. 4.

Opus tum Hiſtoricum, tum Aſceticum, nitidis impreſſum formis publicis, ac Pontifici Maximo *Clementi XII*, obſervantiſſime inſcriptum, Ven. Abbas *Malachias de Ingimberto*, ſummi Pontificis a Bibliotheca, cum orbe literato communicat. Scopus in inſtauratione vitæ monaſticæ, ejus-

 que

Digitized by Google

que diſciplinæ, quam autores primi ob oculos habuerunt poſitam, reſtitutione, verſatur. Methodus eſt erotematica, ſeu catechetica, fratribus accommodatiſſima. Stilus eſt lucidus, ſimplex, & elegantiis, tanquam ſtellulis, fulgens. Argumenta faciendorum ac omittendorum non ex demonſtratorum rigidis veſtigiis, ſed ex dictis divini Codicis, majorem vero partem ex Canonibus Conciliorum, regulis *Benedicti*, teſtimoniis Patrum, præcipue ex ſcriptis *Baſilii*, *Caſſiani*, & *Bernhardi*, fuerunt depromta. Animum in id maxime intendimus, ut intelligeremus pondus divini præcepti & promiſſi, cui actiones & fundamenta vitæ monaſticæ ſuperſtrui innitique poſſent. Ad unum enim omnes norunt, quantum & quam certum requiratur præceptum promiſſumque Dei, antequam præceptum quartum Decalogi, & obedientia in ſummos rerum dominos, in terrarum patriæque patres, atque in progenitores noſtros, exercenda, ſint migranda. Quantopere deſiderio noſtro ſatisfactum fuerit, aperta & brevis recenſio facile declarabit. Sperantur enim a Ven. Autore, cujus jam alia ſcripta inclyta proſtant, non niſi ſolida & pulchra. *Tomus primus quindecim* complectitur *Capita*, quibus indoles ejus, qui voti monaſtici interventu actionibus vitæ hujus caducæ profanis nuntium miſit, formatur. *Capite ſecundo* hiſtoria primordiorum vitæ monaſticæ exponitur. *Capite tertio* ac *quarto* origo & indoles vitæ ſolitariæ ac anachoretarum explanatur. *Caput quintum* naturam vitæ cœnobialis, ejus perfectionem, & tria vota, repræſentat. *Caput ſextum* præcipua adminicula, ſatisfaciendi iis perfectionibus, ſiſtit. *Caput ſeptimum* amori, in Deum intendendo, eſt proprium. *Capite octavo* ac *nono* enodantur officia, quæ reverentiæ & fiduciæ in ſuperiores appellationibus veniunt. *Caput decimum* caritati religioſorum mutuæ fuit inſcriptum. *Capite undecimo* preces dicendæ attinguntur. *Caput duodecimum* pœnitentiæ aſſignatur explanandæ. Partes ejus, demiſſio animi, & meditatio mortis, *Capite* ediſſeruntur *decimo tertio*. De judicio Dei agitur *Capite decimo quarto*. De compunctione mentis pertractari cœptum *Capite decimo quinto*, ſeu poſtremo. Ex ea, quæ ad *Clemen-*

Digitized by Google

Clementem XII, Papam Romanum, directa eſt, Dedicationis obſervantiſſimæ formula intelligimus, Autorem jam alios eidem inſcripſiſſe libros, intento inſtaurandæ Monachorum diſciplinæ. Scopus libri in ſermone proœmiali is eſſe dicitur, ut tot tantisque cœnobiis ſancta forma, penitus fere deperdita, reſtituatur, & ad primam inſtitutionem redigatur. *Religioſum* vocat Ven. Autor eum, qui interventu voti ſolennis mundo & cuicunque rei, quæ ſenſum oblectat externum, renuntiavit, & non niſi Deo vivit, rebus æternis unice occupatus. Per mundum intelliguntur actiones, occupationes, bona, honores, & deliciæ mundi. Sed omnes Chriſtiani in Baptiſmo iis renuntiant, quæ voluntati Dei ſanctiſſimæ & perfectionibus divinis obſtant. Nulli non Chriſtianorum perfectio Dei in exemplum eſt propoſita *Matth. VII, 48, Lev. IX, 44, Eph. III, 19, II, 19, Phil. III, 13, 14, 15, IV, 13, 2 Petr. I, 4 ſeq.* Omnibus eſt Deo vivendum *1 Jo. II, 15, 16, 17, Rom. XIV, 7, 8, 9, 2 Cor. V, 15, Gal. II, 19, 20*, impuritas, avaritia, & immoriger animus, omnes dedecet *Eph. V, 3, 4, 5, 1 Tim. VI, 17, 18, 19, Rom. XIII, 1 ſeq. Ebr. XIII, 17, Phil. II, 29, Eph. VI, 1 ſeq.* Sed Autor vitæ cœnobiali plus tribuit. Inſtituti cœnobiorum origo deducitur hic more ſolito ex locis *Luc. XIV, 26, Matth. XIX, 29*, in quibus Jeſus homines docet, Apoſtolos præſertim, omnia mundi oblectamenta amori in Deum intendendo, & doctrinæ Chriſti ardentiſſime propagandæ, eſſe poſtponenda. Ad ſolos cœnobitas quomodo hæc trahi queant, ii, quorum intereſt, viderint. Origo vitæ monaſticæ divina præterea ex regula *S. Pachomii*, ab Angelo recepta, deducitur. Sunt, qui originem ad exempla *Eliæ, Eliſæi, Rechabitarum, Joannis Baptiſtæ*, & Apoſtolorum, revocant. Alii eandem ab Anachoretis Ægypti arceſſere malunt. De Anachoretis & Cœnobitis variæ circumferuntur diſtinctiones apud veteres. Autor, reſpectu ad nutum ſuperioris habito, alios ſuo arbitratu vixiſſe Deo, alios a nutu ſuperioris ſecundum regulam degiſſe, oſtendit, ideoque non niſi duas ſpecies vitæ a mundo disjunctæ ponit, anachoreticam, & cœnobialem. Cœnobitarum vitam digniorem & perfectiorem eſſe

Pag. 5.

6.

13.

Digitized by Google

vita reliquorum hominum, a nonnullis jam Seculo IV fuit creditum. *Bernhardus* ad Fratres de Monte Dei: *Aliorum eſt, Deo ſervire, veſtrum, adhærere: aliorum eſt, Deum credere, ſcire, amare, revereri, veſtrum eſt, ſapere, intelligere, cognoſcere, frui.* Eodem fundamento nititur vita contem-
Pag.38 ſeq. plativa & ſpeculativa. Idem ſcopus Myſticiſmi. Aſſertur porro doctrina de conſiliis Evangelicis, quæ more ſolito ex *Matth. XIX, 21*, derivantur. Inde Autoris oratio ad tria vota monaſtica deflectit, & ad ea, quæ Monachis inculcantur, perfectionis majoris obtinendæ adminicula. Quorum in cenſum referri vides fervorem amoris in Deum, obſervantiam in ſuperiores, ſuperiorum amorem in obnoxios, amorem fraternum in conſortes ſociosque, aſſiduitatem vacandi precibus, mentis demiſſionem, mortis meditationem, perpetuam judicii
78 ſeq. divini contemplationem, animi compunctionem, ſejunctionem cogitationum ab indebitis, ſilentium, auſteritatem vitæ & ſenſuum enecationem, corporis per labores fatigationem, vigilias, paupertatem exactam, tolerantiam infirmitatis mutuæ.

Tomo II comprehenduntur *Capita* a *XVI* ad *XXIII* procurrentia, ac pœnitentiæ externæ inſcripta. Adminicula perfectionis conſequendæ inprimis urgentur, quæ jamjam indicavimus. *Capite ultimo* monita iis ingeruntur, qui mitigationem regulæ ac diſciplinæ monaſticæ laudant, vel ſuadent.
28 ſeq. Inquiritur porro, an dictum *Lucæ VI, 30*, ad præcepta, ſeu communia, ſeu ſingularia, quæ appellantur Evangelica, ſit referendum, ſimulque id momentum inveſtigatur, quod in licentia conſiſtit, per quam Monachus it in jus, cauſamque ſuam
60 ſeq. contra alium agit. Bona, Monachis per hæreditatem, vel alio titulo, propria, videntur in uſum communem ex eorum arbitrio eſſe diſpenſanda, ob loca *Eſ. LVII, 7, 1 Tim. V, 8.* Sed Autor id negat ob indolem renuntiationis, a Monacho olim factæ, & laudat id *Hieronymi* dictum: *Per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis evola, ſolum pietatis genus eſt, in hac parte eſſe crudelem.* Autor huc trahit dicta *Matth. X, 37. XII, 50, VI, 24, 34, VIII, 21, 22, X, 36, Luc. IX, 12, 61, 62, XIV, 26, 70.* Provocatur eo nomine ad ſummum Dei amorem, præferendum amori in proximum intra momen-

momentum colliſionis tabulæ utriusque,ad exemplum Chriſti, ad obedientiam ex voto monaſtico fluentem, ad exempla laudatiſſima parentes fugientium,eosque negligentium, ad conſenſum *Caſſiani, Bernhardi, Baſilii, Thomæ Aquinatis*, qui docuit, Monachos viventes mortuos eſſe. Præſcivit Autor Venerabilis, quid diſſentientes ſoleant proferre, urgentes & contendentes, ob ἐθελοθρησκείαν tabulam Decalogi ſecundam migrandam haud eſſe: ad perfectionem Deo placentem quosvis eſſe obſtrictos: actionis remunerandæ ſpem non dari citra præceptum Dei ejusque promiſſum, extra dubitationem poſitum: vota Juri Naturæ tollendo non eſſe paria: dictum *Matth. XV, 3, 4, 5*, in contrariam partem eſſe nimis clarum. Hoc enim, ut diſſentientes dictitant, docemur, voto ſpontaneo, in gloriam & amorem Dei ſuſcepto, non violandum eſſe Decalogi præceptum quartum, licet traditionem Judæi Doctores antiquiſſimam auſis ſuis obtexuerint. Reſpondet proinde Autor ad loca *Eſ. LVIII, 7, 1 Tim. V, 8, Matth. XV, 3 ſeq.* Ad locum poſtremum tres affert reſponſiones. Dabimus verba ipſa in Latinum converſa: *Primo Jeſus Chriſtus reprehendit inhumanitatem Phariſæorum erga ſuos parentes, reprehendit ipſorum avaritiam, diſſimulationem, animum fuco obductum. Præterea, ut indicat* S. Joannes Chryſoſtomus, *falſum erat, ipſos, uti contendebant, Deo omnes ſuas facultates conſecraſſe. His vitiis non ſunt affecti genuine religioſi, ſed potius ipſorum pietas eſt ſincera, ſacrificium ipſorum eſt verum, amor ipſorum erga parentes eſt tener, licet temperatus debitis profeſſionis ſuæ officiis; ac, ſi denegant eis adjumenta nonnulla, quibus eis eſt opus, hoc exoritur ex reverentia erga præcepta Dei, & ex timore ea transgrediendi. Secundo dona, a Phariſæis nonnulli parentum denegata, & deſtinata ex ſententia ipſorum divino cultui, non niſi in quibusdam, iisque paucis, animalibus conſiſtebant; ſed hic agitur de animis, pretioſiſſimo ſanguine Jeſu Chriſti reparatis. Tertio Phariſæorum donum erat conſecratio tantum exterior; ſed hæc, quæ exſiſtit ex votis ſolennibus, eſt prorſus interna & divina, cujus interventu animæ fiunt ſponſæ*

Pag. 70 ſeq.

76 ſeq.

Jeſu Chriſti. Utinam Autor libellos Miſchnicos de *Jureju- rando* & *Votis* attente perlegiſſet, ad indolem votorum Judaïcorum curatius expendendam! Sunt Caſuiſtæ, qui ab Autoris ſententia diſſident. At, eos audiendos eſſe præ *S. Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Hieronymo*, aliisque, is negat. Officium, parentibus præſtandum, voto baptiſmati eſt innexum, quod tollendum eſſe, a vero videtur diſſonare. Ad hanc quoque objectionem diluendam afferuntur nonnulla, illudque inprimis, paternitatem cœleſtem eſſe terreſtri anteponendam. *Eph. III, 15*, ut pateat ex exemplo *Abrahami*, filio necem illaturi. Afferuntur plures hoc fine objectiones & reſponſiones, quas penes Autorem Ven. legi malumus.

Pag. 86 ſeq.

78 ſeq.

DILUCIDAZIONE DI ALCUNE DIFFICOLtà formate ſopra la Teologia del Chioſtro, &c.

i. e.

DILUCIDATIO NONNULLARUM DIFficultatum, formatarum ſuper Theologiam Cœnobialem, ſeu ſuper Librum de Sanctitate & Officiis vitæ Monaſticæ, Autore Ordinis Ciſtercienſis Abbate quodam.

Tomus III.

Romæ, ex Typographia Antonii de Roſſi, 1731, fol.
Alph. 3 pl. 18.

Objectiones, partim prævitas, partim ab aliis implicatas, quibus dogmata, *Tomis duobus* recenſitis comprehenſa, tentari poſſunt, Ven. Abbas *Malachias de Ingimberto* in *Tomo* hoc *tertio* ſolvere, & momenta affinia illuſtrare, aggreſſus, in induſtria ſua adeo nihil deſiderari paſſus eſt, ut potius copioſior, quam ſterilior, tractatio ejus videri poſſit. Exponemus Objectiones & difficultates nonnullas, addito unius & alterius enodationis argumento. Objectionum agmen ducit neglecta diſtinctio inter conſilium & regulam. Si enim inſtituta monaſtica nituntur conſiliis Evangelicis, qui perhibentur, eſſe neceſſita-

Digitized by Google

ceſſitatis & obligationis exactæ? Si Chriſtus & Apoſtoli perfectionem, quæ obtineri in hac vita poteſt, univerſis, nemine excepto, inculcarunt, quomodo ea conſortibus vitæ monaſticæ ſolis vindicari poteſt? Viſum eſt aliis, Autorem nimio æſtu notaſſe defectum diſciplinæ Monachorum: nimiam a Monachis requirere perfectionem: voto baptiſmali detraxiſſe, ut voto monaſtico, invitis literis divinis, autoritatem maximam conciliaret: definitionem tradidiſſe de Monacho minus ſufficientem: inconvenienter fidem habere hiſtoriæ, quæ, *S. Pachomium* ab Angelo regulam monaſticam ſuſcepiſſe, perhibet: nulloque jure ipſum fundamenta Ordinis Monaſtici ex inſtituto Chriſti repetiiſſe. Objicit ſibi porro objectionem de Therapevtis, a *Philone Judæo* enarratis, hic ſupra omiſſis. Exponit Eſſenorum geminam ſpeciem Ven. Autor. *Hieronymus, Epiphanius,* & *Euſebius*, per Therapevtas minus recte Chriſtianos, a *Marco* ad vitam ſalubrem deductos, intellexerunt. *Petrus Damianus Epiſt.* 88 putat, *Philonem* edidiſſe librum illum de Therapevtis in laudem primorum Monachorum Chriſtianorum, ſeu Anachoretarum. Applaudit Autor, & Therapevtas habet pro Chriſtianis recens converſis, quibus ritus & conſuetudines adhæſerint Judaiſmi, ſiquidem Apoſtoli lychnum adhuc fumantem violenter exſtinguere noluerint. Sequitur objectio nova ex verbis *Hieronymi*, dicentis de *Paulo*: *quia & ipſe, ut eſſet virgo, non fuit imperii, ſed propriæ voluntatis*, Quomodo igitur caſtitatis votum eſt votum præcepti, ſi eſt res propriæ voluntatis? De non litigando, vel in jus eundo, Autor aliis videtur duriora præcepiſſe. Cuſtodia ſilentii ſeverior nonnullis videri poteſt. *Pulmentum* accipit Autor per pultem ex ervis, piſis, leguminibus, farre, & polenta, factam, id ægre ferentibus aliis. Sed locus *Stephani Tornacenſis* 1 *Epiſt. ad Rom. Pontif.* eſt ſatis clarus: *Tanta in cibo parſimonia, ut duobus tantum pulmentis utantur, quæ aut ager ex leguminibus, aut ex oleribus hortus affert.* Objecerunt alii, Autorem a *Baſilio* adhibitam vocem Τεμαχὺς ſiniſtre per *piſcem ſale conditum* tranſtuliſſe, interpretandam potius per *fruſtum carnis ſale conſperſa.* Monachi Orienta-

Marginal notes: Pag. 54 ſeq. — 62 ſeq. — 170 ſeq. — 173. — 176 ſeq.

les

Digitized by Google

les, ſtrictioris diſciplinæ, a carne abſtinent, exceptis piſcibus. Contendit Autor ad quæſtionem, quæ circa labores, manuum
Pag. 189. opera fieri ſolitos, verſatur. Monachos ab iis prohibuerunt *Maſſaliani*; *Wicleſitæ* negarunt, licere Monachis recipere eleemoſynas fidelium, ſiquidem, victum labore quærere, iis ſit integrum, qui otia obtentu pietatis ſectentur. Ut Monachi dictum Paulinum *2 Theſſ. III, 10,* eliderent quondam, cibo iis eſſe abſtinendum, qui vacant a labore & opere ſpirituali, docuerunt. At *Auguſtinus* de *Opere Monachorum* & Canones 51, 52, 53, Concilii Carthaginenſis, A. 398 coacti, contrarium tenuere. In hoc momento excutiendo ac deter-
193 ſeq. minando Autor eſt admodum multus. Deſcendit porro idem ad ſtudia Monachorum, & inquirit, num ea in locum laboris externi ſubſtituenda, & a ſingulis ſint excolenda. Id quidem hic negatur. En cauſas. Monachorum ſinguli ad literas
197 ſeq. excolendas ſunt parum idonei. Studia nec otium fugant, nec pugnam cupiditatum dominarum reprimunt. Major eſt numerus Monachorum indoctorum, quam doctrinis reconditis delectantium. Studiis exculti volunt maximi ab aliis fieri, unde paritas conſortionis & animi debita ſubmiſſio periclitantur. Studiorum amor imminet commerciis ſermonum, ideoque ſancto adverſatur ſilentio. Objiciunt alii, cœnobia prima Africana exſtitiſſe literarum ſeminaria, & collegia hominum, ad docendum alios præparandorum. Verum hæc lis inter *Mabillonianos* & *Anti-Mabillonianos* varia fortuna in hunc
205 ſeq. diem diſceptata fuit. Anachoretæ Ægypti & Aſiatici labore manuum opus eſſe cenſuerunt, ac opinionem ſuam ſuopte exemplo illuſtrarunt. *S. Benedictus* in regula: *Tunc vere*
208. *Monachi ſunt, ſi labore manuum ſuarum vivunt.* Tres eo fine proferuntur rationes, a fugiendo otio, imitatione Apoſtolorum, & exemplis Patrum, deſumtæ. Speciatim iis nonnulla opponit Autor, qui ſtudiorum culturam labori manuum ſub-
211 ſeq. ſtituunt. At quid fiet, Monachis ad teterrimam literarum ignorantiam prolapſis? Enarrantur exempla Monachorum, qui doctrinam eximiam ad propugnandas ſententias, a religio-

ne

ne dominante diſſidentes, tranſtulerunt. *S. Bernhardus* ſtudia Monachis diſſuaſit. Studiorum cultura, judice Noſtro, Seculo VIII & IX in cauſa fuit, cur diſciplina monaſtica tantopere fuerit peſſumdata. Additur dictum *Rom. I, 21, 22*, quod *Paulus* de Monachis, ſtudia tractantibus, certe non enuntiavit. Inprimis literaturæ & doctrinarum ſtudiis id vitio vertitur, quod pietatem exſtinguant, demiſſionem animi deſtruant, ordinique ſaluberrimo ſint noxæ. Autor Sermonis XXIII ad fratres in eremo, qui inter *Auguſtini* comparet Opera, jubet Monachos non ſolum carnem affligere, ſed etiam mundum contemnere, peccata deflere, & *cathedram doctoris non appetere*. Omittimus teſtimonia complura, quæ apud Autorem ipſum data opera proferuntur, & argumentis Oratore non indignis exornantur. Nec tamen metuendum putat Autor, ne notitia rerum ſacrarum & neceſſariarum, neglecto ſtudiorum circulo, labaſcant, ſilentio ſacro & fuga rerum externarum a muniis Eccleſiaſticis uni & alteri Monachorum demandandis non abhorrente. Veteres potius ſanxerunt, ut Monachi curam Eccleſiaſtis propriam evitent, indicio Canonis 4 Concilii Chalcedonenſis A. 451. Sic rationes ſuas ſubducit Autor Venerabilis, ſic cauſam ſuam perorat. Quomodo objectiones ceteras, ordine enarratas, idem expediat, ex hiſce ſpeciminibus quodammodo colligere valemus. An vero Reverendis Patribus Benedictinis, Dominicanis, & Jeſuitis, qui ſtudiorum gloria excellunt, hæc ad palatum ſint futura, id ipſum forte tempus, rerum magiſter, luculente edocebit. Autoris certe exemplum ſi Monachi ſequantur, a literis optimis large imbibendis, & pulchre excolendis, non erunt alieni.

Pag. 215. — 217. — 222 ſeq.

COMMENTARIUS HISTORICUS IN ROmanum Breviarium, quo ſimul aliarum ſingularium Eccleſiarum, præcipue Breviarii Pariſienſis, ritus explicantur; Autore J. GRANCOLAS, Theol. in Facult. Pariſ. Doctore; nunc vero e Gallico Latine redditus.

Cc Vene-

Digitized by Google

Venetiis, apud Sebaſtianum Coleti, 1734, 4.
Alph. 2 pl. 2.

Autor Ven. voluminibus ſuis de *veteribus Liturgiis* comprehendit diſquiſitiones atque origines precum, rituum, & cerimoniarum, quæ in ſacrificio Miſſæ obſervari perhibentur. In præſens contribules ad divinum Officium pie ſolideque recitandum excitare conatur. Egit præcipue de Romano Breviario, quod per univerſam late Eccleſiam Pontificiorum ab omnibus paſſim eſt receptum. Nihilo ſecius Eccleſiarum quamplurium mores peculiares recenſere haud omiſit. Præmittitur tractationi Index Alphabeticus & Chronologicus, ſiſtens Autores præcipuos, in ipſo Opere laudatos. Notamus ea, quæ de *Micrologo* afferuntur: *Difficile eſt dicere, ſitne hoc Autoris, vel Operis, nomen, propter ejus brevitatem.* Nihilo minus *p. 5* contendit Autor, Micrologum circa annum 1180 floruiſſe, & cenſet porro *p. 7*, eum fuiſſe Pontificis *Gregorii VII contemporaneum.* Viderint alii, quomodo hæc ſint concilianda. Opus ipſum in libros duos fuit diſtributum. Prior exhibet generalia; poſterior ſpecialia Breviarii ad ſingulos dies, eosque dominicos, feriales, & feſtos, capita complectitur. *Breviarium* eſt complexus precum ac lectionum, ſtatis horis in dies a religioſis recitandarum. Formulas precum & peculiarium cultus divini cerimoniarum Autor ab E-
Pag. 1 ſeq. *nocho* repetit ob locum *Gen. IV, 26.* At de *Enoſo* ibi eſt ſermo, & Hebraica verba potius originem impietatis indicant, quam formularum ejusmodi. Quis enim dicet, *Enoſi* demum ætate preces ad Deum directas & pronuntiatas eſſe? Primi Chriſtiani ante lucem convenerunt, præcipue die ſolis. Sen-
3. ſim horæ, tertia, ſexta, & nona, precibus dicatæ. An Therapevtæ *Philonis* fuerint Monachi Chriſtiani, Autor definire non audet. *Eſſæorum* ſectam, Chriſtianorum doctrinæ faven-
4. tiorem, per Therapevtas alii probabilius intelligunt. *Canoni-*
ci dicti illi, qui voverant arctiorem obſervationem regularum
5. Canonicarum. Romanum Breviarium ſic appellatum, eo quod Franciſcani Patres in Papæ ſacello id recitabant, a *Sixto V* ad-

Digitized by Google

V adoptatum, atque a *Pio V* & *Clemente VIII*, ut ab omnibus ſervaretur Eccleſiis Pontificiis, propoſitum. Conſtat id Pſalmis, Lectionibus e S. Literis, & Patrum homiliis, Hiſtoriis Sanctorum, Antiphonis, Reſponſoriis, & Orationibus, Hymniſque. Dicitur divinum Officium opus Dei, collecta, agenda, miſſa, curſuſque paſſim. Eminet Romanum, a Regibus & doctoribus varie dilaudatum. Notiſſima ſunt præterea Gallicanum, Mediolanenſe, Hiſpanicum, Mozarabicum, & Græcorum. Concilio Vaſionenſi A. 529 decretum, ut mos Romanus obtineat, ſigillatim recitetur Papæ nomen, & poſt *Gloria Patri* ob Arianos ſubjungatur *ſicut erat*. *Damaſus*, Papa, ei Græcos quoſdam mores inſeruit. In Capitularibus Franciſcis A. 806 ſtatutum, ut Officium ſecundum ordinem & morem Romanæ Eccleſiæ fiat. *Arnalarius* Seculo IX Commentarios conſcripſit in Breviarium Romanum. *Gregorius VII* ei ultimam impoſuit manum. Tentatæ ſunt paſſim additiones, contradictiones, & emendationes. *S. Gregorius*, Papa, illud contraxit, unde genuina *Breviarii* orta appellatio. In Laterano Pontificum palatio id magis fuit contractum, ad negotia alia, quibus vacandum, expedienda. *Haymo*, Franciſcanorum Generalis, Officium Romanum ad eam pæne formam, quæ hodie viget, perduxit; a *Gregorio IX* confirmatam. *Nicolaus III* eo fine omnia reliqua antiphonaria, lectionaria, & gradualia, tolli juſſit, teſte *Radulpho*. Sola *S. Petri* Eccleſia ſervat partem Officii veteris. Breviarium, a Franciſcanis contractum, denuo contraxit *Franciſcus Quignonius*, Cardinalis S. Crucis, juſſu *Clementis VII* & *Pauli III*, quorum poſteriori illud dicavit A. 1550. *Pius V* novum Romanum Breviarium juſſit elaborari, & *Quignoniani* uſum interdixit. Sanctorum memoriam in hiſce Breviariis frequentem pepuliſſe Deum, vetus querela eſt, & nominatim *Nicolai de Clemangis*. A nono inde Seculo correctioni Breviariorum operam diverſi navarunt. Patres Concilii Tridentini eis, quibus Catechiſmi Romani conficiendi cura demandata erat, præceperunt, ut Miſſale & Breviarium æque reformarent, eventu irrito. *Pius V* præſtitit, quantum potuit. Patres reliqui diſſentiunt in hunc diem. Autoritas

Pag. 6. 7. 8. 9. 11.

Digitized by Google

Breviarii Romani non tanti pretii viſa fuit *Gallonio*, Oratorii
Romani Presbytero, qui A. 1605 deceſſit. Ipſe enim in ſuo
de Monachatu *S. Gregorii* Tractatu, reſpondens *Conſtantino*,
Caſſinati Monacho, qui Pontificis illius Monachatum ex Bre-
viarii Romani lectionibus ſtabilitum ibat, ait, *Romanam Ec-*
cleſiam non omnia, quæ in ejus Breviario exſtant, pro divi-
nis & canonicis reputare, ſed lectiones duntaxat, e ſacris li-
teris depromtas. Addit, id non omnino ab omnibus mendis
immune eſſe, cum a Sixto V *&* Clemente VIII *ſit correctum.*
Miramur proinde, eſſe in Hiſpania & Luſitania, qui inde *Ja-*
cobi Majoris profectionem Hiſpanicam comprobent. Quæ-
nam fuerit vetus divini Officii recitandi ratio, varie ediſſeri-
tur. *Walafridus Strabo, Durandus*, aliique, tria diſtinguunt
Pag. 12. mutationum intervalla. Obmoliuntur alii nonnulla. Diffe-
runtur hic varia, quibus additiones & mutationes illæ illu-
14. ſtrantur. *Urbanus VIII* A. 1631 denuo Breviarium reforma-
vit. Sequentes Pontifices inſeruerunt Sanctos novos. Diſ-
putat Autor, *Pium V* alia Breviaria, recepta alibi, non abro-
16. gaſſe. Therapeutas *Philonis* Noſter pro ſpecie Judæorum Æ-
17 ſeq. gyptiorum ſobrie habet. De Officio Orientalium, & præcipue
Græcorum, non contemnenda adjunguntur, nec non de Me-
diolanenſi, Hiſpanico, Anglico, Germanico veteri, quod *Bo-*
26 ſeq. *nifacius*, Epiſcopus Moguntinus, Roma acceptum, in Germa-
niam invexit, porro de Gallicano, & inprimis Pariſienſi, ſecun-
dum quod certus pſalmorum numerus in horas ſingulas alter-
nis choris decantatus fuit, qui mos eſt retentus in Ordine Bla-
ſiano a reformatoribus Proteſtantium per Saxoniam. Pergit
Noſter ad Breviarium monaſticum vetus, reſpectu temporis &
36 ſeq. recitationum. Nihilo ſegnius propugnat eſſentialem divini
46 ſeq. Officii concordiam in tanta Breviariorum diverſitate. De iis,
qui ſecundum veteres canones lege Breviarii, vel recitan-
di, vel decantandi, vel audiendi, tenebantur, afferuntur ea, quæ
49 ſeq. doctrinam ſpirant non mediocrem. Cantus alternus ad imi-
53. tationem Seraphinorum conſtitutus dicitur. Organa pneuma-
55. tica jam a *Fortunato* in Vita *S. Germani* memorantur: elabo-
boratiora *Pipinus & Carolus M.* acceperunt Conſtantinopoli.

Per

Digitized by Google

Per duodecim priora Secula Officium fuit recitatum nudo capite. Eccleſiæ Toletanæ A. 1243 primum permiſit *Clemens III*, ut hieme tegere liceret caput per tempora Officii, excepto Evangelii & conſecrationis ſpatio. Pileolos rotundos vocabant *bireta*. Inde cucullus ad frigus arcendum conceſſus, cui nomen *capucii*, poſtea *armurii*, ſeu *almutii*. Cantus magiſtros primus in Gallia conſtituit Rex *Pipinus*. *Carolus M.* juſſit cantum ſervari Romanum. Muſicam e templis eliminaturi erant Patres Concilii Tridentini, ſed ob interceſſionem Imperatoris *Ferdinandi* Decretum fuit reſciſſum. De cantu ſacro intexuntur jucunda. De nocturnis vigiliis, horis Officii, ſigno convocandi Clericos ad templum, de Officio nocturno & matutino, de precibus peculiaribus, de origine precum, *Domine labia, Deus in adjutorium, gloria Patri, Amen, Alleluja*, de Hymnis, aliisque cognatis rebus, proferuntur haud proletaria. Symbolum *Athanaſianum* ab *Athanaſio* non eſt conditum. Completorii Autor *S. Benedictus* Abbas. Hinc deſcendit Noſter ad recenſenda dierum ſingularia officia divina, ſeu canonica, ad veſtes ſacras, ad caſuum practicorum deciſionem, ad diſciplinam Canonicorum, ad Canonico-Monachiſmum, quem affirmat & demonſtrat *p. 170 ſeq.* & ita librum primum claudit. Libro ſecundo partes Officii exponuntur per dies & feriales & feſtos totius anni, ſimulque ediſſeruntur ritus aliarum ſingularium Eccleſiarum, præcipue vero Breviarii Pariſienſis. Specialiora hæc ſunt, quam ut ex iis quidquam cum Lectore communicare valeamus. Dolendum, Operi non acceſſiſſe Indicem verborum perinde ac rerum, quod liber eo ornamento utique indiguiſſet. Ubique enim emicant & inſperguntur res & utiliſſimæ & jucundiſſimæ, ſæpiusque ſcitu admodum neceſſariæ, quales ſunt de novo igne paſchali, & benedictione cerei Paſchalis ac fontium, de Baptiſmi adminiſtratione, confirmatione, agnis Dei, ordinatione, & geſtamine brevium capillorum Romano, ad *1 Cor. XI, 14*, quod inſtitutum eſt, teſte *Plinio*, anno ab urbe condita 454, ac poſtea a barbaris populis immutatum.

Pag. 56. — 62 ſeq. — 107 ſeq. — 117. — 182 ſeq. — 316 ſeq. — 321 ſeq. — 356 ſeq.

Digitized by Google

Amalarius Lib. I de Eccl. Offic. Cap. 5. & *Hieronymus* in *Ezech. XLIV*, in barbaris & extraneis habent Laicos ipſos, qui longos geſtant capillos. Apoſtolicæ Conſtitutiones *Lib. I Cap. 3* hortantur omnes fideles, *ne capillum nutriant, nec ſint pexi, aut comati. Prudentius de Corona Hymn. 3* de *S. Cypriano* ad Chriſtum converſo: *Deflua cæſaries compeſcitur ad breves capillos.* Imperatorum quoque mos fuit, ad Seculum uſque XIII, breves alere capillos, uti de *Heraclio* & *Friderico Barbaroſſa* nominatim Scriptores perhibent, & de ceteris Sigilla docent.

Liegnitziſche Jahr-Bücher ꝛc.

h e

B. GEORGII THEBESII, J. U. D. NOTArii, *Syndici, & Scholæ Lignicenſis Præſidis, Annales Lignicenſes. Præfatus eſt, Vitam Autoris præmiſit, & Indicibus utiliſſimis inſtruxit* GODOFREDUS BALTHASAR SCHARFFIUS, A. M.

Jaurovix, typis Jo. Chriſtoph. Jungermanni, 1733, fol. Alph. 8 pl. 14½. Tabb. æn. 15.

Laudem ampliſſimam meretur S. Rev. *Scharffius*, Suidnicenſis Eccleſiæ Venerabilis Antiſtes, qui egregium hoc *Thebeſii* Opus, quod Ducatus Lignicenſis fata hiſtoriamque accurate diligenterque exponit, non ſolum in communem Reipublicæ utilitatem ex immeritis, quibus ſepultum jacuerat, tenebris in lucem omniumque conſpectum, nitidiſſimo veſtitum habitu, protraxit, verum etiam Præfatione & Vita *Thebeſii* auctius ornatiusque reddidit. Dignus omnino erat *Thebeſius* hoc pietatis, quod ipſi S. Rev. *Scharffius* præſtitit, officio, Vir doctrina ſingulari præditus, & pietate erga patriam nulli ſecundus. Patria *Thebeſio* obtigit Lignitium, urbs compluribus ornamentis illuſtris, in qua patre cognomine, Principalis Conſiſtorii Aſſeſſore, & Paſtore ad D. Petri & Pauli ædem vigilantiſſimo, matre *Hedwig Swedneria*, A. 1636 d. 13 Januar. in hanc lucem editus fuit. Prima literarum ele- Pag. 4

men-

Digitized by Google

menta, ductu & moderamine *Theophili Pitiſci*, Scholæ Lignicenſis Rectoris, didicit, & celerrimas in literis elegantioribus
progreſſiones fecit, ita, ut duodecennis puer venuſtiſſimum Pag. 5.
Carmen in matris dulciſſimæ obitum componeret. A. 1654 6.
Vitebergam commigravit, & conſiliis præceptisque *Godofredi Suevi, Ægidii Strauchii*, & *Auguſti Buchneri*, prudenter uſus, inſignem laborum improbe perlatorum fructum per-
cepit. Mox vero Argentoratum petiit, & in Hiſtoria literis- 7.
que amœnioribus *Bœclerum*, in Jurisprudentia *Jo. Ottonem Taborem*, *Jo. Frid. Deckherum*, & *Jo. Melchiorem Bitſchium*, duces ſelegit, & horis ſubciſivis Mathematicam ar-
tem ſedulo excoluit. A. 1659, conflictus moderatore *Deckhero*, 8.
(cujus nullam mentionem injicit S. Rev. *Scharffius*,) *de poſſeſſione creditoris in pignore* ſumma cum laude diſputavit, & anno inſequente, poſtquam *de Scopeliſmo* publice diſſeruerat, Jurium
Doctor renuntiatus fuit. Ab illo tempore recitationes in præ- 9.
cipuas Jurisprudentiæ & Philoſophiæ partes per aliquod tem-
pus inſtituit, &, ſalutata Lotharingia, Gallia, Anglia, & præci- 10.
puis Imperii Germanici urbibus, in patriam rediit, & A. 1664 Poligraphi munus in ſe ſuſcepit, illudque magna fide dexteritateque adminiſtravit. Inprimis Acta in accuratum ordinem, & quaſi in certos quosdam Indices, redegit, ut eo meliori uſui & ſibi, & Senatui, & poſteris, eſſent. Cujus indefeſſæ diligen-
tiæ A. 1667 optatiſſimum fructum tulit, quippe in Senatus 11.
ampliſſimum Ordinem allectus, & poſt quinquennium Syndici officio donatus, nec non, aliquot interjectis annis, Eccleſiæ D. Petro & Paulo ſacræ, & Scholæ Lignicenſi præfectus. Cum A. 1675 *Georgius Wilhelmus*, ultimus Lignicenſium, Brugenſium, & Wolawienſium Princeps, fatis concederet, & Ducatus illi hæreditario jure ad Imperatorem *Leopoldum* pervenirent, Ducatuum Capitanei & Proceres nullum grave arduumque negotium, niſi explorato *Thebeſii* con-
ſilio, ſuſceperunt. Quid? quod projectum in ſecuritatem 12.
eorum, qui Auguſtanæ Confeſſioni addicti ſunt, unus ſolus confecit *Thebeſius*, & A. 1676 ſolennem legationem cum aliis meritiſſimis viris ad Auguſtiſſimum Imperatorem obiit, & infini-

Digitized by Google

infinita ſingularis prudentiæ, pertinacis laboris, & mirificæ ta-
Pag. 13. citurnitatis, documenta edidit. Deum religioſiſſime coluit, li-
beros famuloſque ad veram pietatem ſectandam ſevere ad-
monuit, & de fide Chriſtianiſmoque diligentiſſime interro-
gavit, veritatis & juſtitiæ tenaciſſimus fuit, neque adulatione,
prece, aut pretio, ad injuſtum & impium facinus perpetrandum
unquam flecti potuit. Cum quidam munuſculum ipſi mi-
ſiſſet, ut patrocinium illius nanciſceretur, illud confeſtim re-
miſit ipſi, & hæc verba auro marmorique inſculpenda addidit:
Aurum nocere oculis, illos illæſos ſervare velle, ut juſtitiam eo
melius cognoſcere poſſet. Sententiam candide libereque dixit,
nulli turpiter adulatus eſt, & gravitatem oris cum mira comi-
tate temperavit. Strenuus conviviorum & voluptatum oſor
fuit. Raro, niſi Principum procerumque mandata id poſtula-
14. bant, convivia frequentavit. Domus ejus commune totius
civitatis & Ducatus oraculum fuit, ad quod omnes rebus du-
biis deſperatiſque confugiebant, & benigniter accepti, huma-
niterque dimiſſi, integritatem & apertum *Thebeſii* pectus ex-
16. quiſitiſſimis laudibus celebrabant. Amicitiam cum doctiſſi-
mis ſuæ ætatis viris, vel præſens, vel per literas, coluit. Erga
pauperes munificum & vere liberalem ſeſe exhibuit, & neminem
quemquam, ſortis aliqua acerbitate oppreſſum, ſine dono abire
paſſus eſt. Sigillatim Paſtorum relictis viduis & liberis beni-
gniſſime proſpexit, & civium liberis, qui opificio cuidam
addiſcendo deſtinati erant, *legitimæ nativitatis teſtimo-*
nium, rariſſimo exemplo, dignovero, quod alii judices
17. imitarentur, gratis dedit. Parcus temporis diſpenſator.
Prandium non ultra ſemihoram extendit, & tribus, vel qua-
tuor vicibus ab illo receſſit, & in Muſæum ſe recepit, resque
neceſſarias, quæ ipſi memoria ſuggeſſerat, confeſtim annota-
vit. Si ſolus cibum ſumeret, ſellam libris onuſtam ſecum
habuit. Imo libri, veri fidique amici, illum perpetuo, ſive
itinera capeſſeret, ſive in hortum ſuum exſpatiaretur, co-
18. mitabantur. Rerum naturalium apprime curioſus fuit, & in
19. horto ſuo herbarium vivum, Opus de juribus hortorum, &
20. Lexicon nobilium familiarum Sileſiæ, confecit. Uxorem A.

1661

1661 duxit *Annam Blandinam, Tobiæ Klugii*, Med. D. & Phyſici Lignicenſis, filiam, quod matrimonium & prole fœcundum, & indivulſo animorum conſortio fortunatiſſimum fuit. A. 1688 d. 16 Sept. apoplexia, quam nimio tabaci ſternutatorii, contra ſalutare Medici conſilium, uſu ſibi attraxerat, correptus, placidiſſima morte ad Superos evolavit. Neque tamen imparatum *Thebeſium* mors offenderat, qui perplurimis indiciis, ſe optime ſcire, non longe abeſſe horam illam fatalem atque decretoriam, ſignificaverat. Anno, priusquam moreretur, luridum hominis demortui caput in forma ſpeculi depingendum curaverat, & hanc Epigraphen adſcripſerat: Pag. 21.

Iſtius in ſpeculi ponantur imagine faſtus,
Nam faciem facies exhibet iſta tuam.

Hanc imaginem ſuper menſa, in qua ſtudiis operabatur, collocaverat, ut terrenis caducisque cogitationibus nunquam a cœleſtibus ſeſe abducere pateretur. Et, cum ultimum Calendarium A. 1687 ipſi offerretur, præclariſſimas meditationes oratione numeris adſtricta inſtituit, ſimulque illorum hominum ſtultitiam ſalſe notavit, qui ſibi cito nova quæque emunt, & nihilo minus neſciunt, an adhuc inter vivos futuri ſint primo poſterioris anni die. In Præfatione, Operi præmiſſa, jure conqueritur Cl. Editor, multa ſupereſſe ſolerti patriæ ſcrutatori, quibus Hiſtoria Naturalis, Civilis, Eccleſiaſtica, Literariaque Sileſiæ illuſtrari queat. Plures inde cauſas commemorat, cur nemo quisquam fere manus admoveat utili & difficili huic Operi. Plerisque tempus & ſumtus neceſſarios deeſſe ad perficienda cœpta ſua, officinas typographicas librariasque non ita comparatas eſſe in Sileſia ac alibi, ad Archiva & inde depromenda ſubſidia fide digna paucis patere viam, adeſſe inexſuperabilia impedimenta in regione in innumerabiles pæne ditiones diviſa, accedere temperamentum ſanguineo-melancholicum, Sileſiis tantum non proprium atque peculiare, quod illos magis ad jucundas, & ſua ſeſe delectantes varietate, ſcientias, utpote ad Poeſin & Oratoriam, excolendas, quam ad ejusmodi negotia, quæ miram diligentiam, ferream patientiam, & ſingularem conſtantiam, requirunt, ſuſcipienda 23.

Digitized by Google

impellit, lubentius ferre judicium Sileſios de aliorum laboribus, quam ut ipſi aliquid in chartam conjiciant, pauciſſimosque eruditos in Sileſia exiſtimare, pertinere ad Chriſtianæ charitatis regulas, alios quosque conſilii inopes juvare papyraceis ſuis divitiis. Sed fortaſſis nondum res deſperata conclamataque eſt, fortaſſis facilis hiſce nævis medela parata foret, ſi docti Viri, & patriæ amantes, Gallorum, Suecorum, Danorum, Ruſſorum, Luſitanorum, aliorumque, exemplum imitantes, Societatem quandam ad eruendas abditas & abſconditas Sileſiæ res inirent, labores pro cujusque occaſione, ſupellectile, ingenio, & viribus, inter ſe partirentur, aditum ad cimelia ſua Collegis ſuis concederent, quotannis ad minimum binis vicibus ſolennia quaſi comitia haberent, & provide caverent, ne poſt mortem ſuam Collectanea ſua in alienas, quam in Collegarum, manus pervenirent. Ita enim eventurum eſſe, non infeliciter ſperat Cl. Editor, ut Sileſia aliquando majorem lucem ſplendoremque ex improbis filiorum ſuorum laboribus nanciſcatur. Atque, ſi unus quisque Ducatus unum modo haberet *Thebeſium*, Hiſtoria Sileſiæ intra decem annorum ſpatium plane aliam, plane lætiorem, faciem haud dubie indueret. Is enim nihil omiſit, quod ad boni civis, bonique Hiſtorici, officium ulla ratione pertinere poteſt. Neque tamen ideo hoc *Thebeſii* Opus in perfectis abſolutisque ponendum eſt. Hoc enim nunquam in mentem venit *Thebeſio*. Nihil ille in Annales retulit, niſi quod ſine Hiſtoriæ connexione, & eorum, quæ dixerat, confirmatione abeſſe poterat, quod alii jam bene egregieque memoriæ poſteritatis prodiderant. Illa ſaltem Annalibus inſeruit, quæ alii ſilentio prætererunt, ea, quæ alii obſcure, mutile, erroneeque ſcripſerant, ſupplevit, illuſtravit, emendavit, corroboravit, & refutavit. Res vulgares & lippis tonſoribusque notas plane omiſit, ſexcentos & plures adhuc errores, quos Scriptores rerum Polonicarum, Bohemicarum, Saxonicarum, Brandenburgicarum, inprimis Sileſiacarum, in nominibus, annis, circumſtantiisque commiſerant, fortunata diligentia detexit, & in omnium lucem conſpectumque protulit. Quo magis dolendum fuiſſe ex vero

decer-

Digitized by Google

decernit S. Rev. Editor, quod Opus, quod viri doctiſſimi ſelectiſſimis elogiis certatim proſecuti ſunt, tam diu abditum atque reclusum delituerit, atque partim quorundam invidia, partim malæ conſcientiæ timore, ne plumas ſuas a corniculis illis, quæ iisdem ſeſe belle ornaverant, repeteret *Thebeſius* ex inferis quaſi reſuſcitatus, ex hominum memoria receſſerit. Poſt obitum quidem *Thebeſii Thilo*, Vir in rebus Sileſiacis mirifice verſatus, & cui in fine Operis hoc ſupremum pietatis officium haud obſcure commendavit Autor, in dias luminis auras emittere voluit hoſce Annales. Atque egregie expleviſſet Vir meritiſſimus communem ſpem exſpectationemque, niſi rationes ejus adverſæ fuiſſent promtæ ejus literas Sileſiæque Hiſtoriam juvandi voluntati. Operis præſtantiam quoque Generoſiſſ. *de Sommersberg*, & Conſultiſſ. *Baro* agnoverunt, ſed uterque fruſtra rogavit *Thebeſii* hæredes, uſque dum S. Rev. *Scharffio* iidem commendarent Operis curam, eundemque ad illud cum orbe literato communicandum magnopere atque vehementer ſolicitarent. Neque ille defuit obnixis hæredum precibus, ſed alacri animo opus aggreſſus, fauſto auſpicatoque omine ad lætiſſimum perduxit exitum. In *tres Partes* Opus partitus eſt *Thebeſius*. *Prima* res memoratu dignas urbis Lignicenſis complectitur; *ſecunda* Hiſtoriam Ducum Lignicenſium a *Piaſto* uſque ad *Ludomillam*, *Friderici I* viduam, nobis ante oculis ſiſtit; *tertia* vitam atque fata quatuor Ducum Lignicenſium *Friderici II*, *Friderici III*, *Henrici IX*, & *Friderici IV*, fuſe atque prolixe exponit. Unum reprehendi poteſt in hoc *Thebeſii* Opere, quod mordaci ſtilo perſtrinxerit alios, & præcipue in *Lucam*, qui ſub nomine *Lichtenſternii* latet, aliquanto vehementius inhumaniusque, ac par erat, invectus eſt. Verum hic quoque excuſandum cum S. Rev. Editore *Thebeſium* arbitramur. Tempori obſequebatur ille, quo in morem abierat, acriter perſtringere adverſarios ſuos, & quo nemo legere volebat librum, in quo non omnem bilem contra inimicos effuderat Scriptor. Præterea homo erat, nihilque humani a ſe alienum eſſe putabat, erat bonus cordatusque civis, qui ſupinam negligentiam, ſcele-

ſceleſta mendacia, & execranda convicia, quæ *Lichtenſternius* in optimum quemque, in patriam & magiſtratum, cui ipſe adſcriptus erat, improbe ſparſerat, æquo animo ferre nequibat. Plura non commemoramus de nobiliſſimo Opere, de quo vere ſancteque affirmamus, neminem carere poſſe illo, qui ad res Sileſiacas, Bohemicas, Polonicas, Brandenburgicasque, tractandas ſcribendasque animum mentemque transferre cupit.

JUS PUBLICUM ROMANUM, ID EST, Faſciculus III Arcanorum Status Reipublicæ Romanæ, exhibens nonnullos Antiquitatum Scriptores. Acceſſit Index rerum & verborum ſufficientiſſimus, curante JO. GODESCHALCO CLAUSINGIO, Conſil. Lippiaco, & J. U. D.

Lemgoviæ, ex officina Meyeriana, 1733, 8.
Alph. 2 pl. 10.

Continentur hoc Faſciculo Libri II *Joannis Sarii Zamoſcii de Senatu Romano*, *Joachimi Perionii* Libri III *de Romanorum & Græcorum Magiſtratibus*, *Wilhelmus Poſſardus de Athenienſium Magiſtratibus*, *Henricus Kitſchius de Magiſtratibus Reipublicæ Romanæ*, *Franciſci Hotomanni Legum Romanarum enumeratio ad literarum ordinem accommodata*, Ejusdem *de Magiſtratibus Romanis Deſcriptio*, nec non *de Senatu & inſignibus aliquot SCtis libellus*, ac *Deſcriptio JCtorum, qui a Pomponio enumerantur*, denique Ejusdem *Formularum antiquarum reliquiæ aliquot*. In Præfatione, quæ libello præfixa apparet, nonnulla de vitis Autorum proferuntur. *Zamoſcius* vir fuit bello & toga clariſſimus, graviſſimus Polonici regni Cancellarius, quem Editor ſuſpicatur *Caroli Sigonii* fuiſſe diſcipulum. Cetera ſunt minoris momenti. *Zamoſcius*, Senatores Romanos ex civibus duntaxat allegi potuiſſe, diverſis comprobat teſtimoniis. Municipes pari gaude-
Pag. 5 ſeq. bant juris facultate. Ab initio arbitrium legendi Senatores

penes

Digitized by Google

penes Reges erat. Lege Ovinia lectio Senatus Cenſoribus commiſſa. Libri *Feſti* a *Paulo* quodam invita Minerva in Pag. 9.
Compendium ſunt redacti. De Principibus Senatus afferuntur memoratu digna. Tribuni plebis lectionem Senatus im- 11, 16.
pedire poterant. Senatores allegendi erant famæ integræ, ex ordine equeſtri, poſt quoque e plebejo, ætatis legitimæ, licet literis accurate haud proditæ, nec non e quæſtura, qui cenſu ſatis magno eſſent, poſt hæc diminuto tamen, & mox aucto. Poſt *Syllæ* victoriam multi gregarii milites in Senatum adſciti. *Antonius* Commentariis *Cæſaris* multa ſuo arbitratu ad- 38.
ſcripſiſſe traditur, teſte *Appiano*. Senatores *abortivi* vocati, qui poſt necem *Cæſaris* per gratiam & præmium erant allecti. *C. Gracbus* judicia Senatui eripuit & ad equites tranſtu- 44.
lit. De legibus *Druſi*, *Liviis*, *Plotia*, *Syllæ*, Dictatoris, *Aurelia*, & *Pompeja*, afferuntur memoratu haud indigna. *Servilius Capio* communicavit Senatui judicia cum ordine equeſtri. Lege *Plotia* primum Senatores cum equitibus judicarunt. Tandem iterum ſoli Senatores judicarunt ex lege *Syllæ*, Dictatoris, eo quod equites *Cinnæ* faverant. Judices Senatores *Cicero* numerat 850 *Lib. VIII* ad *Atticum*. *Cæſar*, Dicta- 46.
tor, ad equites & Senatores judicia redegit, Tribunos ærarios ſuſtulit. *M. Antonius* ad duas decurias Senatorum & equitum tertiam Centurionum ac Manipulariorum legionis Alaudæ, & mox *Auguſtus* quartam ducenariorum, adjunxit. *Paulus Manutius* in Libro *de Legibus* hæc fuſius percenſuit. Quam vellemus, *Zamoſcium* ubique pronuntiatorum produxiſſe teſtes & autores! Senatoribus regendæ Provinciæ datæ. *Pompejus* eques præter conſuetudinem, annos natus 23, imperium & exercitum a *Sylla* datum ſuſcepit. *Auguſtus* Ægypto præfecit equitem, ne ea regio novis ſtuderet rebus. Sacerdotia 50.
ad homines nobiliſſimos, & fere Senatorii ordinis, delata. Senatoribus non licuit Italia egredi. Occaſus Reipublicæ indulſit majorem licentiam. Cenſu quoque certo æſtimabatur non ſemper eodem. Quæſtibus ea carere debuit. *Cicero* le- 53.
gem tulit, ut Senatoribus, ambitus damnatis, aqua & igni ad 56.
annos decem interdiceretur. Ipſi debebant ſuis ſumtibus mu-

 nire

nire vias, & natalem *Cæſaris* lauro coronati celebrare, nec libertinam ducere, nec gladiatorio munere depugnare. Hono-
Pag. 60 res & ornamenta Senatorum erant ſatis magna. Spectabant ſcenas in cavea; ſoli inibant epulas conviviorum publicorum, veſtiti erant tunica lati clavi, calceis peculiaribus gaudebant & lictorum comitatu, ii, qui Reipublicæ in legationibus operam
67. navabant, annulis aureis donati. Numerus Senatorum haud ſemper idem. Veteres vocati *Patres*, novi vero *conſcripti.*
72 ſeq. Poſtea utraque vox conjuncta diſcrimen ſuſtulit. Amittebatur dignitas ſenatoria ob turpe quodvis crimen, e. g. libidinoſæ ſuſpicionis, præteritione nominis a Cenſore facta ob cauſam ignominioſam. Delebatur macula reductione rei in Se-
82 ſeq. natum. In Senatum venire licuit etiam ſexagenariis, Quæſtoribus, Tribunis plebis, Præfecto urbi, aliisque honoratioribus, uti Flaminibus & Pontificibus, qui erant Senatores, prætextatis Senatorum filiis, duntaxat annum duodecimum transgreſſis, Dictatoribus, Prætoribus, Interregibus. De poteſtate convocandi Senatum, & modo convocandi, numero Senatorum præſentium legitimo, ad magnitudinem rerum definito, loco habendi Senatus auguſto, tempore convocandi, diebus comitialibus,
113 ſeq. i. e. iis, quibus in Comitio conveniebatur, de ritibus curiæ, auſpicatione poſt hoſtiæ immolationem, conſeſſu, ſubſelliis, ſella curuli, relatione Senatus, rogandis ſententiis, licentia præ-
136 ſeq. fandi aut interfandi a Conſule petenda, modo dicendi ſententias, more ſolvendi Senatum, de Senatusconſulto ſpeciatim, tacito & publico, ejusque cuſtodia apud Tribunos plebis & Ædiles, poſtea apud Quæſtores, imperante *Auguſto*, in ærario, de
158 ſeq. poteſtate Senatus Romani, & legatis, ex autoritate Senatus miſſis, de ſtipendiis exercitus, & triumpho, eumque præcedente ſupplicationum ritu, eruditiſſime ſolideque *Zamoſcius* diſſerit. Nullus Romæ Deus fuit cultus, niſi qui Senatusconſulto adſcitus. Senatus tamen non poterat populi judicium, & rogationes, a populo acceptas, niſi modis quatuor, reſcindere, nec de civi-
163. bus quidquam injuſſu populi agere licebat. Nemo legibus niſi per populum ſolvebatur, antiquo jure, quod tamen ad ordinem quoque ſuum poſtea tranſtulerunt Senatores. Senatus

creare

Digitized by Google

creare non potuit magiſtratus, aut de bello ac pace ſtatuere. Promiſit Autor de hiſce quoque tractationem ſingularem. *Joachimi Perionii de Romanorum & Græcorum Magiſtratibus Libri tres* haud æque lucernam olent. Edidit eos primo *Franciſcus Perionius, Joachimi* ex fratre nepos, Lutetiæ A. 1559, patruique famam adverſus calumniatorem Italum in præfixa Dedicationis formula vindicavit. In vocabulis detexendis, & magiſtratuum diviſionibus perluſtrandis, majorem *Perionius* poſuit diligentiam, quam in rebus ipſis exponendis. Multa paſſim inferta conſpiciuntur, quæ ad ſummam propoſiti minus pertinent. *Ariſtotelis* laudandi occaſio ſæpius præpoſtere captata, cujus verba non ubique feliciter in Latinum converſa apparent. *Incola* differebat a *cive* penes Romanos. Liberis Romanorum inſigne erat prætextæ, & bullæ a collo dependentis, dictæ a figura bullæ aqueæ. Hæc *Plutarchus* in *Romulo*. *Perionius* bullam illam putat dictam ex Græca voce *βȣλὴ, conſilium*, quia bulla eam corporis partem contigerit, id eſt, pectus, in quo naturale maneat conſilium. Specimen audaciæ criticæ! Si *Boſſii, Potteri, Cragii*, ac *Nieupoortii*, libellos, de antiquitatibus conſcriptos, conſuluerimus, *Perionio* haud ægre carere licebit. Succedit *Wilhelmi Poſſardi* liber de *Athenienſium Magiſtratibus, eorumque cum Romanis, Gallis, Venetis, & Turcis, comparatione.* Suadet *Plato*, ut optima quæque ſingularum Rerumpublicarum colligantur inſtituta ad formandam exinde præſtantiſſimam regendi ſpeciem. Hac ratione impulſus Autor, hoc concinnavit Opuſculum. Turcicos immiſcuit ritus, oſtenſurus, quantum inter Turcos fuiſſet verſatus. Promiſſa dat de libello ſuo grandia, *Per me*, inquiens, *præſtantiſſimam Reipublicæ ſpeciem, Operis præſtantiſſimi*, ab *Ariſtotele* conſcripti deperditique, *inſtaurationem accipient literarum Græcarum candidati, quibus iſta ſcribimus.* Videtur Autor eum *Ariſtotelis* Librum Politicum in deperditis numerare, quem edidit ſuoque Autori vindicavit *Hermannus Conringius*. Turcica & Attica ſatis inter ſeſe differre, quis negat? Poterant utraque ſcribi ſeparate. *Henrici Kitſchii*, Medici quondam Lipſienſis, liber Lipſiæ primum A. 1607

Pag. 164.

211, 216.

1607 in lucem prodiit. In eo habentur multa lubrica & dubia, nonnulla falſa. Calceus Senatorum Romanorum lunatus *p. 456* dicitur ideo imagine Lunæ inſignitus, ut ſignificaret vetuſtatis originem, nempe ab Evandro & Arcadibus, qui ſe ante lunam natos prædicarant. *Franciſcus Hotomannus* leges Romanas ad literarum ordinem enumeravit, & diligentiam adhibuit non contemnendam, conſultis ubique fontibus debitis. Eodem ordine Alphabetico idem *Hotomannus* Magiſtratuum Romanorum edidit deſcriptionem. Ejusdem ſubnectuntur Obſervationes de Senatu, & inſignibus aliquot Senatusconſultis. In ejusdem Deſcriptione Jureconſultorum, qui a *Pomponio* enumerantur, conciſo exponuntur *P. Papyrius, App. Claudius, Hermodorus Epheſius, App. Claudius Cæcus, Cn. Flavius, P. Sempronius Sophus, T. Coruncanius, Q. Fabius, S. Ælius Paitus Catus, P. Ælius Patus, P. Atilius, P. Cornelius Scipio Naſica, M. Porcius Cato,* pater & filius, *P. Mutius Scævola, M. Junius Brutus, M. Manilius, P. Rutilius Rufus, Cn. Verginius, Q. Ælius Tubero, Sex. Pompejus, L. Cælius Antipater, P. Licinius Craſſus Mutianus, Q. Mutius Scævola, C. Aquilius Gallus, L. Lucilius Balbus, C. Juventius, Ser. Sulpicius, P. Alfenus Varus, A. Ofilius, T. Caſius, Aufidius Tucca, Aufidius Namuſa, Fl. Priſcus, C. Atejus Pacuvius, Labeo Antiſtius Cinna, Publicius Gellius, C. Trebatius, Ciceroni* familiariſſimus, *L. Cervidius Scævola, Æmilius Papinianus, Fabius Sabinus,* pater & filius, *Domitius Ulpianus, Julius Paulus, Herennius Modeſtinus. Hotomanni* formulæ antiquæ aliquot juridicæ, ſeu ſolennium verborum conceptiones, agmen Collectionis claudunt, ordini Alphabetico adſtrictæ. *Zamoſcii & Hotomanni* Opuſculis omnino primas deferre oportet. Uſum Collectionis adjuvat ſubjectus *rerum & verborum Index,* diligentiam redolens ſingularem.

DISCURSUS DE SUCCESSIONE FOEminea in Regna & Provincias Auſtriacas, occaſione

San-

Sanctionis Pragmaticæ publicatus, adjecta ipſa Sanctione & Privilegio FRIDERICI I.

Absque mentione loci & Typographi, 1733, 4. Plag. 7.

Quem in ſcenam hic producimus paucarum plagularum libellum, mole ſua licet exiguum, argumenti tamen dignitate, atque elegantia ſcripturæ, præſtantiſſimum, religioni fere nobis duximus, absque omni noſtra commendatione prætermittere. Arduum nobis non fuit, locum, ubi lucem adſpexerit, Autoremque ejus, detegere, cum, illum Jenam eſſe, habeamus pro explorato, hic vero ex allegato ſine Autoris nomine Syntagmate J. P. tanquam ſuo, cuivis pateat, ut adeo brevis hæc Diſſertatio, præter modo memorata, & ab Autoris celebritate nobis inprimis videatur commendanda. Abſolvitur autem omnis illa Paragraphis XXV, in quibus ſecundum ordinem Provinciarum, poteſtati Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ ſubjectarum, ex Privilegiis Imperatorum, & autoritate Scriptorum fide digniſſimorum, aliisque monumentis antiquis, docetur, fœmineam ſucceſſionem in terris illis omnibus ac ſingulis ab omni tempore obtinuiſſe. Sat gravibus inde firmisque argumentis refellitur §. III Autor quidam Gallus, *Chavignius*, qui haud ita pridem in libro, cujus rubrum, *Reflexions d'un Patriote Allemand impartial ſur la Demande de la Garantie de la Pragmatique Imperiale*, Privilegio, a *Friderico I*, Imperatore, Sereniſſ. Auſtriacæ Domui conceſſo, juſtos non minus natales, ac noſtris temporibus vim ſuam, abjudicaverat atque autoritatem. Continuatur hæc deinde ejusdem Autoris Galli refutatio §. XXII, ubi, fœminas Auſtriacas ob Electoratum, in quem ſucceſſio fœminea non cadat, a ſucceſſione in regno Bohemiæ excludi non poſſe, ſolide contra illum evincitur. Coronidis tandem loco Diſſertationi annexum eſt *Friderici I*, Imperatoris, privilegium, quo, tanquam firmiſſimo fundamento, omnes fere Auſtriacorum nituntur prærogativæ, nec non Auguſtiſſimi Imperatoris, *Caroli VI*, Sanctio Pragmatica, quæ quidem ipſa Diſſertationi præbuerat occaſionem.

Digitized by Google

EDUARDI CORSINI INSTITUTIONES Philoſophicæ ac Mathematicæ, ad uſum Scholarum piarum.

Tomus I & II.

Florentiæ, typis Bernardi Paperini, 1731 & 1732, 8.
Alph. 3 pl. 12, I abb. æn. 13.

Cl. Autor, fieri non poſſe, judicans, ut in quavis una Philoſophorum ſecta omnis veritas contineatur, exemplo veterum Academicorum, eorumque, qui hodie eclectici vocantur, illuſtriora quæque cum antiquorum, tum juniorum, placita, accurato ordine, ſingulari rerum delectu, cultoque & proprio ſermone, Philoſophiæ ſtudioſis tradere inſtituit. Hujus Operis admodum probandi *duæ* nuper *Partes* in lucem prodierunt: quarum altera Logicam & Inſtitutiones Mathematicas, altera Phyſicam generalem, complectitur. Præmiſſa eſt in univerſam Philoſophiam luculenta Præfatio, ubi de nomine, origine, incremento, partibus, præſtantia, & methodo Philoſophiæ, inprimis vero de ipſis Philoſophis, eorumque ſectis & ſucceſſionibus, tractatur: præterea que etiam ſingulares hujus generis Præfationes ſingulis ſunt adjectæ, diſciplinis, hiſtoriam earum, conſtitutionemque, & diviſionem, exponentes. In Mathematicis Inſtitutionibus non modo *Euclidis* propoſitiones meliori ordine digeſtæ, accuratisque & partim novis demonſtrationibus comprobatæ, ſub finem vero, ſine demonſtrationibus, ſecundum ipſum ordinem *Euclidis*, repetitæ, & certis numeris ad priores relatæ, ſed & complures ex *Archimede*, *Apollonio*, & aliis, cum antiquis, tum recentioribus Geometris ſelectæ, aſſeruntur. In Phyſices Autor ampliorem exſpatiandi campum nactus, de principiis corporum, quæ in metaphyſica, mechanica, & ſenſibilia, diſtinguit, de generatione, cauſis, proprietatibus, & qualitatibus eorundem, ac de plerisque huc pertinentibus controverſiis, ita diſſerit, ut omnium fere Philoſophorum placita perſpicue & ſuccincte explicet, argumentisque melioribus firmet, modo judicium interponens

nens ſuum, modo nihil definiens. Non opus eſſe videtur, ut de ſingulis quatuor Tractatibus, in quos omnem Phyſicam generalem diſtribuit, ſeparatim dicamus. De tertio ſaltim commemorandum eſt, in eo agi de proprietatibus corporum, de extenſione & diviſibilitate, de tempore & loco, de motu, ejusque continuatione, acceleratione & reflexione, de æquilibrio gravium, cum ſolidorum, tum fluidorum, atque adeo de tota Statice & Hydroſtatice, itemque de effectibus, qui ab aeris gravitate dependent. Jam, quod ad Partes reliquas harum Inſtitutionum Philoſophicarum attinet, quas in poſterum ſe editurum Doctiſſ. Autor pollicetur, eæ quatuor erunt numero, & de hujusmodi tractabunt argumentis: de cœlo & mundo, ſive de corporibus inanimitatis; de anima; de doctrina morum; ac denique de Metaphyſica, & Theologia pagana.

OBSERVATIO SOLARIS DELIQUII, celebrati d. 25 Septembr. A. 1726, habita Ulyſſipone in Obſervatorio Regii Palatii a P. JO. BAPTISTA CARBONE, Societatis Jeſu.

Cœlo, præter ſpem, clariſſimo Deliquium hoc Ulyſſipone conſpeximus, ejusque finem tantum non vidimus; monte ſiquidem interjecto, delituit Sol uno circiter minuto temporis, antequam plene reſtitueretur. Ad id ego obſervandum teleſcopio uſus ſum pedum 8 Pariſinorum, quod micrometro inſtruxeram accuratiſſime elaborato. Nonnulla tamen obſervanti acceſſerunt incommoda, quibus præpedientibus, macularum Solarium (quamplures eo die videbantur in Sole) Immerſiones atque Emerſiones, quin & phaſes aliquot digitorum, inveſtigare, aut opportune annotare, non licuit. Quas tamen obſervare datum eſt, eas ſane ſenſibili errore carere autumo, tum quod in digitis Solaribus recte dimetiendis nullam prætermiſerim diligentiam, tum quod correctionem temporis (cui potiſſimum innititur hujusmodi Obſervationum veritas)

repetitis eo die Obſervationibus, accuratiſſime inveſtigaverim. Ne vero ſuo careat teſtimonio prædicta correctio, duas hic apponam altitudines Solis, quarum alteram ante eclipſeos initium, alteram ſub ejus finem, Quadrante Aſtronomico trium pedum Pariſinorum, deprehendi; & utraque ſane Obſervationi Meridianæ conſentit, ejusdemque defectus horologium arguit.

	h.	'	''
In Meridie vero, ſeu Apparenti, indicabit horologium.	11	58	34
Nempe deficiebat a tempore vero		1	26
	°	'	''
A Meridie; Altitudo vera centri Solis	28	53	45
Ejusdem Declinatio Auſtralis		53	18
Altitudo Poli, ex pluribus Obſervationibus, certa, ſaltem quoad minuta prima	38	42	0
Quibus datis, invenitur per Trigonometriam arcus diſtantiæ Solis a Meridiano	50	49	36
	h.	'	''
Qui, ſi in tempus convertatur, dat	3	23	18
Indicabat vero horologium	3	21	48
Ergo a tempore vero deficiebat		1	30
	°	'	''
Iterum, Altitudo vera centri Solis	4	52	54
Ejusdem Declinatio Auſtralis		55	24
Altitudo Poli, ut ſupra	38	42	0
Ex quibus denuo per Trigonometriam infertur arcus diſtantiæ Solis a Meridiano	82	59	40
	h.	'	''
Qui in tempus converſus, dat	5	31	59
Indicabat vero horologium	5	30	26
ac proinde a tempore vero deficiebat		1	33

Hanc igitur æquationem tempori horologii prudens addidi, quo fieret tempus verum, ſeu Apparens correctum, eoque uſus ſum in ſequentibus Obſervationibus.

Incipit

	Temp.	*Ver.*	
	H.	'	"
Incipit limbus Lunæ limbum Solarem perſtringere. *dub.*	3	59	50
I. Digitus latet	4	5	10
II. Digitus	4	10	45
III. Digitus	4	16	55
Dimidium quarti	4	20	14
IV. Digitus	4	23	48
V. Digitus	4	31	5
Dimidium ſexti	4	34	51
VI. Digitus	4	38	57
VII. Digitus	4	47	57
Dimidium octavi	4	54	59
Maximæ obſcurationis tempus, quantum ex reliquis phaſibus colligi poteſt	4	58	30
Ejusdem vero Quantitas, dig. 7 min. 45 nempe revolutiones cochleæ 11 & $\frac{38}{60}$, quarum 18 integras præcontinebat Diameter Solis.			
Emerſio.			
Dimidium ſeptimi digiti latet	5	13	40
VI. Digitus	5	17	58
V. Digitus	5	25	58
Dimidium quinti	5	29	43
Dimidium quarti	5	36	49
III. Digitus	5	40	8
Dimidium tertii	5	43	14
II. Digitus	5	46	10
Dimidium ſecundi	5	48	58
I. Digitus	5	51	40
Limbus Solis inferior montem ſtringit.	5	52	42
Sol totus deliteſcit, adhuc deficiens min. circiter 12, nempe $\frac{1}{5}$ unius digiti.	5	55	27

 Alti-

	H.	'	"
Altitudo apparens montis, ſeu limbi ſuperioris Solis, 57' 30", quæ correcta, erit 34' 29"; ex his rurſus ſubtracta quantitate ſemidiametri Solaris 16' 4" remanebit, altitudo vera centri Solis, quando totus delituit 18' 25"; ex qua, reliquis etiam datis, infertur per Trigonometriam hora prædictæ altitudini reſpondens, nimirum	5	55	27
Occaſus Solis verus	5	57	1
Sed apparens, propter refractionem, circ.	6	0	0
Unde patet, finem Eclipſeos in noſtro Hemiſpehrio viſibilem fuiſſe; contigit enim, quantum ex prædictis colligi poteſt, circiter.	5	56	50

Nachrichten von allen Merckwürdigkeiten, ſo ſich in Kirchen- und Theologiſchen Sachen ſeit der Reformation zugetragen.

i. e.

ANNALES THEOLOGICO-ECCLESIASTICI, quibus, quicquid memoratu dignum in Eccleſiaſticis Theologicisque rebus inde a reſtitutis opera Lutheri doctrinis purioribus geſtum eſt, diligenter commemoratur; Autore M. MARTINO GRUHLICHIO, Concionatore veſpertino ad ædem S. Petro ſacram, quæ Fribergæ eſt.

Dresdæ & Lipſiæ, apud Jo. Chriſtoph. Zimmermanni hæredes, & Jo. Nicol. Gerlachium, 1734, 4.

Alph. 6 pl. 5.

Pl. Rev. *Grublichius*, cum per ſedecim annos horas, quas a munere ſacro habuit ſibi relictas, legendis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptoribus impendiſſet, ex iis, quæ notatu digna a tempore inſtauratæ per B. *Lutherum* doctrinæ exiſtimavit, in Collectanea ſua retuliſſet, gratum omnino opus iis, qui ampliores ſibi Bibliothecas comparare nequeunt, præſtitiſſe jure cenſendus eſt, quod in ampliſſimo Hiſtoriarum ad Eccleſiam ſpectantium campo a ſe obſervata in publicum prodi-

re

re juſſerit. Nam, quamvis, ut ipſe Cl. Autor in Præfatione non immerito monet, hac opera illi ſuperſedere nullo negotio poſſint, quibus ipſi fontes, unde hi hauſti ſunt Annales, ad manus quotidie ſunt, tamen vel his ipſis etiam non ingratum plane, aut inutilem, hunc Viri diligentiſſimi laborem exiſtimamus, propterea quod, quid ſingulis annis poſt repurgata ſacra in Eccleſia agitatum ſit, uno quaſi intuitu, nec id quidem multo labore, perluſtrare poſſunt, ſiquidem omnia, quæcunque ad faciem Eccleſiæ perſpiciendam quidquam faciunt, ſuo loco & anno diligentiſſime ſunt poſita, ut merito Annalium titulum præ ſe ferant. Placuit vero Cl. Autori exemplo Ven. & Cel. *Læſcheri* totum Opus in ætates viriles ita diſpeſcere, ut ſingulæ quadraginta circiter annos complecterentur. Neque præter rem exiſtimat, tanto temporis intervallo & hominum & rerum miram fieri commutationum. Itaque, quoniam Annales hi a tempore incipiunt divinæ veritatis per B. *Lutherum* inſtauratæ, Opus integrum ſua ſponte in *quinque* abiit *Sectiones*, ſive ætates viriles. *Prima* harum ætatum virilium comprehendit res notatu dignas, quæ ab A. 1517 uſque ad A. 1557 geſtæ ſunt in Eccleſia, quippe intra quod tempus B. *Lutherus* cum reliquis laborum ſociis, qui A. 1517 in flore ætatis virilis conſtituti fuerunt, pleriſque vivis omnino exceſſit. *Altera* incipit a rebus A. 1557 actis, & deſinit in A. 1596, in qua temporis intercapedine B. *Lutheri*, *Melanchthonis*, & aliorum, diſcipuli ſalutem Eccleſiæ propugnarunt. *Tertia* ſiſtit, quæ ab A. 1597 uſque ad A. 1637 acciderunt memorabilia, quo quidem temporis interjectu ii in Eccleſia Doctores floruerunt, qui, licet de primis purioris doctrinæ inſtauratoribus audiviſſent, minus tamen ipſos vel oculis ſuis viderant, vel ab eorum ore pependerant. *Quarta* a geſtis A. 1637 auſpicatur, & in factis A. 1676 finit. Nam horum annorum ſpatium magnum eorum tulit proventum, qui, quo minus inſtitutione primorum inſtauratorum, eorumque diſcipulorum, uſi fuerant, hoc magis fortiusque cauſam Dei egerunt, & cœleſtem veritatem contra ejus hoſtes defenderunt. *Quinta* denique ea, quæ intra A. 1677 & 1717 evenerunt, exhibet, adeoque

que illorum Virorum merita & ſcripta potiſſimum recenſet, qui ab iis, quos calamitates belli tricennalis, & afflictiones, Eccleſiæ tunc temporis imminentes, quaſi illuſtraverant, purioris doctrinæ profeſſionem acceperunt. Ipſum Opus, quo magis commodis Lectorum inſervire poſſet, duplici clauditur Indice, altero rerum in his Annalibus memorabilium, altero Autorum in hoc Opere memoratorum. Ceterum recte jam Cl. Autor ipſe in Præfatione prævidit, id eſſe Lectores inprimis ſuos deſideraturos, quod partim juſto fuerit nonnunquam brevior, partim vero quod Autores, unde ſingula fuere repetita, non ſint ſuo loco adducti. Quemadmodum vero in illo Chronologum, quem hic agere maluit, quam Hiſtoricum, unusquisque facile excuſabit, ſic huic malo, quod ſero demum non ſine pœnitendo animi dolore perſpexit, quodammodo mederi allaboravit, dum in Præfatione plerosque ac potiores, ex quibus ſuos collegit Annales, recenſuit ipſe Scriptores, quos in Collectaneis annotare antea præpoſtero tempori & labori parcendi ſtudio neglexerat. Nihilo tamen ſecius dubium nobis eſt nullum, quin hi Annales vel ideo ſuos fautores habituri ſint, quod vel repetendæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quæ exponit res poſt inſtauratam religionem puriorem geſtas, vel eidem ordine Chronologico augendæ continuandæque, inſerviant.

M. HARTWICI BAMBAMII, ECCLESIASTÆ Petro-Paul. Hamburg. Apparatus Enthymematico-Exegeticus, Obſervationes ſacras exquiſitiores comprehendens.

Hamburgi, 1726, 8.
Alph. 4 pl. 8.

Sicuti ſacrarum literarum ſtudioſis lectio Scripturæ S. tam Veteris, quam Novi, Teſtamenti ſatis commendari nequit, ita nihil magis e re ipſorum eſt, quam ejusmodi inſtitutio, quæ eo facit, ut verbum Dei ea lingua, qua ipſe nobiscum locutus eſt, bene intelligant, & ſenſum ejus recte ac certo percipiant.

Digitized by Google

cipiant. In eorum numerum merito collocatur & Apparatus hicce, qui Compendium præbet *Flacii* Clavis, *Glaſſii* Philologiæ S. paſſim hic emendatæ, & aliorum ſcriptorum, quæ nomine Hermenevticæ S. inſigniri ſolent. Si quis autem ſibi imaginetur, Pl. Rev. Autorem actum egiſſe, cum non deſint *Theologiæ Exegeticæ* Synopſes, is librum hunc omni rerum ſacrarum doctrina refertum ipſe legat; plane aliud uſus frequens eum docebit. Scilicet complures hic deprehendes Obſervationes ſacras, quæ perperam quæruntur in vulgaribus interpretandi Sripturam S. χειραγωγίαις, cum harum *Inſtitutionum* ſcopus id non poſtulet; quales ſunt, quæ *Parte I pag.197 & ſeq.* occurrunt. Excerpti ſunt ejusmodi floſculi ſumma diligentia ex ſcriptis Exegeticis tum Patrum primitivæ Eccleſiæ, *Chryſoſtomi*, *Hieronymi*, & aliorum, tum Theologorum antiquorum, *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Brentii*, *Schnepfii*, *Lyſeri*, *Chemnitii*, *Selnecceri*, *Ægidii Hunnii*, *Gerhardi*, & ceterorum, qui eadem, qua illi, ætate vixerunt: tum recentiorum, *Schmidii*, *Geieri*, *Carpzoviorum*, ut reliquos in hoc ſtudii genere verſatiſſimos taceamus; tum ex Codicibus MStis rariſſimis *Daſſovii*, *Lütkenii*, *Stolbergii*, *Grünebergii*, & aliorum, qui omnes diurna nocturnaque manu Pandectas ſummi Numinis verſarunt, & longo rerum uſu obſervarunt, quæ ſacrarum literarum ſtudioſis non parum conducunt. Equidem laudabile hoc foret ſtudium, ſi, qui ſe Miniſterio Eccleſiaſtico conſecrarunt, ipſimet Commentarios, quibus ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum explicata ſunt, præſtantiores legerent; verum enim vero non omnibus hic licitum eſt adire Corinthum: vel ipſa temporis ratio, dum vitam agunt Academicam, hunc ſuſcipere laborem prohibet. Quotusquisque *Glaſſium* a capite ad calcem perlegit? qui tamen tantopere nusquam non commendatur. Operam itaque illis præſtitit Rev. Autor laude omni majorem, dum talem iis ſuppeditavit *Apparatum Obſervationum Biblicarum*, quem maxima ſolertia multisque lucubrationibus collegit, quemque brevi temporis ſpatio perluſtrare poteſt Lector induſtrius. Habemus hic methodum certam, eruendi ſenſum vocum phraſiumque Codicis S. Hebræi ac

Græci, præcipue emphaſes eloquiorum Dei, quippe qui paucis multa dicendo ſapientiam ſuam nobis commendat. Exemplo ſunto, quæ *Parte I p. 503 ſeq. p. 566 ſeq.* & *Parte II p. 81 ſeq.* leguntur, nec non *Parte I p. 512*, ubi, quomodo ſtilus Vet. Teſtamenti ex ſcriptura Novi Teſtamenti explicandus ſit, ſolide oſtenditur. Habemus hic Synopſin antiquitatum ſacrarum, *Parte I p. 311* de calceis, *p. 314* de choreis & curribus, *p. 315* de conviviis, *p. 316* de capitis tonſura & ejus obvelatione, *p. 325* de lotione pedum, *p. 333* de unctione; & *Parte II p. 173* de Phariſæo apud ſe orante, de corrigiis calceamentorum ſolvendis, de calice tranſeunte, de die quietis, vulgo *Rüſtage*, qua occaſione nodus Gordius, quid ſibi velint verba *Joannis*: *Judæi nolebant ingredi prætorium*, dextre ſolutus eſt. Paucis etiam multæ & variæ Philologorum de Urim & Thummim ſententiæ *Parte I p. 22 ſeq.* compoſitæ ſunt. Habemus hic dubia Chronologiæ & Genealogiæ S. vexata, quæ plane & ſolide deciſa ſunt, *Parte I p. 134 ſeq. Parte II p. 208 ſeq.* ubi, quæ in Genealogia Chriſti difficilia dantur, paucis explanantur; nec non *p. 403 Sect. IV*, quæ canonum Harmonicorum, harmoniæ Evangeliſtarum inſervientium, decada complectitur; cujus rei exempla *Parte I p. 150* occurrunt. Vides hic, Lector, Pſeudo-Criticos, *Spinoſam, Hobbeſium, Rich. Simonium, Clericum*, & alios, ita confutatos, ut conſcientia dubia tranquille acquieſcere poſſit: *Parte I p. 7 & 170 ſeq.* & *Parte II* ſtatim ſub initio, ubi controverſiæ de variantibus lectionibus, diſtinctione textus in verſiculos, commata, cola, puncta, nec non de Helleniſmo, Barbariſmis & Solœciſmis, ſtilo Novi Teſtamenti male imputatis, breviter ac rationibus firmis deciſa ſunt. Miracula quoque *Moſis Parte I p. 9 ſeq.* uti Servatoris noſtri Chriſti & Apoſtolorum *Parte II p. 262 ſeq.* a Naturaliſtarum & Atheorum, ſigillatim *Wolſtoni*, calumniis dextre aſſerta ſunt & vindicata; qua occaſione doctrina de miraculis illuſtratur utiliſſimis ſane obſervationibus. Neque Pl. Rev. Autor jure accuſari poteſt, ac ſi operam ſuam impenderit tantum ſenſui Scripturæ S. eruendo; omnia hic ad utilitatem ſuam relata ſunt. Doctrina fidei novis ſubinde argumentis confirmatur; unde *Theologia*

logia Hiobica Parte I p. 349 ſeq. Prophetica p. 653 ſeq. Apoſtolica Parte II p. 431 ſeq. ex ipſis Iſraelis fontibus limpidiſſimis hauſtæ, comparent. Adverſariis doctrinæ Evangelicæ puræ, tam veteribus, quam recentioribus, os obturatur, uti vel ex *Parte I p. 219 ſeq. p. 408 & 412,* & ex *Parte II p. 533 ſeq.* patet. Impii & ſceleribus dediti ira Dei vindiciis ardente & ſuppliciis ejus horrendis terrentur; pii contra ad virtutis ſtudium ſtrenue excitantur *Parte I p. 256, Parte II p. 476, 549,* & aliis locis frequentiſſime. Miſeris & triſtibus ſolatiorum fontes monſtrantur & aperiuntur, atque ad votum omnes refocillantur *Parte I p. 256, Parte II p. 476 & 549,* & paſſim alibi. Ordo Obſervationum harum ſacrarum naturalis eſt. Diſſilit Apparatus hicce integer ſua ſponte in *duas Partes*, pro duplici Veteris & Novi Fœderis ratione. Præmiſſis utrobique generalibus, ſeries librorum, qua alius alium excipit, tenetur. Initium fit a Pentateucho *Moſis*, ex quo pauca hæc libare liceat. *P. 29* obſervatur: *quando vocabulum* אלהים *uſurpatur de idolis, tum ei ſemper adduntur verba pluralia; ubi autem de vero Deo accipitur, ibi etiam inter pluralia ſemper adjicitur vox aliqua ſingularis numeri, ut ita & Trinitas & unitas in divinis obſervetur; p. 33: quod Moſes dicit, Dominum videre & pœnitere, hæc vere fiunt in cordibus eorum, qui miniſterium verbi habent. Vidit Deus malitiam hominum, & pœnituit,* h. e. *Noah, qui habuit Spiritum Sanctum, ad dolorem concitatus eſt, talia videns; p. 38: multa, quæ Deum Moſes locutum eſſe aſſerit, per homines dicta ſunt.* Ita ad *Gen. IV, 6, 7: quare ſic iratus es &c. credo, ait Lutherus, hæc ab ipſo Adamo eſſe dicta.* Sequuntur *Libri Hiſtorici*, difficultatibus Chronologicis & Chorographicis egregie liberati. Canon iſte: *Divinæ Scripturæ mos eſt, aliqua per anticipationem narrare*, egregie illuſtratur, difficilibus locis ex *Jo. XIII, 30,* & *Matth. XXVI, 9,* coll. *Marc. XIV, 25,* dextre explanatis. *Libris Metricis* nihil deeſt, quod ſenſus difficultatem tollat; præſertim, quæ *de vocibus emphaticis* & *prægnantibus* allata ſunt *p. 566 ſeq.* ceteris palmam præripiunt. *Libri Prophetici* tot abundant obſervationibus doctiſſimis pa-

riter ac utiliſſimis,ut,quas inde eligamus documenti loco, hæſitemus. Sufficiant ſequentes: *Stillare idem eſſe, ac iram Dei annuntiare,p. 775, judicium,quando opponatur iræ Dei,ſignificare ejus gratiam, p. 802, ἐνσάρκωσιν Filii Dei peculiariter intendi phraſi hac: ero Deus ipſorum, p. 785, Meſſiam vocari Jehovah Zebaoth, p. 802, Jeſchuah*, dulci ad nomen Jeſu alluſione, *p. 811, & os Domini, p. 893, per juramentum exprimi verum Dei cultum, p. 876, manum Domini ſuper aliquem eſſe dici, quando dono Prophetico inſtruitur, p. 896.* Altera hujus Apparatus *Pars*, dicta ſcriptis *Novi Teſtamenti*, eodem, quo *Vetus*, tractationis modo & ordine gaudet; præmiſſis, uti jam ſupra dictum eſt, præcipue illis, quæ ad Criticam ſacram pertinent, ipſi Evangeliſtarum & Apoſtolorum libri perluſtrantur. Ex Obſervationibus, quibus difficilia explanantur, tantum ſequentes excerpemus. Ne quis temere mutet *ſpirituum & accentuum Græcorum diſpoſitionem*, paucis *p. 35 ſeq.* refertur, quando & quomodo ab *Ariſtophane* notæ illorum excogitatæ & vocibus adſcriptæ ſint. *P. 144 ſeq.* docemur, Scriptores Novi Teſtamenti multa ex Vetere Teſtamento allegaſſe, quæ vel ex revelatione Spiritus S. vel ex traditionibus majorum, hauſerunt: uti *Matth. II, 25*: *Nazarenus vocabitur*, quia Evangeliſta non ait: *Quod ſcriptum eſt in Prophetis*, ſed *quod dictum eſt per Prophetas.* Sic obſervatur *p. 163*, vocabulum σάρξ nullibi nudam fragilitatem, mortalitatem, aut peccaminoſam corruptionem, ſed vel ſubſtantiam humanam,vel ipſam, cum iſtis tamen imperfectionibus, notare. Ita *p. 186* inter characteres, quibus Evangeliſtæ diſtingui poſſunt, refertur, eos ſingulos ſingularem quendam gradum dignitatis & excellentiæ Chriſti explicare. Notatu digna ſunt & hæc: *apud Evangeliſtas quædam Chriſti diſcipulis dicta eſſe ut Apoſtolis, quædam ut Eccleſiæ Miniſtris, quædam ut Chriſtianis, p. 194, Spiritu Sancto impleri* notare ſingularem Spiritus S. agitationem & impulſum *Luc. I, 13, Luc. IV, 1, Act, II, 4, p. 314*, verba Chriſti: *Ut cognoſcant te Patrem ſolum verum Deum, Jo. XVII*, ita explicantur,ut τὸ *ſolus* non ad ſubjectum, ſed ad prædicatum,pertineat, hoc modo: *Pater eſt ille Deus,qui ſolus verus*

Digitized by Google

rus eſt. Adeoque *ſolus verus Deus* eſt prædicatum, omnibus tribus Deitatis perſonis commune, *p. 333.* Sic *p. 354* ſynonyma *fidei ſalvificæ* Joannea digna argumento ſolertia ſunt collecta. Porro *p. 367* probatur, Joanneum eſſe, *τὸ non poſſe* pro *nolle* uſurpare, *Jo. VIII, 41*; & *p. 471*, Apoſtolos myſterium Trinitatis tum in *Exordiis*, tum in Clauſulis Epiſtolarum, ſuis inculcare, idque tam clare, ut ipſe *Epiſcopius* locum *2 Cor. XIII, 13*, pro validiſſimo adverſus Anti-Trinitarios argumento reputet; verba *Pauli*: *tenete traditiones*, pro temporis illius ratione eſſe accipienda, ut addatur, *quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam.* Brevitatis ſtudium plures ex hoc Obſervationum ſacrarum horto flores carpere prohibet, neque dubitamus, quin illi, quos in medium attulimus, ſatis demonſtrent, quam utilis, imo neceſſarius ſit *Apparatus* hicce ſacrarum literarum ſtudioſis. Nos quidem hic nihil deſideramus quam Indicem locorum Scripturæ S. & rerum memorabilium. Sed, quantum percepimus, Pl. Rev. Autor in eo eſt, ut hæc quam primum ſequantur; cui laudabili inſtituto Numen clementiſſimum & vires, & tempus, clementiſſime largiatur!

FRANCISCI WOKENII, S. THEOL. LICENT. & in Acad. Wittenberg. P. P. O. Lingu. Orient. & Societ. Scient. Reg. Boruſſ. Socii, Bibliotheca Wittenbergenſis Theologico - Philologico - Philoſophico - Hiſtorica.

Tomus I.

Wittenbergæ, ex officina Henningiana, 1730-1732, 8.
Alph. 1 pl. 13.

Pl. Rev. *Franciſcus Wokenius*, cujus præmatura mors hoc ipſo anno bonis omnibus acerba fuit, de commodis eorum, qui ſacrarum literarum ſtudiis ſe conſecrarunt, promovendis, dum viveret, ſolicitus, ex univerſo ſcientiarum ambitu ſelecta quædam in compendio quaſi exhibere inſtituit. Atque

Digitized by Google

huic quidem inſtituto intentus, ad imitationem Bibliothecæ Lubecenſis & Bremenſis Bibliothecam Wittenbergenſem conſcribere ſuſcepit, in qua non Theologica ſolum varia, ſed & ea, quæ vel ex antiquitate, vel Philoſophia, vel Hiſtoria, Theologiæ cultoribus uſui eſſe alicui poſſent, in lucem adſpectumque proferrentur. Eas vero leges ſibi præſtituit B. Autor in hac Bibliotheca ipſe, ut 1) veritates Theologicas vel magis roboraret, vel a dubiis, per alios motis, liberaret, vel diſſenſum Theologorum, ac diverſas, ab iis adhibitas loquendi rationes, commode conciliaret, vel alia quadam ratione illuſtraret; 2) Fontium S. Scripturæ præcipuam quandam haberet curam, & ex genuina Critica & Hermenevtica dubia nonnulla Exegetico-Philologico-Critica explanaret; 3) de falſæ Philoſophiæ ad hoc illudve Theologicum dogma applicatione, vel veræ ſobriæque Philoſophiæ miniſterio, quod Theologiæ præſtare poteſt, ſubinde moneret; 4) Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ difficultates hinc inde amoveret, eamque paſſim illuſtraret; 5) Hiſtoriæ quoque literariæ ſubinde litaret, & Vitas virorum celebriorum, alias vel plane non, vel minus apte, extantes, fidi Hiſtorici more maxima brevitate ſiſteret; 6) libros nuper editos non facile recenſeret; 7) Diſputationum autem ſelectiorum palmaria contenta referret, & Programmata, thema aliquod evolventia, exhiberet, ac nova denique, e. g. mutationes, promotiones, actus ſolennes &c. non plane præteriret, iis etiam additis, quæ vel ex MStis Codicibus, vel Epiſtolis, in hunc cenſum venientibus, nanciſceretur, controverſiis autem vel plane omiſſis, vel debita modeſtia memoratis. Atque hac ratione Volumen I, quod indicavimus, Bibliothecæ Wittenbergenſis a B. Autore concinnatum fuit. Quod uti *ſex* abſolvitur *Partibus*, Indicem quendam earum rerum exhibebimus, quæ in ſingulis Partibus obſervantur. In *prima* igitur *Parte* primo loco apparet *Introductio in Theologiam moralem Symbolicam*, cujus pars 1) de fine, 2) de ſub-
Pag. 1 ſeq. jecto, 3) de principiis effectivis & mediis, agit. Hanc In-
61 ſeq. troductionem excipit Programma Jubileo Evangelico Colbergenſi, A. 1730 celebrato, conſecratum, cujus Autor eſt *Jo. Chriſt.*
66. *Schumann*, Lycei Colb. Rector. Sequitur tertio loco documen-

mentum memoria digniſſimum civitatis Stolpenſis in Pome-
rania, additum homagio, quod civitas dicta præſtitit *Bogiſlao*,
Duci Pomeraniæ, cujus filius, *Caſimirus*, *Semoviti*, Ducis Mo-
ſoviæ, gener fuit, ex MSto. Quartum locum occupat ſolutio Pag. 70 ſeq.
dubii de uxoribus *Eſavi*, cui ſubjunguntur ad calcem hujus Par- 76 ſeq.
tis Diſputationes aliquot, Theologiæ inſervientes, A. 1729. *Par-*
te II ſequentia habentur: Epiſtola *le Courayer*, Bibliothecarii 801.
S. Genovefæ apud Pariſienſes, ad B. D. *Io. Wilb. Janum* data,
de vita & ſcriptis *Molineti*, ex avtographo: diſcuſſio, utrum 85.
ex *Flavio Joſepho* probari poſſit, quod *Gen. III. 5*, corruptum,
& ex היא ſit הוא factum: de abuſu Græcarum vocum Theo- 99.
logico: de ſenſu typico libri *Eſteræ*: de Profeſſorum Orienta 110.
lium linguarum in Academia Wittenbergenſi meritis in lin- 114.
guas Orientales: Diſputationum & Programmatum A. 1729 163 ſeq.
nonnullorum Indices. *Partem III* incipiunt B. *Godofredi*
Buchneri, Paſtoris primarii Rugenwald. in Pomerania Orien-
tali, Epiſtolæ de ſignificatione Hieroglyphica literarum He-
bræarum; quibus ſubjiciuntur nonnulla Jubilæi Auguſtanæ 191.
Confeſſionis ſolennia: Commentatio ad *Pſ. LXXVII, 6*: de li-
bro vitæ gratiæ: amica Reſponſio ad Bibliothecæ ſelectæ 245.
Theologicæ recenſionem *Moſis* Cel. Autoris Harmonici *Pſ.*
XLVII factam: *Georg. Joach. Schræneri*, Lycei Colb. Con- 256.
Rectoris, Memorabilia Eccleſiaſtica Colbergenſia, & in fine
Diſputationes quædam, A. 1730 habitæ, memorantur. *Pars IV* 275.
primo loco exhibet nonnulla de feſto Auguſtanæ Confeſſionis
Jubilæo Wittenbergenſi, deinde dubia Phanokeſiani certitudini 281.
Criticæ Hebrææ mota remota. Quæ excipiunt ea, quæ B. Au-
tor de paraphraſi Biblica B. *Abrahami Calovii* Manuſcripta XI 289.
Voluminum in folio produxit. Quarto loco apparent loca 306.
ex Libris Hiſtoricis Veteris Teſtamenti, quæ *Joannes Cleri-*
cus corrupta credidit, vindicata. Quinto amica Reſponſio ad 340.
cenſuram *Moſis* ſui *Harmonici*, quod ad Exodum attinet,
in eadem Bibliotheca Theologica ſelecta datam, quibus 353.
accedunt *L. Eliæ du Pin* relatio de iis, quæ lectionem
Auguſtanæ Confeſſionis anteceſſerunt, pauci conſiderata,
& Diſſertationes ac Programmata quædam A. 1730, quo- 371.
rum tituli memorantur. *Parte V* reperiuntur Catalogus E-
piſto-

Digitized by Google

piſtolarum MStarum variorum Autorum ad *Stanislaum Hoſium*, Cardinalem & Epiſcopum Varmienſem, & P. R. in Concilio Tridentino Legatum, qui Catalogus antea miſſus ad B. J. W. *Janum* a *Mich. Frid. Quadio*, Theol. D. Prof. &
Pag. 376. Rect. Gymnaſii Carolini Palæo-Sedinenſis: Indices ac tituli Diſputationum nonnullarum A. 1731: Samaritana Euſebiana:
417. Indices aliquot Diſputationum: Commentatio de Sophia, Dei conjuge: Commentatio ad *Ezech. XLIII, 7, 8:* duo memora-
457. bilia Wittenbergenſia, A. 1731 a *Vateris* patrata. *Parte VI* habentur *Jobi* textus contra *Clericum* defenſus, amica Reſponſio ad cenſuram *Moſis Harmonici*, quod ad *Levit. Num. Deuteron.* ſpectat: Quæſtio, an methodus demonſtrativa ſit Mathematica, alia ex *Jobo* dicta a *Clerico* ſolicitata, ac denique Indices Programmatum nonnullorum A. 1731. Volumen hoc primum duplici Indice clauditur 1) dictorum S. Scripturæ expoſitorum & vindicatorum; 2) rerum in hoc Volumine præcipuarum.

JO. GODOFR. LAKEMACHERI, GR. ET Orient. Lingu. Prof. Ord. Obſervationes Philologicæ.

Pars IX & X.

Helmſtadii, impenſis Chriſt. Frid. Weygandi, 1733, 8. Plag. 20.

Pergit Vir Cel. *Jo. Godofr. Lakemacherus*, in ſacris locis illuſtrandis, & in his *duabus Partibus* Obſervationum ſuarum Philologicarum XIV dictis S. S. paulo obſcurioribus lucem haud vulgarem accendit. Obſervatio *Partis nonæ prima* de *Monte Sinai Hieroſolymis συςοιχȣ̃ντι* ad *Gal. IV, 25.*
Pag. 3. conjecturam profert, qua verbum συςοιχεῖ numeri æqualitatem indicare in formulis, Σινᾶ ὄρος ἐν τῇ Ἀραβίᾳ & ἡ νῦν Ἱερȣσαλήμ, ſi Hebraice convertantur, valorque literarum numeralis ſpectetur, dicitur, ita quidem, ut συςοιχεῖ idem hic valeat, atque ἰσόψηφός ἐςι, *ejusdem numeri eſt*, eandem conti-
net

net ſummam, propterea quod ירושלים הדיא & סיני הר ערב Pag.16.
eundem numerum referunt, ſi arithmetice ſupputentur literæ. Obſervatio II *de numero nominis beſtiæ Apocalypticæ Apocal. XIII, 17, 18*, id agit, ut reddat probabile, numero DCLXVI in dicto loco Apocalyptico reſpici *Rabban Simeonem II*, cui nomini hic ineſt numerus, *Gamalielis* filium, &, quæ de beſtia ibi referuntur, ita huic *Simeoni* convenire, ut cornua duo agnina poteſtatem denotent duplicem, Præſidatus 46 ſeq.
in Synedrio, & Recturæ in Academia: prodigia per beſtiam edita magiæ ſignificent peritiam, in Synedrii præſidio a Judæis vulgo requiſitam: Χάραγμα fronti aut manui impreſſum, vel phylacteriorum uſum a *Simeone* imperatum, vel notam quandam ſervitutis, aut ſervitutem ipſam, indicent. Obſervatio 53 ſeq.
III *de Numine Iſraelis tutelari Pſ. CXXI* publico Academiæ nomine ſcripta, & loco Programmatis die Michaelis feſto A. 1732 propoſita fuit. Obſervatione IV *de Elementis mundi*, 85 ſeq.
ad *Gal. IV, 3*, Cel. Autor oſtendit, per nomen ϛοιχεῖα non elementa, non ſigna Zodiaci, horumque imagines, non umbram ſolarii, non literas, ſed diſciplinarum principia, ſive rudimenta, intelligenda eſſe, & per nomen κόσμος Judæos interpretandos. Obſervatio V *de Jephta verba ſua Mitzpæ ediſſerente, Jud. XI, 11*, præmiſſis nonnullis de quinque Mitzpis, quæ in ſacris literis memorantur, probat, ſacrificium in hoc 105.
Jephtæ negotio factum fuiſſe, quia & Hebræi Deo ſoliti fuerunt victimas offerre ante prælium æque ac Perſæ, Pœni & Romani, & pacta & fœdera non ſine ſacrificiis iniri conſueverunt, & Hebræis uſitatum fuit, dum novus conſtitueretur Princeps, ſacrificium offerre, nomen autem דברים verba 111.
Jephtæ pacta conventa, ſeu conditiones, ſonare, quæ inter Jephtam & Gileaditas convenerant. Obſervatione VI *de aqua coram Jehova effuſa, 1 Sam. VII, 6*, aſſeritur, hunc actum, a *Samuele* loco adducto deſcriptum, pertinere ad ſymbolicos 121.
actus, tunc temporis uſitatos, & effuſionem aquæ rem ſignificare luctuoſam. Obſervatio VII eſt *de Samuele Bethele, Gilgale, Mitzpæ & Romæ jus dicente, 1 Sam. VII, 16, 17*, in 133.
qua Doctiſſ. Autor, *Samuelem* ideo hæc loca obiiſſe, cenſet, quod cum antiqua religione jam eſſent conſecrata, ſacra ibi ſolerent

lerent fieri, ac propterea judicio exercendo cumprimis idonea viderentur. *Pars X* Obſervationes itidem ſeptem complectitur, quæ hos Scripturæ locos illuſtrant, & de his agunt argumentis: *de barba legatis Davidis abraſa, ad 2 Sam. X, 4. 5: de ſpreta aqua Siloæ ad Eſ. VIII, 6, 7, 8: de Ægypto & Babylonia ab Alexandro M. capienda, ad Eſ. XXIII, 12, 13: de Doego concluſo coram Jehova, ad 1 Sam. XXI, 8: de tempore, quo apocalypſis, ac ſpeciatim illa Cap. XVII, Joanni obtigit, ad Apocal. XVII, 9, 10: de Jehova munus Sauli odoraturo, ad 1 Sam. XXVI, 19: de monte myrrhæ & colle thuris. ad Cantic. IV, 6.* His accedunt Indices in Partes IV; *primus* eſt locorum Scripturæ, quæ vel ex inſtituto, vel occaſione oblata, illuſtrantur: *ſecundus* vocum & phraſium Hebraicarum, Rabbinicarum, & Chaldaicarum, nominum item quorundam propriorum, quæ explicantur: *tertius* vocum phraſiumque Græcarum, quæ exponuntur: *quartus* denique rerum memorabilium. Quod reliquum eſt, omnes nobiscum Viro Celeberrimo, qui ante dictis non ſolet acquieſcere, & vitam & otium apprecabuntur, quo in hoc literarum genere plura in dies proferendi Doctiſſ. Autori ne deſit occaſio.

Des H. Apoſtels Petri Grund-Sätze Göttlicher Lehren wider die ungegründeten menſchlichen Lehren der Röm. Kirche, ꝛc.

h. e.

THEOLOGIA PETRI ANTIPONTIFICIA, EX ipſius Epiſtolis, Vita, aliisque ejus effatis, deducta atque edita a M. ADAMO LEBRECHT MULLERO; cum Præfatione D. JO. GEORGII WALCHII.

Jenæ ac Lipſiæ, apud Jo. Frid. Ritterum, 1731, 8.
Plag. 10½.

Cl. Autor, qui hactenus in evulgandis variis Virorum celeberrimorum ſcriptis fuit occupatus, propriam ſuam hoc in libro demonſtratam dedit diligentiam. Argumentum, circa quod verſatur, ſyſtematice pertractavit, cumque Dogmata Pontificiorum characteriſtica ſint vel primi vel ſecundi ordinis, in *duas* diviſit *Partes* libellum. *Partis I*, quæ *theſes* Eccle-

Digitized by Google

cleſiæ Romanæ proprias proponit, *quibus ab omnibus aliis Chriſtianis diſtinguuntur*, *Cap. I* agit *de Scriptura Sacra*, ubi ſolide refellitur Pontificiorum commentum, quod Scriptura Sacra non ſit divinitus inſpirata; quod ſit corrupta ac imperfecta; obſcura intellectuque difficilis; a Laicis non legenda; minime judex ac norma omnium controverſiarum; ac denique quod traditiones humanæ in eodem cum Scriptura Sacra autoritatis loco ſint ponendæ. *Cap. II de Eccleſia* eſt inſcriptum. Hoc loco Autor noſter confutavit Pontificiorum dogma illud: Eccleſiam Romanam ſolam appellitari & eſſe veram, Catholicam, ac viſibilem, ejusque fundamentum Pontifices eſſe Romanos. *Caput* hujus *Partis III* agit *de Pontifice Romano.* Hic oſtenditur, falſam & omni Scripturæ Sacræ fundamento deſtitutam eſſe Pontificiorum doctrinam: Papam eſſe Dominum ac Monarcham univerſæ Eccleſiæ Chriſtianæ a Deo ordinatum, adeo infallibilem, ut nec erret, nec errare poſſit; ac tandem genuinum *Petri* Apoſtoli ſucceſſorem. *Cap. IV de Purgatorio*, ac *Cap. V de Cœlibatu Clericorum* ediſſeritur. *Pars II*, quæ continet *Theſes Pontificiis proprias, quibus a Proteſtantibus quidem ſunt diverſi, convenientes autem habent Eccleſiam Græcam & Orientalem*, abſolvitur *novem Capitibus*. *Cap. I de Cultu Sanctorum religioſo*, ubi haud levia exhibentur momenta. Probat Autor Doctiſſ. non ſolum cultum Sanctorum apud Pontificios vere eſſe religioſum ac divinum, ſed &, minus hunc deberi virgini *Mariæ*, nec pro mediatrice eam & redemtrice recte venditari, oſtendit. *Cap. II* agitur *de libero hominis arbitrio in ſpiritualibus*; *Cap. III de Juſtificatione hominis peccatoris coram Deo*; *Cap. IV de Satisfactione pro peccatis propriis & alienis*; *Cap. V de plenaria legis impletione*; *Cap. VI de Fide ſalvifica*; *Cap. VII de incertitudine beatitudinis*; *Cap. VIII de Tranſſubſtantiatione, & Miſſa Pontificia*; *Cap.* denique *IX de bonis operibus Eccleſiæ Romanæ fictitiis & meritoriis.* Ubivis Autor Cl. genuinas Pontificiorum doctrinas ex præcipuis eorum Scriptoribus adduxit, adductasque ad verbi divini lancem ponderavit, inprimis vero ex clariſſimis D. Apoſtoli *Petri* effatis, lubrico Pontificiorum doctrinas niſi

Digitized by Google

fundamento, commonſtravit, addita hinc inde unius alteriusque dicti exegeſi haud contemnenda. Lubentes igitur aſſentimur S. R. *Joanni Georgio Walchio* in Præfatione erudita, hiſce pagellis præmiſſa, hunc librum ab Autore perſpicue ac ſolide fuiſſe conſcriptum, aſſerenti.

J. C. HARENBERGII OBSERVATIO AD 1 Cor. XI, 13, 14, de Jure Naturæ Hypothetico.

I. Conſenſio actionum humanarum liberarum ad obtinendam generis humani & cujusque hominis perfectionem eſt illa cynoſura, ad quam omnes ſingulosque mortalium animum intendere decet. Cupiditas enim ſeſe conſervandi adeo nobis innata & propinqua eſt, ut nulla expelli vi furcaque queat. At ea eſt rerum noſtrarum conditio, ut ſolus quisque ſibi adminicula felicitatis providere ac procurare non poſſit. Quare opus eſt, ut plures conſerventur, ſi ipſi ad conſervationem noſtram incubituri ſimus. Eſt quoque in inimico & hoſte facultas, qua nobis conſulere licet. Quare nec quævis in hoſtem & inimicum licent, ſed ea duntaxat, quæ conſervationi propriæ ſunt conſentanea. Perfectio eſt eorum, quæ exſiſtunt, ordo ad perennem felicitatem. Hic ordo a Deo ipſo in virtutibus ſuis, ſeu attributorum harmonia, ipſisque operibus ejusdem, cuſtoditur ac conſervatur. Regeniti hanc perfectionem, imitatione expreſſam, extendunt ad ſempiternam ſtatus ſui felicis concordiam; reliqui ad ejus vitæ bracteatam felicitatem.

II. Pone enim, dari vitam alteram, actionum hujus vitæ compenſatricem; eo ipſo de perfectione ſtatus ſempiterni cogitandum eſt. Hæc lex, hæc conditio, aliunde arceſſita, & in certi vicem poſita, novum ſuppeditat invitamentum actionis, ſic, nec aliter, inſtituendæ. Eadem eſt ratio in aliis inſtitutis, hic & illic libere invectis & aſſumtis, quæ in hac vel illa gente ſi neglexeris, decori laudem perdis. Ex hac rerum contemplatione oritur duplex Jus Naturæ; unum abſolutum, & per ſeſe valens: alterum hypotheticum, ſeu certo inſtituto ſuperſtructum. Hanc diſtinctionem

nem ſi curæ habuerimus, non incidemus in eam charybdim, in qua ii hæſerunt, qui, ob variantia gentium inſtituta, negarunt, dari Jus Naturæ. Fac enim, variare gentium inſtituta. Inde tamen nondum ſequetur, tolli prudentem inſtitutorum ad felicitatem uſum, debitumque, uſum illum ubique ſectandi, invitamentum.

III. Sic in gente Romana diſcrimen exſtitit inter ſervos & libertos ratione externæ formæ, converſationis & corporum exornationis. Inſtitutum illud originem debuit mero hominum arbitrio. At, ex quo id ſemel per populum Romanum, eique ſubditas gentes, vicem recti honeſtique obtinuit, eorum, qui decorum ſervare, ac aliorum ſibi benevolentiam conciliare voluerunt, utique fuit, ut capillorum prolixorum geſtamen evitarent. Et ſic natura ac indoles rerum docuit, capillum promiſſum, & ad mores fœminarum comtum, viris non alendum eſſe.

IV. Ita *Anaſtaſius* Ὁδηγȣ̃ *Cap. VIII* Φύσιν in hoc loco Paulino exponit per πρᾶγμα. Et *Ignatius* in Epiſtola ad *Epheſios Cap. I* φύσιν δικαίαν vocat *rem juſtam.* Confer ad *Ignatii* locum animadverſiones *Cotelerii Tom. II Patrum Apoſtolicorum pag. 11.* Quas alii de voce φύσεως hoc loco ſententias foverint, erudite ſuo more expoluit Ven. *Jo. Chriſtoph. Wolfius* in *Curis Philologicis & Criticis* ad h. l. *pag. 482 ſeq.* Alii exponunt vocem per naturæ inſtinctum, alii per conſuetudinem, alii per ſexum. Sed facile patet, nullam harum acceptionum ad præſentem quadrare locum. Cur enim ſoli cuidam conſuetudini fuit litandum, ni ſubfuiſſet ratio æquitatis & honeſtatis? Neglectus enim honeſtatis & decori, ἀτιμία, ſubfuit omiſſioni præceptionis Apoſtolicæ. Naturæ jura expoſcunt conſervationem hominum, ſi ipſa in ſeſe conſiderentur. At Græci heroes alebant crines promiſſos ὑπὲρ ἀνδρείας ad formidinem hoſti incutiendam. Qualis eſt igitur illa lex naturæ, quæ, per ſeſe expenſa, uſum crinium promiſſorum damnavit? Cincinni formabantur in modum cornuum. *Moſes* ipſe fortaſſis, in ſignum gubernationis vicariæ ſibi concreditæ, ex monte Sinai talia deportavit cornua. Hæc cer-

Digitized by Google

certe erat δόξα & excellentia. Sexus porro per ſeſe non flagitat, ut viri abſtineant crinibus ornatis & promiſſis. Diſcrimen enim ſexus utriusque ſexcentis aliis modis poteſt inſtitui. Et quid, quæſo, faciendum foret inter populum, in quo viri honeſtiores & religioſiores uterentur capillo prolixo, comtoque, ac profluente? Num inſtituto illi cum dedecore ſui eſſet reluctandum, cum Jus Naturæ abſolutum non obſtet?

V. Subfuit videlicet inſtitutum, Græcis Romanisque acceptum. Sacerdotes Veneris & Cybeles priſco more gaudebant crine muliebriter tractato & comto. Honeſti vero viri & Græci & Romani, quorum inſtituta tum a gentibus pacatis ac tributariis fuerant aſſumta, crinem muliebriter comtum horrebant. Poeta Latinus luculente:

Sint procul a nobis juvenes, ut fœmina, comti.

Jam *Ariſtoteles* ſtudium ornandi capillos in viris damnavit ſprevitque *Lib. II Oecon. Cap. I.* Liberti & ingenui Romani capite incedebant minus ornato. *Polybius* in *Excerptis* de Pruſia, Rege Bithynorum, ad Legatos Romanos prodeunte: *Quamprimum Legati ad ipſum venirent, raſo capite, pileatus, togatus, & more Romano calceatus, obviam iis proceſſit, plane eo habitu ornatus, qualis ſolet eſſe apud Romanos recens manumiſſorum, quos libertos vocant: &, cum Legatos ſalutaſſet, ecce me, inquit, veſtrum libertum, omnia veſtra cauſa cupientem, inſtituta omnia veſtra imitari paratum. Qua voce nulla fingi poteſt minus generoſa.*

VI. Ex eodem Jure Naturæ hypothetico exponi poteſt inciſum decimum, dummodo per κεφαλὴν ex inciſo tertio intelligatur maritus, quem Deus per vetuſtiſſimum inſtitutum mulieri præeſſe juſſit. Mulier enim obſtricta eſt ad poteſtatem tenendam & ſervandam in illo capite, quod ipſi propoſitum a Deo. At quare? Propter angelos. Quosnam? Illos videlicet, qui poteſtatem ſuam derivant ex capite ſuo, Numine ſupremo, eamque ſibi non arrogant. Quid culpæ in fœminas redundabit, ſi ipſæ co-

ram

ram emiſſariis gentium eſſent capite aperto? Liberis & ingenuis ea patebat capitis habitudo.

VII. De Jure Naturæ hypothetico, & divino, & humano, indubie complura erui poſſunt, inſervitura & ſacris exponendis, & conſtituendis peculiaribus gentium diſciplinis. Fundamentum obligationis in hoc jure pendet a duratione inſtituti valida. Qua exſpirante exſpirat ipſum jus hoc vel illud naturæ hypotheticum. Idem de geſtamine crinium eſt pronuntiandum.

J. C. M. COGITATA DE VERA NOMINIS HIPPOLITHI A LAPIDE origine.

Quæ Ven. *Heumannus* in recentiſſima Conſpectus Reipublicæ Literariæ editione *p. 327 ſeq.* de vero perſonati illius *Hippolithi a Lapide* nomine in medium protulit, ita certe comparata ſunt, ut ſententiæ *Conringianæ*, qua ſtatuitur, *Bogiſlaum Philippum Chemnitium* ſub ficta illa appellatione latere voluiſſe, nemo non aſſurgere teneatur. Circa etymon tamen adſcititii nominis pauca quædam monuiſſe liceat. Scilicet exiſtimat Vir Cel. *Chemnitium* pſevdonymia memorata digitum tam ad Holſatiam, quæ Germanice *Hollſtein* vocatur, quam ad inſignia Ducum iſtius regionis, in quibus candidus *equus*, ratione Ditmarſiæ Provinciæ, conſpicitur, intendiſſe, atque denominationem illam inde mutuatum fuiſſe. At vero longius hæc petita videtur conjectura, &, *Chemnitium*, cum nomen iſtud aſſumeret, animum huc appuliſſe, vix probabile eſt. Planiore itaque modo nodum huncce, bona tamen Viri κριτικωτάτε venia, expedire tentabimus. In ea nimirum ſumus ſententia atque opinione, cauſas ſimulatæ appellationis non niſi in vero *Chemnitii* nomine quæri oportere. Quod enim ad *Hippolithi* prænomen attinet, perſonatum illum Scriptorem hoc ipſo nomen baptiſmale *Philippi* (*Bogiſlai* notione plane omiſſa) occultare intendiſſe, perquam eſt veriſimile. Satis videlicet, quantum conjectura auguramur, eſſe putavit, modo in utroque *equi* indicium quacunque ratione exſtaret. Sed, de hoc ut prolixius agamus, noſtri in præſens non

eſt

eſt inſtituti. Accedimus potius ad id, in quo cardo rei vertitur, nempe ad cognomen *Chemnitii*, atque, iſtud gemina *Lapidis* mentione, Græca æque ac Latina, denotari, fidenter aſſerimus. Certiſſimum ſane eſt, vocabulum *Chemniz* (quod rectius *Kemniz* ſcribitur, quemadmodum & *Mart. Chemnitium*, Noſtri avum, quandoque *Kemnicium* ſe vocitaſſe conſtat; vid. *Acta Inaug. Acad. Juliæ A.1576 Lit. N.*) Slavonicæ eſſe originis, ac *lapidem* deſignare. Unde, *Camentiam* Soraborum, ac *Camenecium* Sarmatarum, *domos lapideas*, ſi etymologiam ſpectes, nuncupari poſſe, aſſerit *Abrab. Frencelius* in *Præf. Lex. Sorab. Lib. II Cap. II.* Apud Ruthenos, quorum lingua pariter Slavonicis eſt annumeranda, eadem quoque ſignificatio obtinet. quam in rem *Steph. Javorskii* famoſum illud Opus, A. 1728 primum in lucem editum, quod *Kamien-Wery*, ſeu *Lapidem* (fundamentalem) *fidei*, vernaculo idiomate inſcripſit, excitaſſe ſufficiat. Bohemorum dialecto, quæ itidem ex toto Slavonica eſt, lapis *Kamen* nominari aſſolet, id quod verſio S. Codicis Bohemica, quam ſtudioſe evolvimus, compluribus in locis, exempli cauſa *Matth. XXI, 42, 44. & XXVII, 66*, ſatis ſuperque teſtatur. Quin *Chemnitium*, urbem in Hermunduris haud incelebrem, a montoſa regione, ac lapidibus abundante, nomen conſecutam fuiſſe, præter formam ac terminationem vocis Slavonico-Sorabicam, res ipſa loquitur, tametſi omnes, qui de urbibus egerunt, Scriptores, quæ fuit eorum negligentia, etymon ejus non attigerint. Ex quo facile intelligitur, *Bogisl. Phil. Chemnitium* cognominis ſui germanum originem, pauciſſimis iſta quidem ætate cognitam, *lapidis* notionibus ita involvere ſtuduiſſe, ut verum quidem nomen, quamvis in aliam linguam traductum, retineret, ac nihilo tamen ſecius literato orbi (quod ſua maxime intererat) ignarus plane tectusque maneret. Unde illum, ratione confícti iſtius nominis, ἀλλαττώνυμον potius, quam ψευδώνυμον, vocaveris. Num vero *Chemnitius* eo tempore, quo libellum de Ratione Status literis mandavit (Anno ſcilicet 1647) jam in equeſtrem ordinem a Regina Sueciæ, *Chriſtina*, cooptatus fuerit, atque hanc dignitatem præpoſitione illa, cognomini aſſumto præmiſſa, in animo habuerit, aliis hariolandum relinquimus, veram nominis ipſius derivationem liquido, quod ſperamus, expoſuiſſe contenti.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomus I Sectio VI.

HISTOIRE DE L'EGLISE ET DE L'EMPIRE, &c.

h. e.

HISTORIA ECCLESIÆ ET REIPUBLICÆ, inde a nativitate Chriſti uſque ad exitum Seculi decimi, Autore JOANNE LE SUEUR. Editio nova, eaque correctior, auctaque tum Annotationibus, tum allegatis.

Tomi VIII.

Amſtelodami, apud Petrum Mortier, 1730, 4 maj.

Alph. 12 pl. 6.

Cum A. 1713 *Benedictus Pictetus*, Theologus Genevenſis, ſuam ederet *Hiſtoriam Eccleſiaſticam atque civilem Seculi undecimi*, telam ſcilicet perſequens a *Joanne Sudorio*, (ita enim eum duce *Sammarthano Elog. Gall. Lib. IV Cap. 18* vocabimus,) in Gallia Paſtore Eccleſiæ *de la Ferté-Aucol*, cœptam,

 admo-

admonebatur ſtatim in *Hiſtoria Critica Reipublicæ literatæ Tom. IV p. 331*, ut *Sudorianum* illud Opus, primum Genevæ editum approbantibus Eccleſiæ Gallicæ Reformatæ Synodis, recognoſceret ac locupletaret. Paruit Vir Cl. conſilio huic, nec ſtilum ſolum ſubinde reddidit comtiorem, ſed plurima quoque marginibus adſcripſit loca teſtium, imo & Annotationes inſeruit, cum multas numero, tum inſignes eruditione. Atque ita habemus egregium corpus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, in modum Annalium ſcriptæ, attexta civili etiam hiſtoria ſatis copioſe, ſatisque accurate. Certe Romanorum Imperatorum hiſtoria perluculenta hic ſimul exhibetur, itemque ceterorum totius orbis regnorum præcipuorum. Noſtrum erit, ex Hiſtoria potiſſimum Eccleſiaſtica quædam decerpere, unde Lector cum diligentiam, tum judicium, Autoris poſſit cognoſcere. *Tom. I p. 20 ſeq.* adverſus *Euſebium* docet allatis argumentis, Tom. I. *Therapevtas Philonis* fuiſſe *Eſſenæ* ſectæ homines. Ejusdem errorem de Statua Paneadenſi (de qua doctiſſimas duas Diſſertationes *Theodori Haſæi* in ipſis *Actis A. 1727 p. 424* recenſuimus,) copioſe refellit *p. 45 ſeq.* Ejusdem miram credulitatem notat *p. 48 ſeq.* fabulam de Epiſtola *Abgari* ad Chriſtum pluribus coarguens argumentis. Quando vero *p. 60* relationem de *Tiberio* Chriſtum inter Divos Romanos referre conato profert tanquam veram, Annotator juſtas exhibet cauſas, cur ea inter priſci ævi fabulas referenda ſit. In *ſecundi Seculi* hiſtoria *p. 218*, Epiſtolas *Ignatii* ad unam omnes eſſe fictitias, tam clare demonſtraſſe judicat *Dallæum*, ut omnibus veritatis amantibus ſatisfeciſſe videatur, utque plurimum ei debeatur pro tam gravis erroris locupletiſſima refutatione. Diſſertationem *p. 246 ſeq.* longiorem exhibet ad probandum, in primordiis Eccleſiæ nihil interceſſiſſe diſcriminis inter Epiſcopos & Presbyteros. Negat tamen, Eccleſiam poſtea peccaſſe, cum diſcrimen conſtituit. Uſam enim eam eſſe libertate, qua gaudeat in concinnando ordine rerum Eccleſiaſticarum externo. Librorum Sibyllinorum autorem eſſe *Montanum* hæreticum, putat *p. 256*, multaque profert non ſolum ad demonſtrandam eorum νοθείαν, verum etiam ad veriſimilitudinem maximam conciliandam ſuæ de eorum vero autore ſenten-

ſententiæ. De *Clemente Alexandrino p. 320* ita judicat, fuiſſe eum virum ſpectatæ pietatis pariter atque eruditionis, ſed propter judicii tenuitatem ineptiſſimos commiſiſſe errores, & libris ſuis inſeruiſſe. Ad *tertii Seculi* delatus hiſtoriam, *p. 10 ſeq.* ſingularem profert Diſſertationem de jejuniis veteris Eccleſiæ, itemque de nævis jejuniorum *Montanicorum.* Similis Diſſertatio *p. 20 ſeq.* exſtat de cœmeteriis ac templis veterum Chriſtianorum. Tertia eſt *p. 25 ſeq.* de diſciplina veteri Eccleſiaſtica, deque gradibus pœnitentiæ. Videas hic etiam longam tractationem de *Tertulliano,* & ſingulis ejus libris. De titulo *Pontificis Maximi, Epiſcopi Epiſcoporum, & Papæ,* dato Epiſcopis Romanis a *Tertulliano,* diſſerit *p. 30 ſeq.* oſtendens conſequentiæ, quam hinc hodie nectant Pontificii, ſatyrica *Tertulliani* verba pro ſeriis accipientes, inanitatem. Imperatorem *Philippum* fuiſſe Chriſtianum, negat *p. 63 ſeq.* ac ſuſpicatur, effictam fuiſſe hanc de peſſimo Principe fabulam ad exoſos magis reddendos Chriſtianos. *Pag. 107 ſeq.* multis diſſerit de Baptiſmo priſcæ Eccleſiæ, ejusque ritibus: idque argumentum pertexit *p. 117 ſeq.* De manuum impoſitione *p. 119 ſeq.* Diſſertatio exhibetur brevis: longior autem *p. 136 ſeq.* de electione Epiſcoporum ac Presbyterorum olim non facta niſi conſentiente populo. De Baptiſmo quoque *Conſtantini M.* deque donatione ejus ſingularis exſtat Diſſertatio *p. 219 ſeq.* Lectu quoque digniſſima eſt, quæ *p. 226 ſeq.* legitur, de origine monachorum Diſſertatio. Pertinent vero duæ hæ Diſſertationes ad *quarti Seculi* hiſtoriam, in qua & *p. 5 ſeq.* refellit fabellam de *Helenæ* inventione crucis Chriſti, quam oſtendit hoc ipſo adhuc Seculo natam novum ab unoquoque ſuccedentium Scriptorum accepiſſe incrementum: Morem, poſt Nicænum Concilium introductum, ad Catechumenos & paganos non loquendi de Sacramentis Chriſtianis, rejicit *p. 21 ſeq.* tanquam petitum a paganis Sacerdotibus, ac Patres Eccleſiæ potius Chriſtum & Apoſtolos imitari debuiſſe, judicat. Vitam *Auguſtini* breviter exhibet *p. 221 ſeq.* alibi quoque ceterorum Eccleſiæ Patrum vitas juſta brevitate exponens, adjecta ſcriptorum cujusque, imo etiam nævorum, mentione. In *Seculi quinti* Hiſtoria *p. 29 ſeq.* ſingulari

Tom. II.

III.

IV.

ri ſtudio diſputat de origine & progreſſu invocationis Sanctorum. *Hieronymi* nævos *p. 98 ſeq.* recenſet, concludens, fuiſſe in eo viro & virtutes maximas & vitia maxima. De *Vincentii Lirinenſis Commonitorio p 145* judicat, Autori huic, tanquam Semipelagiano, conſtitutum fuiſſe, tacite refellere novas *Auguſtini* interpretationes locorum S. Scripturæ de prædeſtinatione & gratia. Singularis Diſſertatio de titulis *Archi-Epiſcopi, Metropolitani, Primatis, Exarchi,* & *Patriarchæ*, legi poteſt *p. 188 ſeq.* Generatim *p. 329 ſeq.* obſervat, ſub Imperatoribus Chriſtianis *Seculi quarti* & *quinti* Eccleſiam admodum vitiatam fuiſſe, cum in moribus Clericorum, tum in dogmatibus ac ritibus Eccleſiaſticis. Simul tamen oſtendit, eo temporis ſpatio fundamentum fidei manſiſſe ſalvum & incolume, Eccleſiamque longe diverſam fuiſſe ab hodierna Romana Eccleſia, ſive dogmata, (quæ ſigillatim recenſet,) ſive

Tom.V. praxin & mores ſpectes. In hiſtoria *ſexti Seculi p. 59* a *Cyrillo* quodam ſcriptam *Vitam S. Sabæ* vocat *fabulam Romanenſem Eccleſiaſticam*, in qua paucis veritatibus permiſta ſint innumera mendacia. Plures vero Sanctorum vitas eodem jure affici titulo, quin conceſſurus ſit doctiſſimus quisque, non eſt, quod dubitemus. *Pag. 111 ſeq.* ſingularem ſiſtit Diſſertationem de ethnicis titulis, quos ea ætas Chriſtianis tribuit Imperatoribus, appellans eos *æternos, divinos, oracula*; deque nimiis honoribus, iſtos titulos ſecutis, adoratione videlicet, & oſculatione pedum. Hac occaſione agit etiam de oſculatione pedum, non ſolum Romano, ſed aliis quoque Epiſcopis, præſtita. Denique de hodierna pedum Papæ oſculatione agit, eumque honorem non amplius civilem, ut olim, ſed religioſum, eſſe docet. De ortu & progreſſu doctrinæ de purgatorio, a *Gregorio M.* conſtabilitæ, *p 231 ſeq.* longa exſtat Diſſertatio. Talis etiam *p. 263 ſeq.* occurrit de Papa illo: cujus poſtquam recitavit juſtas ac debitas laudes, etiam ſummam ejus inopiam eruditionis exemplis allatis in apricum profert. Dum vero adjicit ejusdem errores Theologicos, ſimul dogmata ejus illa meliora efferr, quæ ſunt hodiernæ Eccleſiæ Romanæ adverſiſ-

VI. ſima. In *Seculi ſeptimi* hiſtoria *p. 47 ſeq.* clare ac diſtincte

expo-

exponit ſententiam Monotheletarum. Hinc *p. 52 ſeq.* de Papæ *Honorii* Monotheletiſmo verba facit, ac præterea docet, oleum & operam perdidiſſe defenſores ejus. Ceterum non Seculo hoc ſeptimo introductam fuiſſe extremam unctionem, ſed Seculo demum undecimo, manifeſtum facit *p. 104*: de quo eodem argumento *Tom. VIII* diſſerit ad A. 900 *p. 185 ſeq.* De Concilio generali ſexto copioſius agit *p. 105 ſeq.* ac ſimul oſtendit, id non a Papa, ſed ab Imperatore, convocatum fuiſſe, nec Papam habuiſſe præſidem & rectorem, ſed Imperatorem. Cumque in iſto Concilio *Honorius* Papa condemnatus ſit tanquam Monotheleta, hinc ſequi contendit, 1) Papam errare poſſe, 2) eminere Concilia ſupra Papam: refellens ſimul Papicolarum effugia diligentiſſime. *Bonifacium* Apoſtolum ſive miſſionarium, *p. 171 ſeq.* in hiſtoria *Seculi octavi* docet, non in caſtra Chriſti perduxiſſe homines, ſed in caſtra Papæ, eosque, qui jam ante fuerint Chriſtiani, ſed non Papicolæ, ejus in ditionem ſtudioſiſſime redegiſſe. *Pag. 267 ſeq.* oſtendit multis argumentis, vere *Caroli M.* juſſu & autoritate ſcriptos atque editos fuiſſe libros illos quatuor, qui exſtant *de cultu imaginum* contra Concilium Nicænum II. Qua occaſione & *p. 273 ſeq.* agit de Francofurtano Concilio A. 794, in quo damnatum fuit illud Concilium, licet jam confirmatum a Papa. Cumque hic Papicolæ multas quærant evadendi rimas, Autor ſingulas obſtruit curatiſſime. Ex *noni Seculi* hiſtoria obſervamus, Noſtrum *p. 38* tanquam veram hiſtoriam referre fabulam de Rege Poloniæ *Popielo* a muribus devorato; *p. 86 ſeq.* demonſtrare multis, *Rabanum Maurum* & *Walafridum Strabonem* in doctrina de Sacramento Cœnæ longe diſceſſiſſe ab hodierno Eccleſiæ Romanæ dogmate; *p. 97 ſeq.* narrationem de *Joanna* Papiſſa veram habere propter teſtimonium *Anaſtaſii* Bibliothecarii, Scriptoris συγχρόνε, & aliorum Romanæ Eccleſiæ membrorum genuinorum. E *decimi Seculi* hiſtoria duo reperimus, quæ majorem habent falſi, quam veri, ſpeciem. Recitat ſcilicet *p. 121* vulgatum illud de Archi-Epiſcopo Moguntino *Hattone* murium dentibus conciſo tanquam veram hiſtoriam. Quanquam Annotator adjicit, videri hoc pluri-

Tom. VII.

VIII.

Digitized by Google

pluribus fabuloſum. Eandem profert narrationem noſter Hiſtoricus *p. 197* de *Wilderolpho*, Epiſcopo Argentoratenſi. Denique *p. 199 ſeq.* contendit, valde veroſimilem eſſe criminationem, qua Papa *Sylveſter II*, cui antea nomen fuit *Gerberti*, accuſatus fuit magiæ diabolicæ: quanquam ad ultimum rem iſtam relinquit in medio.

M. TULLII CICERONIS ORATIONES, CUM Argumentis, Animadverſionibus, & Analyſi M. ANTONII FERRATII, ad uſum Seminarii Patavini.

Partes IV.

Patavii, ex typographia Seminarii, apud Jo. Manfrè, 1729, 8 maj.

Pars I Alph. 1 pl. $13\frac{1}{2}$, Pars II Alph. 1 pl. 18, Pars III Alph. 1 pl. $19\frac{1}{2}$, Pars IV Alph. 1 pl. $21\frac{1}{2}$.

Multum omnino ad comparandam eloquentiam valere, ſi quis rationem ab iis, quos ſibi ad imitandum propoſuit, in adhibendis artis Rhetoricæ præceptis, uſuque applicandis initam, perſpexerit curatius, ii demum ignorabunt, qui hanc eruditionis partem nec attigerunt, nec ſenſu ſuo deguſtarunt. Quo plus igitur ex hac ratione Oratores edendi in juventutem Oratoriæ ſtudioſam fructus redundat, eo major iis, qui hunc in ſe laborem ſuſceperunt, ſine dubio debetur gratia. Atque hæc etiam non eſt deneganda Viro Cl. *M. Antonio Ferratio*, cui hæc eſt editio Orationum *Ciceronianarum* in acceptis referenda. Is enim juſſu *Gregorii*, Cardinalis Barbadici, eo conſilio Oratorum principem in lucem emittendum ſuſcepit, ut ſigillatim indicaret, atque ante oculos poneret, quam commode quamque ingenioſe artis Rhetoricæ præceptis in ſuis Orationibus *Cicero* uſus eſſet. Sic vero in hoc negotio verſatus eſt Cl. *Ferratius*, ut ſingulis Orationibus præmiſerit earum non argumentum ſolum, verum etiam Synopſin, ſive artificium Rhetoricum. Ipſis *Ciceronis* verbis, in unaquaque pagina ex optimis Editionibus repetitis, ſubjecit Annotatiunculas, quibus obſcu-

Digitized by Google

obſcurius dicta illuſtravit, & juventuti, cui omnis hæc opera dicata eſt, intellectu reddidit faciliora. Quæ licet ſint breviſſimæ, tamen vel ideo laudem merentur maximam, quod non temere, ſed habito delectu, iis locis ſunt adjectæ, quas ceteri Commentatores aut incerti, quid ſentirent, omiſerunt, aut, non aſſecuti Oratoris ſententiam, perperam fuerunt interpretati. In Analyſi, quæ infimam cujusque paginæ partem occupat, inprimis docet Dociſſ. Editor, quæ duce *Cicerone* ac magiſtro potiſſimum ſint in exordio præſtanda, quæ vitia in narratione vitanda, unde argumenta, quæ perſuadendi vim habent, eruenda, quave ratione tractanda, quid ad permovendos Auditorum animos maxime valeat, quo loco, quave induſtria adverſariorum petitiones repellendæ, quæ figurarum, quæque ſententiarum varietas pro rerum hominumque, apud quos dicendum eſt, varietate uſurpanda, & qua denique ratione artis Rhetoricæ præcepta ad exemplum *Ciceronis* in ipſos uſus conferenda. Ad calcem cujuslibet Orationis exhibuit ſententias in unaquaque notabiliores. Sic e. g. *Parte II p.330 in fine Orationis pro Lege Manilia* hæ comparent ſententiæ: I) *Ceteris in rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur; at in vectigalibus non ſolum adventus mali, ſed etiam metus ipſe, affert calamitatem;* II) *Non poſſunt una in civitate multi rem & fortunas amittere, ut non plures ſecum in eandem calamitatem trahant;* III) *Non poteſt exercitum is continere imperator, qui ſe ipſum non continet; neque ſeverus eſſe in judicando, qui alios in ſe ſeveros eſſe judices non vult;* IV) *Felicitatem præſtare de ſe ipſo nemo poteſt; meminiſſe & commemorare de altero poſſumus.* In *quatuor* vero *Partes*, ut jam indicavimus, Orationes *Tullii* in hac editione diviſæ ſunt. In *prima* ſequentes habentur Orationes: 1) *Pro P. Quinctio,* 2) *pro Sex. Roſcio Amerino,* 3) *pro Q. Roſcio Comœdo,* 4) *Divinatio in C. Verrem,* 5) *Actio I in C. Verrem,* 6) *Actionis II in C. Verrem liber I de vita ante acta,* 7) *Actionis II in C. Verrem liber II de jurisdictione Siciltenſi,* 8) *Actionis III in C. Verrem liber III de frumento.* In *altera Parte* hæc continentur: 1) *Actionis II in C. Verrem*

liber

Digitized by Google

liber IV de ſignis, 2) *Actionis II in C. Verrem liber V. de ſuppliciis*, 3) *pro M. Fonteio*, 4) *pro A. Cæcina*, 5) *pro lege Manilia ad populum*, 6) *pro A. Cluentio*, 7) *de lege Agraria contra P. Servilium Rullum, trib. pl. in Senatu*, 8) *de lege Agraria contra Rullum, Trib. pl. ad populum*, 9) *de lege Agraria contra Rullum Trib. pl. ad populum*, 10) *pro C. Rabirio perduellionis reo ad populum*, 11) *in L. Catilinam in Senatu*, 12) *in L. Catilinam ad Quirites*, 11) *in L. Catilinam ad Quirites*, 14) *in L. Catilinam in Senatu*. In *Parte tertia* leguntur: 1) *pro L. Muræna*, 2) *pro L. Flacco*, 3) *pro P. Sulla*, 4) *pro A. Licinio, Archia Poeta*, 5) *poſt reditum ſuum ad Quirites*, 6) *poſt reditum in Senatu*, 7) *pro domo ſua ad Pontifices*, 8) *de Haruſpicum reſponſis in Senatu*, 9) *pro Cn. Plancio*, 10) *pro P. Sextio*, 11) *interrogatio in Vatinium*, 12) *pro M. Celio*. In *quarta Parte* ſunt: 1) *pro L. Cornelio Balbo*, 2) *de Provinciis Conſularibus*, 3) *in L. Piſonem*, 4) *pro T. Annio Milone*, 5) *pro C. Rabirio Poſtumo*, 6) *pro M. Marcello*, 7) *pro Q. Ligario*, 8) *pro Rege Deiotaro*, 9) *in M. Antonium Philippica XIV*.

CORNELIO NIPOTE VERONESE, &c.

h. e.

CORNELIUS NEPOS, VERONENSIS, DE Vita excellentium Græcorum, &c. Italice converſus a REMIGIO FLORENTINO, ſummaque diligentia correctus, & denuo impreſſus.

Veronæ, apud Dionyſium Ramanzinum, 1732, 4.
Alph. 1 pl. 10.

Ex Dedicatione Typographi de *Brenzonum* Veronenſium illuſtri familia quædam diſcas. Commendatur hæc editio tanquam retractata nunc, & collatis exemplaribus Latinis caſtigata. Et poteſt fieri, ut multa emendata ſint. Supereſſe tamen

tamen non pauca, quæ lima indigeant, age, vel ex ſolo *Attico* breviter indicemus, non quo ſtudium improbemus vel Interpretis, vel Editorum, ſed ea inprimis cauſa, ut videant, qui poſſunt, quanto melius ſit, ſi quis per ſe intelligere bonos Scriptores poſſit, quam ſi interpres ſit adhibendus. Ac de ipſis Italicæ linguæ rationibus viderint ipſi Itali. Nos conferemus Latina. Statim ab initio, *perpetuo a majoribus acceptam e-*
queſtrem obtinuit dignitatem, vertitur, *E come ſempre era* Cap. I §. 2.
ſtato nella ſua caſa l'onore dell'Equeſtre dignità, così egli ancora fù Cavagliere. *Nepos* hoc vult, contentum fuiſſe *Pomponium* equeſtri dignitate, neque majora appetiiſſe. *Pater*
mature deceſſit, redditur, *Morì ſuo padre piu toſto vecchio.* II, 1.
Atticus rogat *Sullam*, *Noli adverſum eos me velle ducere, cum* IV, 2.
quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui, mala forte interpunctione deceptus vertitur, *con cui hò laſciata l'Italia per non armarmi contra di voi*, quaſi cum aliis Italiam reliquiſſet, qui reliquit patriam, ne in aliorum caſtris pugnaret adverſus *Sullam*. An *munera*, quæ *Sulla* Athenis accepta deferri juſſit *Attico*, recte vertantur *offizi*, viderint Itali. In-
telliguntur certe honores, commoda, dona. Minus etiam 5.
excuſari poſſe videtur, quod *urbana officia*, hoc eſt, in urbe
præſtanda, vertuntur *grazioſo Servigio.* *Ad comitia eorum* 4.
ventitavit, nimis ad verbum exprimitur, *ai loro Comizi.* *Heredem fecit ex dodrante*, obſcuriſſime transfertur, *di nove*
parti della ſua robba. Quis enim hoc intelligit, niſi qui di- V, 2.
viſionem aſſis teneat, ſciatque *tres quadrantes* ita deſignari.
Ad haſtam publicam non acceſſit, obſcure vertitur, *All' incan-* VI, 3.
to non andò mai. Neque enim de auctione in univerſum
ſermo eſt, ſed bonorum proſcriptorum. Quemadmodum VIII, 1.
alias apparet, exemplo non nimis emendato uſum Interpretem, ita illud etiam adverſus hiſtoriæ fidem ponit, *e tutta Roma foſſe rivolta verſo di Attico*; legit nimirum ad *eum*, pro
eos. Ita legit, *Provinciarum, quæ iis dicis cauſa datæ erant* 5.
a Conſulibus, & incongrue vertit, *perche l'uſanza era.* Male X, 5.
inculcatur *Cicero*, ubi de *Cano* ſermo eſt. Liberalitatem *Atti-* XI, 3.
ci callidam fuiſſe negat *Nepos*; male Interpres *malizioſa.*

Cap.XIII,§4. *Volumnius Præfectus Fabrum Antonii* militare munus habuit, neque dici debebat *ſopraintendente agli edifizi*: neque *acroa-*
XIV, 1. *ma* ibi eſt *armonia*, ſed omnis aurium & animorum in convivio oblectatio. Iſta quidem declarant, quod diximus, melius eos ſibi conſulere, qui ipſos per ſe Scriptores veteres cognoſcere poſſunt. Illud obiter etiam animadvertimus, in ſummario, ubi de *Datame* ſermo eſt, fingi *Regem* aliquem *Cappadociæ*, de quo nihil *Cornelius*.

HET LEVEN VAN WILLEM DE I, PRINS van Oranie, &c.

h. e.

VITA WILHELMI I, PRINCIPIS AURIACI, Comitis Naſſoviæ, Gubernatoris ſummique militum Præfecti Provinciarum Hollandiæ, Seelandiæ, Trajectenſis, Friſiæ, & reliquarum, literis mandata a - - -. Editio altera.

Pars I, II & III.

Lugduni Batavorum, apud Sam. Luchtmanns, & Leonh. Bakker, 1732, 8 maj.

Alph. 6 pl. 19½.

Celeberrimi Principis illius, qui fundamenta Reipublicæ Batavorum jecit, *Wilhelmi Auriaci I*, hiſtoriam, quemadmodum Cl. Autor in Præfatione obſervat, Belgarum adhuc nemo ex inſtituto literis mandavit, ita, ut, quæ tot alii Scriptores de eo ſparſim memoriæ prodiderunt, in unum collecta, apteque coagmentata, legi una ſerie poſſint. Specimen ejus breve dedit *Auberius*; idem egit eruditiſſimus *Meurſius*, ſed telam haud male cœptam, tametſi homines pragmaticos, quam eruditionis vaſtæ laude claros, ad ſimilem provinciam obeundam aptiores Cl. Autor exiſtimat, ad finem non perduxit. *Lapiſius*, longius progreſſus, inſtituto ſatisfecit utcunque, ſed, rerum Belgicarum

non

Digitized by Google

non ſatis peritus, rebus Auraſionenſem principatum ſpectantibus maximam partem diſtinetur. Ceteros, qui de vita *Wilhelmi Auriaci* data opera commentati ſunt, non magni eſſe momenti, Autor cenſet, nec dignos, quorum ratio habenda magnopere videatur. Relictam igitur ab aliis ſpartam tanto libentius ſuſcepit Noſter, quod, gente *Wilhelmi* ejus, ſi propaginem maſculam ſpectes, exſtincta, remotisque adeo odii favorisque cauſis, opportunitatem liberius jam litandi veritati oblatam exiſtimat. Hauſit autem ſua, quod ad *Partem primam* attinet, ex pluribus carptim Scriptoribus, quos ad marginem bona fide allegavit. In ſequentibus *van Borium* ante omnes ſequendum duxit, collecta inde cum aliis Scriptoribus, ſive domeſticis, ſive externis, contendendo, ſupplendoque, quæ *Borio* prætermiſſa vidiſſet. Hinc *Borium* eundem nuſquam citavit teſtem, quod ita nimis crebro appellandus eſſet, laudavit tamen alios in margine adductos, ut adeo, vel hinc intelligatur, nihil hic ingenio deberi Autoris, quippe nihil omnino ſine teſte obtrudentis Lectoribus ſuis, niſi digreſſiones & judicia, in quibus hiſtoriæ ſubinde interponendis pluſculum ſibi ſe indulſiſſe, candide profitetur. Ceterum non quærenda in libro hoc fuſa rerum omnium, quæ vel in Belgio, vel alibi, dum in vivis eſſet *Wilhelmus Auriacus*, geſtæ ſunt, enarratio. Cum enim non conſtituerit Autor, niſi ea, quæ ad vitam & res geſtas illius pertinent, memoriæ hoc libro prodere, ſua ſponte patet, cetera ſtrictim attingi, ac proinde uberiorem eorum notitiam aliunde eſſe petendam. Atque hæc quidem hactenus de indole hujus operæ. Quæ in Præfatione ſubjiciuntur de præſtantia hiſtoriæ fœderati Belgii, de Belgarum in patria hiſtoria literarum monumentis conſignanda negligentia, de externis Scriptoribus rerum Belgicarum huic labori imparibus, conſulto prætermittimus. Quod ad Hiſtoriam ipſam attinet, ſtilo illa facili comtoque contexta eſt, & Lectores rerum Belgicarum cognoſcendarum cupidos adeo non divinare patitur, ut nihil fere ſit, cujus notitiam pleniorem non ſuppeditet. Ornant eam cumprimis Proſopographiæ illuſtrium Virorum, qui illis temporibus vixere, ex optimis fontibus hauſtæ,

Digitized by Google

& feſſum cetera legendo animum identidem peropportune reficientes. Nec dedecori ſunt narrationibus, quibus eas condiendas putavit, animadverſiones & judicia, tædium non creatura forte Lectoribus, niſi ubi vel nimis crebro narrationis filum interrumpunt, vel in eam magnitudinem excreſcunt, ut molem libri ſine inſigni emolumento augeant. Certe & in hac re, & in excurſibus, quos de induſtria longiores intexuit, paulo pluſculum ſibi ſumſiſſe Cl. Autor videtur, quem tamen nihilo ſecius Belgarum ſuorum, quibus potiſſimum ſcripſit, ſuffragia laturum, nulli dubitamus.

LE VITE DE' PITTORI, SCULTORI ED ARCHItetti moderni &c.

h. e.

VITÆ PICTORUM, SCULPTORUM, ATQUE Architectorum hodiernorum, cum eorundem Imaginibus, ad vivum delineatis; ſcriptæ a JOANNE PETRO BELLORIO. Editio ſecunda.

Romæ, apud Franciſcum Ricciardum, 1728, 4.
Alph. 2 pl. 4.

Secunda hæc eſt Editio inſignis Operis Cl. *Bellorii*, quo ille, memorias hominum, in pingendi ſculpendique, Architecturæ item, artibus, non ſua tantum, ſed & noſtra ætate nobiliſſimorum, conſecravit poſteritati. Non refert multa referre de libro, paucis admodum, qui alias hiſce ſtudiis tenentur, penitus ignorato, quin inſpecto vel leviter. Quod primariis tantum artificibus calamum commodandum ſuum eſſe atque induſtriam exiſtimaviſſet Autor, neglectis mediocribus, ex quorum cenſu haberi non minus illis liceret ad æternitatem graſſaturis, quam Poetis ex *Horatii* ſententia; anguſtis valde artificum numeris ſe cohibuit, tanto majora tantoque digniora prolaturus in medium de cujusque Operum mirabili præſtantia, conditione, artificio inimitabili, ac pretio, quos ſemel dilaudandos conſulto ſuſcepiſſet. Eorum vel nomina huc appona-

ponamus. Enimvero ſunt illi: 1) *Auguſtinus Carracci*, Pictor & Sculptor Seculi ſexti poſt decimum clariſſimus; natus Bononiæ A. 1558, denatus ibdem A. 1602; 2) *Dominicus Fontana*, Architectus, natus ad lacum Comenſem A. 1543, denatus A. 1627; 3) *Fridericus Barocci*, Pictor; 4) *Michael Angelus Merigi*, itidem Pictor; 5) *Petrus Paulus Rubens*, Antverpienſis, ſimiliter Pictor, natus A. 1577, denatus A. 1640; 6) *Antonius van Dyck*, civis *Rubenii*, atque in arte æmulus, natus A. 1599, denatus A. 1641; 7) *Franciſcus de Queſnoy*, Sculptor, Bruxellis oriundus, natus A. 1594, denatus Liburni A. 1643; 8) *Dominicus Zampieri*, Pictor & Architectus, Bononiæ natus A. 1581, & denatus A. 1641; 9) *Joannes Lanfranius*, Parmenſis, Pictor, mortuus A. 1647, ſexagenario major; 10) *Alexander Algardus*, Bononienſis, Sculptor & Architectus, defunctus A. 1654, anno ætatis 52; 11) *Nicolaus Puſſinus*, Gallus, Pictor, natus A. 1594, denatus A. 1665; 12) tandem loco primum huc acceſſit, in priori Ἐκδόσει non exſtans, Biographia prolixa & accurata *Lucæ Giordano*, Pictoris Neapolitani, qui in lucem editus A. 1632, anno demum 1705 mortalitatem explevit. Ceterum veſtibulum univerſi Operis ornat ejusdem *Bellorii* ingenii doctrinæque plena Commentatio, qua *Ideam Pictoris, Sculptoris, atque Architecti, ex naturali pulchritudine, vel ipſa natura ſuperiorem*, delineavit, quamque publice quondam in Academia Pictorum Romana A. 1664 non ſine communi plauſu recitavit.

RITRATTI DI ALCUNI CELEBRI PITTORI DEL Secolo XVII &c.

h. e.

IMAGINES ALIQUOT CELEBRIUM PICTORUM Seculi Chriſtiani decimi ſeptimi, delineatæ æriqne inciſæ ab OCTAVIO LIONI, Equite; additis eorundem Vitis, ex variis Autoribus decerptis, quas quidem paſſim interſperſa Hypomnemata ſubinde illuſtrant atque emendant.

Romæ, apud Fauſtum Amidei, 1731, 4.
Alph. 1 pl. 10.

Comitem ſuperiori ſcriptioni, noſtro quidem judicio, non incommode prorſus damus præſentis libri, congemini fere argumenti, notitiam. Compos factus Bibliopola, *Amideus*, imaginum quorundam celebrium Pictorum, quas penicillo ſcitiſſime expreſſerat olim *Octavius Lioni*, ſummus item in delineando artifex, noluit illarum uſum invidere publicæ curioſitati, communesque illas reddere hinc preli beneficio decrevit. Sed, ne nudæ nimis illæ comparerent, adjungere ſtatuit iſtorum hominum Biographias, quorum, tantum non omnium, hiſtoria, jam deſcripta aliorum calamis, amatorum manibus verſabatur. Quod potius ipſi videretur illas ita repræſentare, quales earundem Autores conditas reliquiſſent, quam metalli inſtar, cum levi quadam externæ formæ immutatione, transfuſas noviterque elaboratas reddere; hoc interim negotii dedit erudito cuipiam homini, ut recenſitas ſtudioſe notulis quibusdam paſſim inſtrueret, ad calcem articuli cujuslibet relatis, quibus vel ſecius, vel imperfecte, dicta declararentur illuſtrarenturque amplius. Dubitandi nobis cauſa ulla non reſtat, quin gratiam hoc conſilio inierit a peritis Editor; qui inſuper & ad illud operam adhibuit, uti elegantiori longe jucundiorique habitu, quam de *Bellorio* ſuperius memorato factum eſt, in intuentium oculos liber iſte incurreret. Age autem, quæ ſumma ipſius ſit, jam ſtrictim ediſſeramus. Primum legitur Vita ipſius *Octavii Lioni*, Romani, decerpta ex *Joannis Baglionii Vite de' Pittori p. 321*; ſecundum *Ludovici Lioni* ex eodem, *p. 144*; tertium *Thomæ Salini*, ex eodem, *p. 287*; quartum *Chriſtophori Roncalli*, ex eodem, *p. 289*; quintum *Antonii Tempeſta*, ex eodem, *p. 314*; ſextum *Marcelli Provenzale*, ex eodem, *p. 349*; ſeptimum, *Joſephi Cæſaris d'Arpino*, Equitis, ex eodem, *p. 367*; octavum *Simonis Vouet*, Pariſini. Hujus vita, quod nullibi reperiri poſſet integre deſcripta, recens eandem conficere oportuit, advocatis in ſubſidium Autoribus, qui ſuis in ſcriptis aliquam

Digitized by Google

quam *Voueti* mentionem fecerunt; *Joachimo* nempe *de Sandraart* in *Academia Pictura erudita*; *Florentio le Comte* in *Cabinet d'Architecture, Picture, &c. Raphaele Soprani* in *Vite de' Pittori Genoveſi*, *Baglionii* libro ſæpius citato, *Perralto* in Opere *des hommes illuſtres*, *Iſaaco Bullartio* in *Academia Scientiarum & artium*, *Germano Bricao* in *Deſcriptione de la Ville de Paris, &c.* Primus hic *Vouetus*, Academiæ Pictorum Gallicæ verum bonumque artis guſtum intulit ex Italis, atque hodienum pro ejusdem inſtauratore inter Gallos celebratur; qua ex re & hoc loco memoriam ipſius breviter renovabimus. Natus Pariſiis, quod diximus, A. 1582, & a pueris a parente ad pingendi artem informatus, tantos vel juvenis in Anglia exercendo progreſſus fecit, ut jam tum miraculi inſtar eſſet intelligentibus. Poſt aliquot annos in patriam redux, abiit mox Conſtantinopolin A. 1611 in comitatu Ill. Viri, *Achillis de Harlay*, quem tum ad Imperii Ottomannici moderatorem ablegaverat Rex Chriſtianiſſimus. Multam ibi gratiam a Legato iniit Noſter, quod imaginem delineaſſet perfectam omnibus fere numeris Sultani *Achmeti I*, quantumvis inſpiciendi penitius, pro more gentis, Imperatoris vultum, difficillima valde copia exſtitiſſet. Poſt aliquam moram in Italiam delatus, Venetiis potiſſimum ac Romæ, converſis in uſum atque ad imitandum ſibi propoſitis elimatiſſimis artificum exquiſitiſſimorum exemplis, invidendos progreſſus fecit, plura etiam eorundem monumenta, quæ adhuc dum ſuperant, maximique fiunt, manus ſtitit dexteritate. Summa hinc fuit in caritate apud *Urbanum VIII*, Pontificem maximum, eoque in honore habitus ab univerſis, ut nemo non A. 1624 delatum ipſi Academiæ Pictorum Romanæ principatum congratularetur. Conceſſit tandem poſt triennium iterum Pariſios ad patrios lares, de voluntate Franciæ Regis, *Ludovici XIII*, qui titulo illum Pictoris Aulici primarii cohoneſtavit, locupletique ſtipendio impertivit. Similia emolumenta ipſi obtulit *Caroli I*, Britannorum Regis, liberalitas, quæ vero patriæ amore modeſte recuſavit, vitamque ibi clauſit A. 1641 ſexagenario proximus. Sed redeamus in orbitam. Nono loco apparet

paret vita *Joannis Baglionii*, qualem ipſe deſcripſit libro ſæpius citato *p. 401*; decimo, *Joannis Franciſci Barbierii*, decerpta ex *Vitis Pictorum Bononienſium*, Autore *Carolo Cæſare Maluaſia Tomo II p. 359*; undecimo *Joannis Laurentii Bernini*, Sculptoris, Architecti, & Pictoris famigeratiſſimi, repetita ex *Philippi Baldinuccii Notizie de' Profeſſori del Diſegno*, *Tomo ultimo*; duodecimo tandem *Caroli Maratti*, Equitis. Poſtrema hæc Biographia a *Bellorio* inſtituta, & ad annum uſque 1689 deducta fuit. Continuavit inde ad A. 1695 *Franciſcus Primerius*, mortuo *Bellorio* decrepita ætate A. 1696, & pertexuit tandem *Anonymus* idem, qui Annotationes præſenti Syllogæ adſperſit, ad A. 1713 *Maratto* emortualem.

L'ABECEDARIO PITTORICO, &c.

h. e.

INDEX ALPHABETICUS PICTORIUS, ab Autore reviſus, correctus, & auctus multis Profeſſoribus, aliisque memoratu dignis, ad Picturam ſpectantibus; ad Dom. FRANCISCUM MURAM, excellentem & præclarum Pictorem Neapolitanum.

Florentiæ, apud Georgium Ubaldi, 1731, 4.
Alph. 3 pl. 8.

Quantus labor a Lexicographis ſit exantlandus, nemo unus facile ignorat. Exemplo eſt liber hic, Italica, ſeu Hetruſca, conſcriptus lingua, in præſens multis ditatus acceſſionibus, denuoque recuſus. Haud ſufficere videbatur ſcopo præſtituto unus Index Alphabeticus, eo quod Sculptores Pictoresque, qui de arte ſua concinnarant libros, ſecernendi erant a magiſtris, qui, opere ipſo artem ſuam profeſſi, a ſcribendo abſtinuerant. Hæc perſonarum differentia cauſam Editori ſuppeditavit, ut priores priori, poſteriores poſteriori, enumeraret Alphabeto. Facile patet, Sculptores & Pictores, calamo aptos, dari

Digitized by Google

dari haud adeo multos. Qua de cauſa Alphabetum prius, ſi molem ſpectes, admodum poſteriori cedit. *Sandrarti* liber rariſſimus crebro conſultus fuit a Collectoribus, nec alii libri præſtantes fuerunt neglecti. Id nonnullis moleſtum videri poſſit, nomina evolvenda hic eſſe, quæ vocamus baptiſmalia. Ita *Alberti Düreri* vita recenſetur non in litera D, ſed in A. Ne tamen difficultatem hæc faceſſerent librum evoluturis, adjecta fuit *Pars tertia*, *quinque Tabulas* complexa. In *prima* recenſentur per ſeriem Alphabeti nomina hæreditaria, prænominibus & cognominibus poſt illa poſitis. In *ſecunda* enarrantur libri, conſcripti de Pictoribus, Sculptoribus, & Pictura, adjecto impreſſionis typographicæ anno ac loco. In *tertia* afferuntur tituli librorum, ſpectantium ad Architecturam & perſpectivam. In *quarta* recenſentur libri Pictoribus Sculptoribusque neceſſarii, iique maximam partem haud tralatitii. In *quinta* habentur ſigna Pictorum peculiaria, eorumque Monogrammata, quibus recte cognitis, Autor picturæ detegi facile poteſt. An inſcriptio libri ſit anguſtior tractatione, ex recenſione ſummæ & argumenti facillime intelligitur. Sed cur eos odiſſemus, qui plura, quam promiſerunt verbis, præſtant re ipſa? Laudandum eſt, quod vitis ſingulorum adjuncti ſint Autores, ex quibus Biographiæ fuerunt deſumtæ.

MEMOIRES HISTORIQUES ET CRITIQUES, &c.

h. e.

MEMORABILIA HISTORICA ET CRITICA, quæ ſingularia Hiſtoriæ Gallicæ, & alia nonnulla, continent, collecta a FRANCISCO OTTONE DE MEZERAY.

Partes II.

Amſtelodami, apud Fridericum Bernhardum, 1732, 8.
Pars I pl. 16, Pars II pl. 11.

Mezerajus, inſigne inter Gallorum Hiſtoricos nomen adeptus, noſtris adhuc temporibus promeruit, ut ex Manu-

 ſcriptis

ſcriptis ipſius quædam in lucem protrahantur. Hinc ante biennium prodiit *Hiſtoria Matris & Filii*, cujus Autorem tradunt fuiſſe *Mezerajum*, quem tamen libellum Cardinali *Richelio*, hiſtoriam diſſidii inter *Ludovicum XIII* & Matrem hoc modo deſcribenti, potius eſſe adſcribendum, invictis argumentis hic aſſeritur. Nunc comparent *Mezeraji Memorabilia.* Etenim, defuncto vix Noſtro, rumor erat, ipſum Anecdota V vel VI Voluminibus congeſſiſſe, unde *Colbertus* neceſſarium duxit, ut, appoſito Sigillo Regio, MSta *Mezeraji*, Bibliothecæ Regiæ ſervarentur, ubi eadem hodienum invenias. Inde producuntur hæcce *Memorabilia*, ipſius *Mezeraji* manu exarata, quæ Collectanea potius ſunt dicenda; unde confuſa plura aut aliis permixta in iis deprehendere licet. Seligemus ex iisdem nonnulla, unde judicari de reliquis facile poterit.
P. I *Alienationes* Regibus haud eſſe permiſſas, plures ſtatuunt; hinc
pag. 8. *Olduadus* teſtatur, in *Concil. 281* transactionem *Jacobi II*, Regis Balearici, A. 1343 cum *Petro IV*, Rege Arragoniæ, ab omnibus fuiſſe improbatam, quod *Jacobus* Regno ſuo Arra-
10. goniis cederet. *Amortizationes*, capto *Ludovico S.* lege publica prohibebantur, ne Clerus bonis nimium abundaret; ſub
11. *Philippo Longo* eadem Conſtitutio fuerat promulgata. *Apanagium* derivatur ab *Appenner*, quaſi liberis daret pennas, ut ex nido vel domo paterna poſſent exire, unde *Cominaeus* di-
12 ſeq. xit, *Carolum VIII* vix ex *nido proſiliiſſe*. *Appellationes quaſi ab abuſu*, contra Cleri uſurpationes circa Laicos & res ſeculares, maxime contra Pontificum tentata fuerant introductæ. Ab initio provocabatur *de S. Sede ad S. Sedem*, mox *a Sede S. & ad S. Sedem & ad futurum Generale Concilium*; apud Hiſpanos *a Papa ad Concilium, aut a Papa ad Papam melius conſultum*, item *a Domino Papa Adriano VI non bene informato ad eundem melius informandum.* A. 1502 Capitulum Eccleſ. Pariſ. appellavit *ad Dominum noſtrum Regem, Eccleſiaſticæ libertatis conſervatorem piiſſimum, & ad ejus ſupremam Parliamenti Curiam.* In Conſtant. Concilio quæſtio maxime fuit agitata, *num appellationes ad futurum Concilium eſſent licitæ*, ſed Pontifices, *Martinus V*, *Pius II*, & *Gregorius*

Digitized by Google

gorius IX, ſub anathemate eaſdem prohibuerunt, ob quam cauſam recepta fuit *oppoſitio in forma violatæ pragmaticæ, aut infractorum Canonum.* Succeſſu temporis uſitatum fuit, ut Bullæ & Reſcripta Pontificum non ante publicarentur, quam a judicibus, a Rege ad id deputatis, pronuntiatum fuiſſet, ex iisdem haud præjudicium inferri Canonibus & libertati Eccleſiæ Gallicanæ. Appellationes hujusmodi non in Gallia ſolum, uti falſo tra- Pag. 22.
dit Noſter, ſed & in Comitatu Burgundiæ, Sabaudia, Arteſia, 24.
& Anglia, ſunt receptæ; in Polonia Reſcripta Pontificum ante publicationem examinantur; in Hiſpania Bullæ Pontificum tunc demum valent, ſi Rex ſubſcripſerit: *Pareatur*; vid. *Otto* 26.
in *Notitia Rerumpubl. p. 237. Aubains* dicuntur quaſi *alibi nati*, ſive potius *Albani*, cum olim duæ ſaltem gentes peregrinæ, *Albani* nempe, ſive *Scoti* & *Longobardi*, in Gallia mo- 66.
rarentur. *Cardinales*, beneficiis Eccleſiaſticis in Gallia nondum ornati, perdunt jus Indigenatus, quia fiunt *homines Papæ*, idque contingit eodem die, quo pileum vel mitram rubram acceperunt, niſi Rex in eorum creationem conſenſerit. Cardinalem quendam ferunt reum, in quem ultimum ſupplicium fuerat conſtitutum, præſentia ſua improviſa liberaſſe, quo jure hodie Cardinales vix fruantur. *Degradationis* Cle- 92.
ricorum cerimoniæ Seculo XIV fuerunt uſitatæ, ut ſingula Clericorum ornamenta ſingulatim illis detraherentur. *Do-* 108.
talitii jus in Gallia demum ſub regimine *Philippi Audacis* fuit receptum. Ab *Excommunicatione* Reges Galliæ ſunt im- 136.
munes, forſitan quod *Carolus M.* Papam ſedi ſuæ reſtituerit; hoc privilegio niſus Gallorum Clerus, *Gregorio IV* minabatur, ſe Papam diris devoturum, ſi Regem auderet excommunicare. Sub ipſis *Capetingorum* auſpiciis opus fuit, ut cum Papa, vel ipſius Nuntio, Clerus Gallicanus congregaretur, uti Rex cenſuræ Eccleſiaſticæ rite poſſet ſubjici; ſed, rebus denuo pacatis, Excommunicationis fulmina ſedis Romanæ contra Reges Galliæ nunquam vim habuerunt; imo in Archivo Regio Bulla *Bonifacii VIII* reperitur, qua prohibitum eſt, *Regem Franciæ, vel eorum liberos, excommunicare*; quamobrem in Tractatibus, A. 1481 *Atrebati* cum *Maximiliano I*, Cæſare,

Digitized by Google

concluſis, *Ludovicus XI* huic privilegio renuntiare, & cenſuris Eccleſiaſticis ſe ſubmittere,eſt coactus, uti eo magis con-
Pag.145. ventione iſta teneretur. Pari modo *Officiales* Gallorum Regii ab excommunicatione ſunt liberi; unde ſub *Ludovico XII* Archi-Epiſcopi Rothomagenſis & Turonenſis cenſuris Officiales abſolvere,& expenſas refundere,tenebantur; ex quo col-
146. ligere licet, Decretales *Bonifacii VIII* hac in parte in Gallia non eſſe receptas; animadvertendum tamen, hæc tantum locum habere,ſi Officiales ob negotia vi officii geſta excommunicent, quod ſecus eſt,ſi in jura Eccleſiæ involaverint. San-
155. ctiſſimam Virginem Gallos *liliis* donaſſe tradunt, quod illos adamaret; hinc Patres Societatis Jeſu Ulyſſipone monſtrant Aulæum,acu a S. Virgine depictum, in quo Lilia Gallorum conſpiciantur,& P. *Ferrandus* librum exaravit,in quo oſtendit,quod
159. *Regnum Franciæ ſit Regnum Mariæ.* Olim *primogenitis* ſaltem licebat inſignibus Liliorum uti,donec *Ludovicus S.* poſtgenitis,licet cum diſcrimine quodam, illud permitteret. *Droit de Pellage* eſt vectigal de vaſis vini transportandis exigendum, forſi-
175. tan ab *appellando* ita dictum. *Droit de Cambage* eſt onus a Braxatoribus cerevifiæ ſolvendum, quod a *Camba*, id eſt, *Bra-*
P. II *xeria*,ducit originem. *Montargis* ob virtutem bellicam, con-
pag. 101. tra Anglos obſidentes comprobatam, a *Carolo VII* appellata fuit; *Montargis le Franc*, ſive *libera*, multis præterea privilegiis ditata, Domaniis Regiis adſcripta fuit; quamobrem poſtea cives nunquam paſſi ſunt,ſemet a Domaniis Regiis ſub quocunque juris vel alienationis prætextu a Corona divelli.
109. *Oſt*, *Hoſt*, ſive *Hueſt*, id eſt, *Exercitus*, derivatur ab *hoſte*, quia *contra hoſtem* convocabatur, ſive potius a voce Anglo-Saxonica, *Hoſt*, quæ pariter exercitum indigitat, inprimis vero exercitum pedeſtrem, qui ad defendendas terras erat conſcriptus; cum e contrario *Chevauchée* ſignificaret *exercitum equeſtrem*, qui ad defendendum Dominum erat obligatus.
118. Quanto honore *Curia Pariſienſis* olim fuerit ubique habita, & intra Galliæ limites, & apud peregrinos, vel exinde liquet, quod ſummi Principes exteri non dubitaverint controverſias ſuas ejusdem deciſioni ſubmittere. Hinc *Fridericus II*, Impe-

Digitized by Google

Imperator, litem cum *Innocentio IV*, Papa, circa Regnum
utriuſque Siciliæ Pariſienſi Parlamento permiſit definiendam;
Dux Lotharingiæ & *Guido Caſtilionæus* controverſiam de fi-
nibus limitrophis a Curia Pariſienſi ſibi expetebat; Delphinus
Viennenſis & Comes Sabaudiæ motus inter ſe ſubortos ob fi-
delitatem de Marchionatu Saluciarum a Parlamento ſopiri
volebant; imo A. 1403 Reges Caſtiliæ & Luſitaniæ pacem
inter ipſos concluſam a Curia Pariſienſi congregata confirma-
ri petierunt. Galliæ Reges gaudent jure *Regaliæ*, quia ſimul Pag. 145.
ſunt quaſi Pontifices Maximi, ſive *Conſervatores Eccleſiæ*, unde
dicunt: *Rex Francus, Rex idem hominum, Chriſtique Sa-* 148.
cerdos. Regence, ſive *Adminiſtratio Regni Galliæ* tribus præ-
ſertim modis conſtituta videtur, primo, cum Reges morbo
gravi laborantes, aut in abſentia ſua, curam regiminis quibuſ-
dam demandarent; ſecundo, cum Reges moribundi Regni tute-
lam quibusdam permitterent; tertio, cum, deficiente Regis
ultima voluntate, Status Regni de cura regiminis diſpone-
rent, quam optimam & *legitimam* ſibi perſuadet Autor. *Se-*
monce a *Submonitione* derivatur, & eundem habet ſignifica- 161.
tum; & *Sorne* indigitat *Serotinam*, unde vox illa provenit;
hinc *Sornois*, id eſt, *Melancholicus*. *Vaſalli* vocabulum ori- 163.
ginem trahere a *Vaillant*, autumat *Mezerajus*; & Eccleſiam
Alexandrinam fuiſſe primam, quæ, regnante *Commodo*, Impera-
tore, autoritate *Juliani*, Epiſcopi, Scholas, ſive *Univerſitatem*,
in Sacram Scripturam aperuerit, uſque ad noſtra tempora con-
tinuatam, videre eſt ex *Euſebii Hiſt. Eccl. Lib. V Cap. 9 & 10.*
Ceterum, plura minoris momenti huic Opuſculo eſſe inſerta,
quivis facile perſpiciet, unde, quod vulgo dicunt, de hoc veriſ-
ſime pronuntiatur: *ſunt bona mixta malis.*

GEORGII VIVIANI MARCHESII, FORO-livienſis, Equitis Ordinis S. Stephani, Monumenta Virorum illuſtrium Galliæ togatæ, olim Occidentalis Imperii ſedis.

Forolivii, ex typographia Pauli Sylvæ, 1727, 4.
Plag. dimid. 20.

Pergit de patria ſua bene promereri Doctiſſ. *Marcheſius*, qui nuper *Epitome Hiſtoriæ Forolivienſis*, alioque *de Forolivii Viris illuſtribus* Commentario, nominis aliquam & apud exteros famam fuit conſecutus. Promiſerat in priori, quod appellavimus, ſcripto ſingulari ſe aliquando libro percenſere velle univerſæ Provinciæ, cujus civitas eſt Forum Livii, & quæ *Galliæ togatæ* vocabulo Romanis quondam fuit uſurpata, hiſtoriam, ſigillatimque ibi Virorum illuſtrium, quos habuit omni ævo, geſta fuſe & diſcriminatim commemorare. Operam vero hanc vix aggreſſus, innumeras ſibi objici difficultates adverterat, quæ pertexere inſtitutam alacriter telam cohiberent. Infinitorum enim memoriam præter ipſum nomen ſcriptorum oblivione pene deletam offendit, indigeſtum materiarum acervum perhorruit, calamusque vel ſexcenties hæſit, quid & quo loco in tabulas referre de hominibus iſtis debeat, ſive dubius, ſive penitus ignarus. Poſtremum, non injucundum tamen futurum, majora licet de ſe exſpectantibus, exiſtimavit, ſi vel leviori ſtudio & aliquantiſper feſtinato ingentis Operis non niſi delineationem quaſi quandam præſenti libello exhiberet, aliisque, quorum intereſt, pedetentim cum tempore amplificandam perficiendamque melius traderet. Præmiſit Cl. Autor brevem licet, dilucidam tamen, *de Gallia togata* notitiam prologumve; intra quos fines contineatur illa Provincia, quot nomina olim ſortita fuerit, quas nationes & populos ab ultima inde rerum, orbe terrarum ad hunc uſque diem geſtarum, memoria aluerit foveritque, ac quibus demum ſive tyrannis, ſive dominis, ſubinde paruerit, jucunda narratione quinque paginis complexum. Ipſamet Opella in *tres* omnino *libros* juſta diſtributione diſpeſcitur; quorum ſummarium hic quaſi quoddam, more noſtro, lubet exhibere, ita quidem, uti, prætermiſſis hominibus iſtis, quorum parcior eſt apud Transalpinos nominis fama, illorum tantum rationem conſulto habeamus, qui & inter exteros præclare geſtis ſcriptisve merito ſuo innotuerunt. *Libri primi Caput I* illis Galliæ togatæ civibus deſtinatur utriusque ſexus, quibus vitæ Chriſtianæ, miraculorum, vel etiam martyrii pro Servatoris doctrina ſuſcepti,

Digitized by Google

ſuſcepti, gloria ſplendidum *Sanctorum* nomen ac cultum apud Romanæ Eccleſiæ aſſeclas conciliavit, numero quadraginta quinque. *Capite* autem *II* illi recenſentur, quos, minori veneratione dignos, *Beatorum* titulo iidem nuncupare conſueverunt, numero nonaginta quatuor. *Capite III* ſtrictim dilaudantur *Pontifices Maximi* ſequentes: *Honorius II*, *Lucius II*, *Alexander V*, *Pius V*, *Gregorius XIIII*, *Innocentius IX*, & *Gregorius XV*. *Poſtremi* denique *Capitis* ambitus *Cardinalium*, quos dicunt, ſeptuaginta ſeptem ſuccincta memoria abſolvitur. *Libri ſecundi Cap. I* occurrunt *Theologi* viginti & unus, atque inter hos præcipue *Hieronymus Savanarola*; *Cap. II Jureconſulti* triginta octo, obſcuriores fere omnes; *Cap. III Philoſophi* viginti, quorum prima citra dubium eſt gloria *Ulyſſes Aldrovandus*; *Cap. IV Medici* ſeptendecim, *Marcelli Malpighii* & *Dominici Guillelmini* ſummis meritis colluſtrati; *Cap. V Mathematici* duodecim, quos inter, velut inter ignes luna minores, eminent *Joannes Evangeliſta Torricellius*, *Jo. Baptiſta Ricciolus*, & *Euſtachius Manfredus*; *Cap. VI Hiſtorici* quindecim, quorum cœtu ſe eximunt *Jo. Antonius Flaminius*, *Leander Albertus*, *Carolus Sigonius*, atque *Daniel Bartolus*; *Cap. VII Oratores* quatuordecim, interque hos fere principes *Baptiſta Guarinus*, *Philippus Beroaldus*, *Cælius Calcagninus*; *Capite* denique *VIII Poetæ* viginti duo, quorum caput & decus *Plautus* ille Sarſinatenſis, priſcæ Comœdiæ Romanæ architectus, reliqua autem inferioris ætatis ornamenta *Ludovicus* & *Horatius Areoſti*, *M. Antonius Flaminius*, *Joannes Baptiſta Gyraldus*, *Claudius Achillinus*, & *Franciſcus Bernius*, primaria exſtiterunt. *Libri* demum *tertii Caput I* ſummi olim *Romani Orbis Domini*, *L. Ælius Verus*, *L. Aurelius Verus*, *Valentinianus III*, & *Glycerius Ravennas*; *Capite II Exercituum Imperatores* quinquaginta unus; *Capite* autem *ultimo* ſtrenui præter alios militum *Duces* omnino ſexaginta enumerantur, quorum agmen claudit, qui vitam nuper clauſit, *Aloyſius Ferdinandus*, Comes *Marſilius*.

ROBER-

ROBERTI WELSTED TENTAMEN DE VAriis hominum naturis, remediisque ad ſingulas accommodandis, ubi morbi earum, ſive ſimplicium, ſive miſtarum affines notantur, ex quibus nata Symptomatum diverſitas exploratur, ipſæque ſanandi rationes deducuntur.

Londini, impenſis Jacobi & Joannis Knapton, 1730, 8 maj. Plag. 11.

Cum, diverſam diverſorum hominum eſſe naturam, & pro ea diverſitate morborum indolem æque, ac remediorum effectus, admodum variari, inter prudentiores Medicos ſatis conſtet, habeantque ii omnino, cur in excutiendo hoc argumento multum operæ ſtudiique collocent; id ſibi negotii datum eſſe Cl. Autor credidit, ut veterem hanc doctrinam nova luce illuſtraret. Qualem vero quantamque attulerit, ut quadantenus pateat, nos, per veſtigia Autoris inceſſuri, ſummam libelli, quoad illud ſtilus aliquantum obſcurus perplexusque patitur, breviter, ipſisque maximam partem Autoris verbis, trademus. Natura hominis in propriam & communem di-
Cap. 1. viditur. Hæc a reliquis animantium generibus, illa a ceteris hominibus, ſinguli ſecernuntur. Propria natura naturæ parentum propriæ debetur, ab eademque propagatur, & variis quidem ætatum ſtadiis alias atque alias mutationes ſubit, nunquam tamen penitus deletur, neque communi etiam repugnat.
2. Tria vero propriarum genera conſtituuntur, perfecte ſanum,
3. æquo robuſtius, & æquo debilius. Primum reliquorum norma habetur. His animæ propriis ad amuſſim reſpondere ſo-
4. lent organorum naturæ, vel omnino bonæ, vel robuſtiores, vel
5. infirmiores. Naturæ integerrime ſanæ conveniunt, ſanitas perpetua, temperies æquabilis, æqua firmitas. Natura organorum bona debetur parentibus, qui ſimiles dotes, easque ætate
6. integerrima, poſſederunt. Et, quanquam rarius occurrere ſolent naturæ, quæ harum exquiſite normæ reſpondeant, hoc

tamen

tamen non prohibet, quo minus complures in hanc claſſem
referri queant, ſecundum varios earum gradus. Robuſtior Cap. 7.
natura mutationibus admodum opportuna & obnoxia eſt, ex
utraque ſive bonæ, ſivæ malæ, valetudinis parte, atque hinc ad
morbos, illinc ad integerrimam propendet ſanitatem, & pri-
ma cum ætate maximo vigore valet. Oritur ex iis parenti- 8.
bus, qui ſimilem nanciſcuntur, priusquam conſummata ma-
turitate ſubacta fuerit. Fœcundiſſima ea eſt, & in amorem
prona, morbosque habet affines, qui ex amore proficiſcuntur,
inprimis furorem; remedia etiam amoris velut ſibi maxime
accommodata requirit. Acre & ferox juventutis ingenium 9.
oſtendit, cui nec voluptates, niſi violentæ, fortiterque agitantes,
placent. Erumpit ea vis vehemens, naturæ inſita, in motus
perpetuos, præliisque ac pugnis ſe immiſcere, & in tumultuan-
tia incumbere ſtudia, geſtit. Naturis debilioribus aut tempe- 10.
ries minus æqua contingit, aut aliquis ſaltem firmitatis juſtæ
modus deeſt. In quatuor ordines commode dividuntur. Na-
tura debilior primi ordinis oritur, quando humidiora ac tene-
ra, quantum ætati convenit, organa parentum ſibi ſimilia tra-
dunt, & liqueſcentem ac humore diffluentem ſoboli vim com-
municant, laticesque una, vitarum principiis præ debilibus ce-
teris refertos. Huic reſpondet cerea ductilisque ea organo-
rum natura, quæ varie mutabilis, conſilii prudentis parum te-
nax eſt, & cujus hinc animus novo amori haud invitus ce-
dit. Natura ſecundi ordinis oritur ex ætate, quæ ſuccedit in-
tegerrimæ, ubi organa parentum ſicciora, utpote adhuc fere
vigente flamma ætatis illius temperata, ſibi ſimilia tradunt, nec
deficientem, niſi quantum pro longiori, vel breviori, temporis
inter hanc præcedentemque ætatem intervallo par eſt, vim,
nec denſos latices cum progenie communicant. Natura proin-
de organorum, quæ huic reſpondet, ad longævitatem compa-
rata acumine ceteras antecellit, ejusque animus haud ultra
modum in amorem propendet. Proxima eademque tertia, pari
ratione natura iſthac debilior eſt, ubi ſubſequente ætate orga-
na parentum jam rigide ſicca ſibi ſimilia tradunt, & ſubtilio-
rem expertemque humoris vim, cum laticibus, principiis vi-

 tarum

Digitized by Google

tarum parce præditis, communicant. Natura inde organorum, huic reſpondens, ſubtili atque obfirmatæ tenacitati inhæret. Animus dehinc non niſi ſubtilibus amoris irretitur laqueis, &, ſi quando illecebris ejus fuerit captus, curis ejusdem eripere, vel hunc in alium transferre, hoc opus difficile, aleæque pleniſſimum eſt. Quarta denique natura omnium debiliſſima eſt, quam, ætate parentum vergente, vis imminuta deſtituit. Ii craſſe humidis ex eadem organis, laticibusque reſpondentibus, laborabant. Hinc infantes ſimilia nanciſcuntur organa, paremque poſtea vis defectum per vitæ ſtadia oſtendunt. Natura dehinc organorum, huic ultimæ reſpondens, breviſſimi eſt ævi, & acumine ac ſubtilitate deſtituta & ſegnitie, ignavia afficitur. Idcirco animus, talia ſortitus organa, torpori otioſo deditus, amoris fere expers eſt. Cujuslibet ſigillatim naturæ, & organorum eidem reſpondentium indolem, & ſigna, quibus dignoſcuntur, remediaque, iis accommodata, per duodecim poſthæc Capita exponit, quæ tamen, cum fere integra nobis huc transferenda eſſent, brevitatis ſtudio prætermus. Niſi nos omnia fallunt, ex *Galenicorum* ſcholis hæc placita revocantur, quoniam quatuor naturarum ordinibus, temperamentum calidum & humidum, calidum & ſiccum, frigidum & ſiccum, frigidum & humidum, ſimilia eſſe videntur. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.
Cap. 23. Naturæ ſingulorum propriæ ætatibus mutantur, prout diverſa præſtituuntur communis hominum naturæ munera. Prima ætas vim in naturis integerrimam oſtendit, & calido humore abundat. Adoleſcentium partes, antea teneriores, ea ætate ſolidiores redduntur. Prior juventæ pars calida & humida ætas, nondum juſto robuſtior, nondum ferocior eſt. Poſterioris partis robur augetur, prout vis vel validior, vel infirmior, a parentum natura tradita fuit. Ætate matura latices calore æquiſſimo temperantur, & vehementior juventutis ferocia miteſcit, ſiccitasque accedit. Priori ætatis conſtantis ſtadio corpus magis magisque exſiccatur, & organa exacuuntur. Poſteriori autem ſiccitate, caloris plurimum experte, corpus indureſcit, & organa ſemper ſicca permanent. Ætate vergente, ſiccitas creſcenti concedit humidi-

tati.

Digitized by Google

tati. Prout deinde in ſenectute vis perit inſita, humor accedit, idemque frigidus concreſcit. In morbis itaque eo reſpicere convenit, ne quid inſitæ vi decedat, qua ad morbum devincendum opus eſt, omniaque ea remedia exulent, quorum uſus vim naturæ ſingulis propriæ debilitat, nedum iſthæc, quæ, licet alii cuivis accommodentur, ab ægroti tamen natura prorſus abhorrent, id eſt, fomites generant, ex quibus in hiſce naturis morbi oriuntur. Ex accurata naturarum cognitione intelliguntur morbi, qui cum qualibet natura affinitatem habent, & propterea facilius minorique periculo tolerantur, & remedia iis accommodata. Ad naturas igitur primi ordinis tanquam morbi affines pertinent; hæmorrhagia narium, oris, hæmorrhoides, febris, cui hæmorrhagia accedit, dyſenteria, diarrhœa, quæ, ni caveatur, deſinit in dyſenteriam & lienteriam, diabethes verus, nothusque, quorum hic leucophlegmatiæ & diarrhœæ, ille autem lienteriæ, analogus habetur; item morbi organorum, huic naturæ reſpondentium, judicandi facultatis inconſtantia, animi inſtabilitas, inſaniæ genus loquax, ubi æger ſolito audacior eſt, deliratio cum & ſine febre. Naturæ ſecundi ordinis affines habent morbos, inflammationes, hæmorrhagiis in prima analogas, febres cum inflammatione faucium, & angina, item ardentes, ac eryſipelata; ad organa autem referuntur mania, quæ non in ſtultitiam deducitur, & phrenitides ex inflammatione ortæ. Tertii ordinis naturis adſcribuntur morbi ex fœculentia orti, alvi ſuppreſſio, & ex eadem ileus, febres diuturnæ & pervicaces, morbi quidam ſcorbutici; organis autem morbi epileptici, eorumque affines ephialtici, quales aliquando contagione infecerunt, & ephemera eidem cognata Britannica, itemque catalepſis. Denique inter morbos naturarum quarti ordinis numerantur leucophlegmatia, difficultas ſpirandi, & aſthma, febris quartana autumnalis; inter organorum morbos, alienatio mentis, ſive inſipientia, coma ſomnolentum, & apoplexia, quorum utrorumque affectuum poſteriorum analogia ad febrim, ipſos aliquando comitantem, ſimul explanatur. Sunt tamen & alia naturarum genera, quæ ex hiſce naturis, atque ætatibus etiam ipſis, rur-

Cap. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 31. 32. 33. 35. 36, 37. 38. 39. 40. 42. 43. 44. 45, 46. 47. 48.

Digitized by Google

ſum variis, cooriuntur. Prout enim natura alterius parentis, e. g. craſſitie jam debilis, alii alia præditi natura, aliusque ætatis conjuncta eſt, progenies diverſa pariter erit. Hinc ex hac naturarum mixtione, affinium genera morborum quaſi confuſa aliter atque aliter variantur, & pari ratione multiplicantur. Inde vero fit, ut remedia etiam plura conquirere neceſſe habeat Medicus, ſimulque miſtarum ejusmodi naturarum affines morbos cognoſcere. Natura idcirco primi ordinis
Cap. 50. miſta naturæ ordinis ſecundi affines habet morbos; hæmor-
51. rhoides, dyſenteriam, tormina ventris ſine dejectionibus, & ra-
52. tione organorum febres, quibus phreneſis, ad delirationem prope accedens, ſupervenit. Naturis Ordin. I miſtis naturis Ordin. III affines obtingunt morbi, ſcorbutus, hæmorrhagiæ junctus, & febres ſcorbuticæ, ac ratione organorum chorea
53. Sancti Viti notha, & febris analoga. Naturis Ordin. I mi-
54. ſtis naturis Ordin. IV adſcribuntur hydrops, &, ratione orga-
55. norum, inſania hilaris. Naturæ Ordin. II mixtæ naturis Ordin.
56. III ſuſtinent dolores colicos, & ratione organorum inſaniam
57. triſtem. Naturarum Ordin. II mixtarum naturis Ordin. IV
58. cognati eſſe morbi ſolent quartanæ, inflammationis participes,
59. & ratione organorum lethargus. Naturas denique Ordin. III
60. mixtas naturis Ordin. IV affinitate attingunt Hypochondria-
61. ciſmus, & ratione organorum noctambulationes & coma vigil. Quorum omnium jam breviter enumeratorum affectuum cum dictis naturis cognationem, indeque eruendam medendi
62. viam, pluribus Autor explanat. Sed & ſæpius naturæ e tribus vel quatuor præmiſſis conſtant: Harum diverſitas ea eſt, ut quædam aperte ceteris dominentur, interdum autem æquali velut lege ſingulæ hominem temperent. Nonnunquam duæ pariter ceteras, ac tres itidem ſuperant reliquam, quarum viribus conjunctis nonnunquam fractis, miſta aut ſimplex, quæ depreſſa jacuit, natura velut reſurgit. His pariter reſpondent morbi affines. Iis aliter atque aliter conſociatis quidam dominatur, qui præ ceteris ingraveſcit. Aliquando plures complicantur. Eorum vires modo pares, modo impares, cernuntur, pro modo graduque affinitatis, quæ inter hos

&

Digitized by Google

& naturas varie miſtas intercedit. Aliquando & huic, qui primus dominabatur, ſoluto alius atque alius ſuccedit. His denique proſtratis, ultimus naturæ ægroti affinis ſemet ipſum tanquam ſubjacentem prodere ſolet. Horum vero morborum indoles ex ſupra dictis, inter ſe collatis, cognoſcitur, eidemque idonea remedia ope ingenii accommodantur.

DILUCIDAZIONI FISICO-MEDICHE, &c.

h. e.

DILUCIDATIONES PHYSICO-MEDICÆ, AD ID tendentes, ut revocetur Praxis Medica ad auream puritatem, in qua magnus Hippocrates eandem reliquit; cum aliis Operibus, ad graviſſimam hanc cauſam ſpectantibus. Tomus primus, collectus a Cel. D. DIONYS. ANDR. SANCASSANO, Inſtituti Bononienſis Sodale, & nobiliſſimæ civitatis Spoletenſis in Umbria Medico publico.

Romæ, 1731, fol.

Alph. 3 pl. 14.

Cum Medicina omnis ſine dubio Chirurgiæ natales ſuos debeat; prudentiſſimos Medicorum nunquam puduit matrem colere, quæ filiam enixa eſt, tot in univerſam artem Medicam meritis illuſtrem. Si, quod ſapientes Medici omnes uno ore fatentur, corpus humanum machina eſt, morbis ejus nemo felicius medebitur, quam qui, perſpecta ejusdem fabrica, confractas, luxatas, aut ob turbatos fluidorum motus languentes, partes apposite reſtituere vigori ſuo novit. Dubium igitur eſt, an majori beneficio genus humanum ſibi obſtringant, qui Induſtrias Chirurgorum operationes ſedulo deſcribunt, an qui Medicorum Obſervationes varias compilant. Certe pauciores in deſcribendis accurate Chirurgorum artificiis diligentiam ſuam collocarunt, cum Obſervationum medicarum copia fere laboremus. Gratias itaque Doctiſſ. Operis hujus Compilatori debemus, quod dignitate ac nomine ſuo haud inferius eſſe judicaverit, exquiſitas nonnullas, Chirurgorum in-

primis, operas uno hoc Volumine complecti, easque doctiſſimis Animadverſionibus ſuis illuſtrare. Maxima pars Operis hujus eo ſpectat, ut aquæ frigidæ virtus inſignis non in conſolidandis modo partium ſolidarum vulneribus, ſed in ſanandis etiam abſconditorum viſcerum morbis, aſſeratur. Primo loco exhibetur Elogium *Philippi Palazii*, Medici ſua ætate Celeberrimi, a *Jo. Bapt. Boccolino* deſcriptum, cum conſultum duxerit Eruditiſſ. Editor aliquam Viri ejus notitiam impertiri, cujus additum huic Volumini Tractatum, de modo vulnera per aquam ſimplicem curandi, Commentationibus atque Obſervationibus ſuis ornavit. Sequitur ipſe Tractatus, jam A. 1570 Latino idiomate evulgatus, quem excipiunt experimenta Cel. *Joſephi Zambeccari*, Illuſtriſſ. *Franciſco Redi* inſcripta, quibus explorare inſtituit, in diverſi generis animalibus viventibus, exſectis aliis atque aliis viſceribus, quæ illorum conſervandæ vitæ neceſſaria ſint. Continet porro hoc Volumen Diſcurſum *Hermanni van der Heyden*, Medici Gandavenſium nobiliſſimi, de incredibili aquæ frigidæ virtute, ſive epotetur, ſive exterius, vulneribus inprimis, applicetur; quem comitatur Decas Obſervationum ejusdem argumenti, a Cel. *Sancaſſani* Illuſtriſſ. *Jo. Bapt. Vernæ* inſcriptarum, qui ſequenti Opuſculo in rationes harum Obſervationum prolixius inquirit. Sequitur *Magatus* redivivus, hoc eſt, methodus non ſolum vulnera, ſed etiam internos corporis humani morbos, feliciter ſanandi; qui Tractatus uberius explicatur adjecto Opuſculo, quod Romæ prodiit ſub titulo *Marii Cechini Bilanx*, ad explorandum, an Cel. *Magati* methodus vulnera curandi præferenda ſit hactenus uſitatæ. Ejusdem fere argumenti eſt ſcriptum ſequens, quo compendium novæ hujus methodi Cel. *Magati* exhibetur, quam uberius illuſtrat Doctiſſ. Editor *Sancaſſanus* in ſubjectis quinquaginta Obſervationibus Chirurgicis, ex Operibus *Magati* hujus extractis. His affine eſt, quod idem Cel. Editor ex Obſervatione Doctiſſ. *Peyronie* porro deducit, paradoxum Chirurgicum. Literæ *Joſ. Mariæ Bachetoni*, quæ decimo tertio loco in hoc Volumine comparent, methodum docent ob ſimplicitatem

com-

Digitized by Google

commendandam. curandi ægros, poſtquam lapides ex veſica extracti fuerunt. Ultimo denique loco *Sancaſſani* argumentum atque diſpoſitionem Operis modo laudati, quod verus *Magati* redivivus inſcribitur, exhibet. Noſtrum jam eſt, ut ſalivam Lectori moveamus adeundi hoc Opus, varia eruditione refertum, vel compendia horum Operum exponamus, vel nonnulla, paſſim in illis occurrentia, quantum per inſtituti noſtri rationem licet, delibemus. Merito itaque intactum relinquimus præmiſſum reliquis *Boccolini* de vita *Phil. Palazii* Commentarium, cum, præter diverſa eruditorum primi ordinis teſtimonia, de virtute hominis ac ſapientia pauca admodum notatu digna in illo occurrant. In ſequenti Tractatu laudatus *Palazius*, aquæ communi certiſſimam vulnera ſanandi virtutem aſſerens, etiamſi capiti, ſive cum fractura cranii, ſive absque eadem, inflicta fuerint, arguit, multo felicius hoc ſucceſſurum eſſe, ſi elementaris aqua, ut ait, inveniri poſſet. Sed, cum inter tot orbis noſtri diverſa aquarum genera nullam prorſus ſimplicem, nec alienis particulis imprægnatam, experiamur, illam ſeligere par eſt, quæ ad ſimplicitatem hanc proxime accedat, ſiquidem ſapor, aliæque qualitates ſecundæ, ut vocant, facile prodant, an propoſitum aliquod aquarum genus vel nimis impurum, vel ſatis defæcatum ſit. Aqua enim, quæ vel ſolarium radiorum virtute, vel ignis noſtri culinaris ope ex herbis extrahitur, ex quatuor elementis compoſita, neque illo frigore ac humiditate dotata eſt, quam propoſito ſuo aptam Autor requirit. Neque aquæ deſtillatæ, aut eadem teſta cum variis corporibus coctæ, rectius fini huic inſerviunt. Optimum aquarum genus, & ab elementari proxime diſtans, illud judicat, quod ex effoſſis in terra puteis hauritur, quod ipſe *Hippocrates* ob inſignem mox refrigerandi virtutem & levitatem vehementer commendat. Imbuuntur hoc aquarum genere fila tenuiſſima linea, vel cannabina, vulneribus applicanda, licet hæc illis, ob præſtantiorem vim exſiccandi vulnera, quodammodo præferenda eſſe videantur. Conducit autem, ſive cannabina, ſive linea fuerint, puriſſima, nec aliquo ſqualore fœda, ſeligere, ex parte induſii humani, viri

potius,

Digitized by Google

potius, quam fœminæ, ut nulla ſit menſtrui humoris ſuſpicio. Quærentibus, an ſæpius fila hæc imbuta aqua permutare liceat, an ſemel per diem illa vulneribus applicaſſe ſufficiat, reſpondet, omnem medendi virtutem, quam aquæ tribuit, in eo ſitam eſſe, ut frigus & humiditatem vulneribus inducat, unde facile prudens Medicus judicaturus ſit, an tollere ſubinde, an per aliquod temporis intervallum humectatas illas lacinias vulneri applicatas relinquere, par ſit. Addit hiſce Cel. Editor ac Commentator, ob temporum, quibus *Palazius* vixit, rationem, eorumque tenebras, condonanda ipſi nonnulla eſſe, ſiquidem omnino ſuperſtitionem oleant, quæ de ſanguine menſtruo, numero laciniarum, quibus vulnera ligantur, earum figura,&c. ſcrupuloſe præcipit, quæ a genio Seculi noſtri, nugas ejusmodi faſtidientis, vehementer abhorrent. Certe, cum ejus temporibus multi Medici inſignem aquæ frigidæ in ſanandis vulneribus virtutem experirentur, plures, ineptis ſuperſtitionibus aſſueti, nil niſi ſpectra ſomniabant, magici aliquid remedio huic ſimpliciſſimo ineſſe arbitrati, maxime cum nonnulli prolatas obſcure barbaras voces quasdam uſui ejus immiſcerent. Erant tamen jam illis *Palazii* temporibus alii ſagaciores Medici, nec verebatur inter alios *Andr. Baccius*, Vir eruditus, divinum illud, quod in hoc remedio vulgus Medicorum ſuſpiciebat, publica voce exſibilare, laudans diſerte inſitum naturæ robur, atque ad illas cicatrices reſpicere jubens, quæ non alio medicamine obducuntur, quam quod labiorum ejus ſuperficies externa ab excrementis pura conſervetur. Cl. *Jo. Argentarius* cujus doctrinam ſcripta, quæ poſteritati reliquit, teſtantur, non alia ratione vulnera per aquam frigidam ſanari atque exſiccari, contendit, quam quod aqua, ob ſimplicitatem ſuam partes, quibus applicatur, haud offendens, ſordes, in vulneribus generatas, leviter ac placide detergat. Prohibet propterea, ne lacinia, quibus circumligantur vulnera, ſæpe nimis removeantur, ne aer forte ingrediatur, qui naturale partium læſarum temperamentum corrumpit, ac putredinis cauſa eſt. Antiquis Medicis jure meritoque exprobratur, quod vulnera ſæpius ligamentis nudantes, eaque libero aeri ita expo-

ponen-

ponentes, graviſſimorum malorum cauſa exſtiterint, ſiquidem illo quaſi veneno tingantur. Alii, laciniis aqua imbutis acceſſum aeris impedientes, tantum non miracula ediderunt, quæ incantationis ſuſpicionem ipſos apud imperitos induxerunt. Sed miſſa hæc facientes, tranſimus ad ſequentem hujus Voluminis Tractatum, quo Doctiſſ. *Sancaſſanus* experimenta Doctiſſ. *Joſephi Zambeccarii*, in diverſis viſceribus ex vivis animalibus diſſectis inſtituta, illuſtrat. Præfatur Opuſculo huic Eruditiſſ. Editor, quærendo ex Cel. *Zambeccario*, an poſſibile arbitretur, ut animal, cui ſacculus iſte pendens ex inteſtino ileo, & a parte dextra adhærens colo, ita, ut materiam fœculentam, ab ileo acceptam, colo infundat, exſcinditur, ſoſpes ac incolume vivere poſſit, nec ne; an, poſtquam humor aqueus æque ac vitreus vel cryſtallinus ex oculo effluxerunt, humores illos ſolius naturæ ſibi relictæ opera reduci poſſe, autumet? Reſpondet *Zambeccarius*, experientiam teſtatus, ſe canibus pluribus, avibus, ac gallinis illam inteſtinorum partem ex voto exſcidiſſe, animali ſemper ſoſpite ac incolumi. Exiguum enim hujus Appendicis inteſtinorum uſum, & non alium fere eſſe, quam dum in utero materno animal vivit, ubi ſacculus iſte omnino fœcibus multo magis refertus eſſe invenitur, quam poſtquam animal a matre excluſum eſt. Quod ad alterum *Sancaſſani* dubium de humoribus oculi ſponte ſua renaſcentibus attinet, ipſam rurſus experientiam teſtatur, ſe plus vice ſimplici, perfoſſa tunica cornea, humori aqueo exitum ex oculo paraſſe, ſed non modo vulnus tunicæ huic inflictum mox, obducta cicatrice, feliciter ſanatum, ſed ipſum etiam humorem brevi tempore reſtitutum fuiſſe. Fatetur tamen, hoc ipſum ſe in humoribus vitreo & cryſtallino nondum expertum eſſe, verum, ob reſtitutum ex voto humorem aqueum, ſe, non vana conjectura inductum, idem de cryſtallino & vitreo aſſeruiſſe. Suffulciri illam eo quoque argumento arbitratur, quod cataracta ex ſua opinione non ſit pellicula humori cryſtallino obducta, ſed potius univerſi humoris quædam obſcuratio. Prouti itaque, ſanata cataracta, humor cryſtallinus ex ſemine vitrei renaſci videtur, ita nulla ratio apparet,

Digitized by Google

cur ipſe humor vitreus ex aliis oculi partibus fluidis reſarciri nequeat. Dubium certe non eſt, ſingulos hoſce humores ſuis alimentis enutriri, nutritionem vero aliquam generationis ſpeciem eſſe, omnes rerum naturalium periti uno ore fatentur. Hiſce præmiſſis, Cl. *Zambeccarius* auſpicatur Opus ſuum, narrando experimentum, quod in pluribus canibus cepit, exſecando ipſis lienem. Teſtatur autoritatem Celeberrimorum Virorum, quorum nomina adducit, quibus præſentibus ipſi fere nunquam non feliciſſime res ſucceſſit, quicquid cauſæ huic antiquorum Medicorum nonnulli obſtrepant. Sæpius repetita Cel. *Zambeccarii* experimenta indubie demonſtrant, paucos canes, quibus debita induſtria lien exciſus fuit, mori, ſed non modo vivere, verum etiam ſanato vulnere lætam vitam agere, atque viſcere hoc ſpoliatos generis propagationi nihilominus aptos eſſe. Mirum profecto, Cl. *Diemerbræckium* contrarium diſerte affirmaſſe, cui conſentit Doctiſſ. *Havers*, hanc rei rationem adducens, quod lienis uſus ſit, mucilaginem illam ſeparare, qua humectata ac lubrica membra motui aptiora ſunt, cum ſecundum ejus ſententiam animalia liene privata tarda ac oſcitantia, & ad generandum prorſus inepta eſſe ſoleant. Deſtinaverat Cl. *Zambeccarius* hæc experimenta illi maxime propoſito, ut exploraret, cui uſui viſcus hoc in animalium corporibus inſerviat. Ingenue autem fatetur, hac experientia ſe edoctum eſſe, quod *Galileus* diu ante ſtatuerat, viſceris hujus uſum, inter fruſtra a Philoſophis noſtri temporis quæſita, referendum eſſe. Ne tamen quid intentatum relinqueret, conſultum eſſe duxit, canem, cui ante ſex & dimidium menſem lien exſectus fuerat, cum aliis canibus, quorum integra erant viſcera, accurate comparare. Nihil vero ſingulare ſe deprehendiſſe in illo teſtatur, præter tuberculum glanduloſum, nucis magnitudine, ſcatentem aliqua liquoris albi & lactei ſpecie, eo loco natum, ubi vaſis brevis radices ſtomacho inſertæ ſunt. Cum duos alios canes, quibus ante quatuor menſes lien exſectus fuerat, ſecaret, nihil huic tuberculo ſimile ſtomacho ipſorum aſſutum deprehendit, ſed omnia viſcera alterius perfecte ſana erant, licet nullum veſtigium aut vaſis

brevis

Digitized by Google

brevis, aut aliorum vaſorum, quæ ſplenica vulgo vocantur, in abdomine ejus appareret. In altero quoque tum vas breve, tum reliqua ſplenica vaſa deſiderabantur, & præterea omentum diverſis peritonei, renum atque ſtomachi, locis alligatum erat. Pars quoque hepatis, quæ ſtomacho incumbere ſolet, fortiſſime ſtomacho alligata, atque carnoſæ ejus parti ita implicata erat, ut absque dilaceratione ab ea diſſolvi non poſſet. Cum lienis exſectio feliciter ita atque ex voto Autori noſtro ſucceſſiſſet, in renibus quoque periculum facere ſtatuit, maxime cum eruditi Medici nonnulli referant, ſe quandoque non niſi unicum renem in animalibus cetera ſanis atque bene conſtitutis obſervaſſe, qui utriusque officio optime defunctus ſit. Canem igitur marem aſſeri alligabat, atque, raſa & ſciſſa pellicula exteriori, ut acceſſus ad peritoneum ipſi pateret, eo temporis momento, hoc ſcindebat, quo animal aerem inſpiratum reddebat, quia eo tempore diaphragma recedit, neque niſu ſuo viſcera in abdomine contenta premit Monet enim Cl. Autor, qua ſolertia opus ſit in ſcindendo peritoneo, ne ventris inferioris inteſtina forte lædantur. Poſt primam hanc ſectionem, inſerto digito membranam iſtam quinque transverſorum digitorum intervallo in longum dilacerabat, procedentibus confeſtim per hoc oſtium omnibus inteſtinis, atque cœptum laborem vehementer impedientibus. Admovens tamen, ſepoſitis placite inteſtinis, renibus manum, membranam adipoſam non ſine difficultate ab ipſis ſeparabat, ſiquidem ſatis conſtet, membranam hanc arctiſſime renibus implexam eſſe. Nudatum vero ita renem commode ſatis ex ventre extrahebat, atque apte ligatum vas ureteris a parte verſus renes abſcindebat. Unde deinde faſciculo arteriam & venam emulgentem atque reliqua omnia vaſa, quæ renibus infiguntur, complectebatur, ut commode alterum ex renibus reſcindere poſſet. Poſtquam elapſa inteſtina abdomini reddiderat, vulnus ſcite conſutum ſpongia aqua frigida imbuta abſtergebat, ut videretur eventus auſis reſpondere, atque ſpes eſſet, animal ſoſpes ac in vita ſuperſtes futurum eſſe. Sed ſeptimo poſt captum hoc experimentum die animal mortuum eſſe inveniebat, nec Cl.

Digitized by Google

Autori, ut animus ipſi fuerat, corpus ejus curioſe inſpicere licebat, cum ſervorum quidam, beſtiam mortuam inveniens, intempeſtiva induſtria illam confeſtim in præterlabentem fluvium projeciſſet. Non tamen propterea animum ſolers hic naturæ ſcrutator ita deſpondebat, quin experimentum poſt non ita multo, in cane fœmina repeteret, quam cum altero renum laudata ſolertia ſpoliaſſet, ipſa feliciter ſupervixit. Requirit hæc Chirurgica opera attentionem & induſtriam ſingularem, ſed nobis, ob anguſtos, quibus excerpta circumſcribuntur, cancellos, omnes circumſtantias ſatis curioſe illis exponere, quibus ejusmodi experimenta repetere animus eſt, haud vacat. Id quoque cauſæ eſt, cur nihil ex Additamentis & Annotationibus, quibus *Zambeccarii* experimenta Doctiſſ. Editor exornat, excerpamus, maxime cum illa eo tantum ſpectent, ut in ſuam rem ad commendandam remediorum, aquæ frigidæ inprimis, ſimplicitatem vertat, quæ de vulneribus brevi tempore obductis referuntur. Neminem profecto pœnitebit ipſum *Zambeccarii* Tractatum evolviſſe, quo accurate admodum exponit, qua ratione, repetito ſæpe ſæpius experimento, invenerit, poſſe animal, cui alter renum exſectus eſt, ſalvam ac incolumem vitam agere. Digna inprimis eruditorum attentione ſunt, quæ, parte hepatis, inteſtino ileo, aliisve inteſtinornm partibus, in animalibus diverſi generis exſciſſis, expertum ſe eſſe teſtatur, atque fidem fere ſuperant, quæ de humore aqueo, ex oculo canis vivi exhauſto, atque ſolius naturæ beneficio ita reſtituto, ut nec excœcaretur animal, nec aliquid detrimenti inde caperet, prolixius refert. Sequuntur in hoc Volumine experimenta, quibus Cl. *Franciſcus Redi* virtutem aquæ certi generis explorare inſtituit, quam ſanguinis ex quavis corporis humani parte pullulantis fluxum confeſtim ſiſtere, prædicabant. Obtulerat nonnemo magno Hetruriæ Duci vas, ejusmodi aqua clara, limpida, atque prorſus inſipida, plenum, qui veritatem intelligendi cupidus, id negotii prudentiſſimo Medico, *Franciſco Redi*, dedit, ut, inſtitutis accurate experimentis, liquoris efficaciam ſub examen revocaret. Hoc Opuſculo, quid experientia ſe docuerit, candide

expo-

exponit, ingenue faſſus, magnæ expectationi haud reſpondiſſe eventum. In ſequenti Tractatu, ex Latina lingua in Hetruſcam a Cl. Editore converſo, Eruditiſſ. *Hermann. van der Heyden* aquæ frigidæ virtutem inſignem non modo in obducendis vulneribus externis, ſed etiam in ſanandis vitiis internis viſcerum corporis noſtri, vehementer commendat. Experimenta frequentia quibus ſententiam, ſuam adſtruit, aquæ frigidæ omnino potentiam omnis generis morbos profligandi vindicant, cum nullum fere morbi genus ſit, quod non ejus auxilio feliciter ſe ſanaſſe contendat *Heydenius*. Non aliud certius remedium ſe inveniſſe ad arcendum a corpore noſtro malum arthriticum obteſtatur, quam ſi bis per annum, verno atque autumali tempore, diebus nonnullis ſumatur, atque vena ſimul prudenter ſecetur. Addit inter alias Obſervationes *Sancaſſanus*, nuperrime accidiſſe, ut Venetiis quidam equeſtris ordinis atrociſſimis capitis doloribus torqueretur, fruſtra accurrentibus Celeberrimis urbis ejus Medicis, atque omnem artem ſuam ad leniendam mali gravitatem incaſſum adhibentibus. Ægro in mentem forte veniebat, ſe curaturum, ut caput ſuum tonderetur, quod vehementer improbabant Medici omnes, graviſſima mali incrementa minati. Diſcedentibus vero Medicis, pertinax in propoſito ægrotus, cum atrociſſimos dolores ferre amplius neſciret, arceſſebat Armenum quendam tonſorem famoſum. Ante vero caput aqua frigida abluebat, confeſtim ſentiens dolorum aliquod levamen, quos plane ſublatos eſſe, poſt non ita multo experiebatur. Redeuntes Medici, cum ægri meliorem conditionem mirarentur, illamque medicaminum ſuorum virtuti jactantius tribuerent, revocantes ipſi in memoriam, quantum periculi incurſurus fuiſſet, ſi caput ſibi tonderi curaſſet, ille nudans pileo caput, ſuamque calvitiem oſtentans, omnes in pudorem agebat. Sufficiant hæc, ut ſalivam Lectori moveamus, ipſum Cl. *Sancaſſani* eruditum Opus adeundi, ut, quanta ſit ſimpliciſſimorum remediorum, aquæ inprimis, efficaciæ, plenius diſcant.

TRATTENIMENTI MATEMATICI, &c.

I. e.

DOMINICI LUCHINI DELICIÆ Mathematicæ, quibus continentur Tabulæ Gnomonicæ, Deſcriptioni Horologiorum ſolarium omnis generis Horizontalium, verticalium, declinantium, & portatilium, in quavis Poli altitudine, & horarum cujusque generis, Aſtronomicarum, Babylonicarum, Italicarum, &c. inſcriptioni inſervientes: una cum brevi Deſcriptione praxeos univerſæ Geometriæ & Trigonometriæ, tam Sphæricæ, quam Planæ; Quæſtionibusque & Problematibus Aſtronomicis Chronologicisque, ad Calendarium Eccleſiaſticum pertinentibus, ope Tabularum Logarithmicarum facili modo ſolvendis.

Romæ, ex officina Monaſterii, e regione Seminarii Romani ſiti, 1730, 4 maj.

Alph. 4 pl. 2, cum Tabb. æn. 14.

Nec utilitate, nec voluptate, carebunt Lectores poſt librum hunc pervolutum, tum ob evidentiam expoſitionis, tum ob regularum præſcriptarum concinnitatem, tum ob generales, & uti locis, ita & horis, omnibus accommodatas propoſitiones, quas juſta ſerie copulatas complectuntur Partes Operis duæ, mole inter ſe æquales, quarum altera præter practicam Geometriam & Trigonometriam Gnomonica & Aſtronomica præcepta utiliſſima, altera Tabulas Gnomonicas Logarithmicasque, & ad uſum earundem expeditiorem apprime facientes Annotationes, impertitur. Jacturam omiſſarum Demonſtrationum, quibus veritates Geometricæ, Trigonometricæ, Aſtronomicæ, Gnomonicæque, hoc Volumine comprehenſæ, ab aliis ſunt firmatæ, reſarcire quodammodo poteſt inſignis, qua Autor in illis explicandis uſus eſt, perſpicuitas, quæ ſufficit ad errores omnes a praxi encheireſeon, hic traditarum, arcendos. In ipſo Operis concinnandi negotio ductum exemplaque tum *Clavii* in *Horologiorum novæ Deſcriptionis Capite XXIV & ſequente*, jam A. 1599

Digitized by Google

1599 ſuppeditata, tum illis uſorum P. *Hippolyti Sali* primum, deinde P. *Angeli Mariæ Colomboni*, Olivetanorum, tandemque Principis *Caroli Mariæ Caraffæ di Butera* fideliter ſe eſſe ſecutum, ultro profitetur, quorum ad conſilia & imitationem ſe compoſiturus, Tangentibus, ſeu umbris Horizontalibus, & Verticalibus in laboris facilitandi ſubſidium vocatis, per Azimuthi, ſeu circumferentiæ horizontalis, atque ſolis altitudinum gradus computum tabularum abſolvit, in eo ſolum a *Clavio* aliisque Autoribus diverſus, quod initium numerandi gradus Azimuthi non a puncto meridionali verſus horas pomeridianas primum, deinde ad antemeridianas demum pergendo, ſed, quo brevitati & concinnitati ſtuderet, a puncto boreali in linea meridionali cepit, a horis matutinis meridiem verſus ad veſpertinas tranſitu facto, quo latitudines ſupputandi modo effectum ſane eſt, ut, quæ ab aliis vix viginti regulis includi atque circumſcribi potuerunt caſuum diverſitates, ea hic unica comprehendantur omnes, egregio in exercenda hac elegantiſſima arte compendio, & amatorum ejus, delineationis operam ſuſcipientium, commodo. Quod ad Tabulas ipſas, Operis partem pretioſiſſimam conſtituentes, attinet, calculos pro ſingulis gradibus elevationis poli ad deſcribendas in plano quocunque horas 1) Aſtronomicas easque, quibus nos per Germaniam plerumque numerare diurnum tempus nocturnumque conſuevimus; 2) Italicas & Babylonicas, ab occaſu & ortu ſolis ipſo numerandas; 3) Italicas, ſonitu campanæ indicari ſolitas, quouſque in locis illius latitudinis uſui eſſe poſſunt, tandem & 4) antiquas ſeu inæquales dictas ſubduxit, labore, quo operoſiore, eo laudabiliore, defunctus. Succedunt his & aliæ Tabulæ, tum ad Aſtronomiam, tum ad Trigonometriam, propius pertinentes, de quibus, uti aliunde ſatis cognitis, fuſius in præſenti dicere nihil attinet. Dicatus eſt liber Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo Principi Cardinali, *Antonio Banchieri.*

C. A. S. A. S. P. OBSERVATIO NUPERrimi Defectus ſolaris, qui contigit A. 1734 die 3 Maji.

Nuper

Nuper in caſtro Illuſtriſſ. D. *Franciſci Antonii*, Lib. Bar. *de Tonſern*, *Litenſchitz* appellato, non longe a civitate Cremſirio poſito, ſub Elev. Poli. 48°, 50′, 12″, ſito in Marchionatu Moraviæ, favente cœlo, obſervavi ope tubi optici, quatuor convexis vitris inſtructi. Eclipſin ſolis, quæ incidit in diem 3 menſis Maji. Ejus deprehenſum fuit

TAB. II Fig. 1. Initium hor. 11, 15′, 30″, ut exhibet Fig. 1.

2. Maximæ Obſcurationis phaſin dat Fig. 2.

3. Totalem Emerſionem hor. 12, 1′ - 20″. Fig. 3.

DELL' IGNORANTE SENZA SCUSA &c. h. e.

DE INEXCUSABILI BONARUM ARTIUM ATque Literarum ignorantia. Libri tres P. JO. PROSPERI DE S. UBALDO, Clerici Regalis Scholarum piarum, Lectoris S. Theologiæ in Collegio Urbinate, & Academiæ Attonitorum (Aſſorditi) Socii.


Urbini, in typographia Ven. Capellæ S. Sacramenti per Anton. Fantauzzi, 1730, 4.

Alph. 1 pl. 7.

Præfationis inſtar eſt *Caput primum*, ubi de fine, idea, & methodo Operis agitur. Cum uniuscujusque hominis ſit, docere, quæ ſciat ipſe, alter neſciat, eaque res ad honorem Dei & communem & utilitatem pertineat, hunc ſibi finem etiam propoſuit Rev. Autor, cepitque conſilium, oſtenſo, ignorantiam excuſationis expertem eſſe, excitandi ignaros ad deponendam ruditatem, ceteris autem ſubjiciendi ſtimulos ad perſequendum alacriter literatum laborem: propoſuitque ſibi, quem ſequeretur, *Paulum Segnerum*, cujus *Incredulitas inexcuſabilis* (ita malumus Latine dicere, quam *Incredulum* aut *ignorantem inexcuſabilem*,) & exemplo ſibi fuiſſe fatetur, & defenſionem præſtare contra reprehenſores poſſe ſperat, licet, ad reliquam illius Viri in laudato ipſo Opere præſtantiam adſpirare ſe, modeſte neget. Opus ſuum ita dividit, ut primo Libro agat de natura atque


Initium obſervationis

Fig: I.




Obſcuratio maxima

Fig: II.



totalis emerſio

Fig: III.



Digitized by Google

atque origine ignorantiæ, de diviſione illius in vincibilem atque invincibilem, quarum illa excuſatione caret. Tum ad Cap. 2, 3, 4.
rem aggreditur, & illam excuſationem, quam a ſe ſuoque ingenio petunt quidam rudes omnium rerum, cum dicant, ſe & 5.
naturali illo, qui alios impellit, ſtimulo, & ingenio carere, quo ad rem feliciter gerendam opus ſit: hancque excuſationem 6.
in Deum ipſum eſſe injuriam, contendit, neque minui ejus abſurditatem, ſi pro Deo, a quo ſe neglectos quidam dicant, na- 7.
turæ nomen ſubſtituatur. Hæc Libro primo, e quo illud hic Pag. 43.
obſervare liceat, repeti ab illo, non probari, quæ vulgo de ingeniorum varietate, a locis ac temporibus natalibus derivanda, feruntur. De locis, ut, quo qui polo ſeptentrionali (quidni & auſtrali?) viciniores ſint, eo naſcantur ſtupidiores, obtuſiores, & agreſtiores; intra tropicos editi nimium ſint calidi, leves, & ad majus quoddam ſtudium inepti; felices ſoli, qui interjectis inter extrema iſta climatis exoriantur. De temporibus forte minus vulgaria, ſed magis forte abſurda: qui hiberno frigore naſcantur, illos eſſe ſterili ingenio; amœno autem, quorum ver primos vagitus exceperit; vividos & calidos, qui æſtate in lucem prodeant; qui autumno, mediocres. Tum, qui die edantur, eos ſereno & candido ingenio eſſe; obſcuro, qui nocte. Ita montium altitudo, ut ad loca redeamus, ſublime conciliat ingenium, depreſſæ valles humilitatis ſuæ aliquid mentibus naſcentium affricant: capacia ſiunt ingenia eorum, qui in planitie nati ſunt, phlegmatici & minime emunctæ naris homines, quos maris primum vapor afflavit. Sed non is eſt Autor noſter, qui talia probet, ſed ad educandi potius rationem refert majorem illius diſcriminis partem. Libro ſecundo oſtendit Autor, non ita difficiles eſſe artes bonas, ut deterrere homines, aut excuſationem illis præbere debeant, idque, per genera eundo, totidem Capitibus de Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Poetica, Philoſophia rationali, Metaphyſica,
Theologia, & reliquis, declarat. Videamus de Theologia. Cap. 7.
Nemo ſublimitate, & reverentia, quæ debetur huic diſciplinæ, deterreri debet, quo minus illam tractet. Non nego, inquit,

Autor, ſublimem eſſe. Lepidum *Dantis* ingenium, ſicut Lunæ comparavit Grammaticam, Dialecticam Mercurio, Rhetoricam Veneri, Arithmeticam Soli, Marti Muſicam, Jovi Geometriam, Aſtrologiam Saturno, Phyſicam Stellis, Galaxiæ Metaphyſicam, Cryſtallino cœlo moralem doctrinam: ita acute Empyreo cœlo Theologiam aſſimilavit, quæ reliquas diſciplinas omnes, nobilitate objecti, & certa principii veritate, ſuperet. Inde tamen non efficitur, plane ſuperari ab illa naturales mentis noſtræ vires, modo illa fidei luminibus roboretur, ad quam pervenire licet, quicunque obturare nolit aures ad vocem S. Eccleſiæ. Hinc infidelis nemo poteſt eſſe Theologus, ut ait *Hilarius*: *A Deo diſcendum, quod de Deo intelligendum ſit.* Poteſt contra ea eſſe Theologus, quicunque vere eſt Catholicus, ſi poſt fidem ſuſceptam poſſit & velit levem ſuſcipere laborem quærendi & audiendi ea, quæ de his, quæ fide percepta ſunt, argumentantur Theologi, aut Polemici, aut Scholaſtici, aut Morales, quæ quidem non longe quærenda ſunt, cum oculis ſe auribusque ubivis ingerant. Percipi autem iſta poſſe, documento ſunt ſummi Theologi, quos hoc ordine nominibus ſuis laudat, *Dionyſii*, *Theodoreti*, *Clementis Alexandrini*, *Tertulliani*, *Arnobii*, *Athanaſii*, *Lactantii*, *Euſebii*, *Pamphili*, (disjunxit enim Autor amica nomina, nec male,) *Baſilii*, *Origenis*, *Chryſoſtomi*, *Damaſceni*, *Nazianzeni*, *Hieronymi*, *Auguſtini*, *Ambroſii*, *Gregorii Magni*, & tum demum *Cypriani*, *&c.* Sequuntur Scholaſtici quidam, & ex eorum, qui nunc vivunt, vel nuper fuerunt numero, illuſtriſſimi tres Cardinales, *Alvarus Ciufuegos*, *Angelus Maria Querini*, & *Vincentius Gotti.* Qui omnes docent, non eſſe *ἀνέφικτον* Theologiam, ſed inſtar habere altorum montium, qui procul intuentibus in acutum faſtigium videntur exire, propius accedentibus latum & capacem habere verticem deprehenduntur. Si quis forte expectet Lector, exponi hic difficultates, quas cauſentur ignorantiæ fratres & patres, linguarum ſanctarum rationes abſtruſas, antiquitatis omnis cognitionem, encyclopædiam quandam, quæ undique arceſſat ſacræ

doctri-

Digitized by Google

doctrinæ præſidia, ille fallitur, & aliorum mores ad noſtros refert. Ne tamen plane ea de re tacere putemus, ſubjicietur diſputatiuncula quædam de Scholaſtica Theologia: *Non poteſt celari*, inquit Autor, *eam factam eſſe labyrinthum veriſſimam & inextricabilem —. Hujus rei ſi quis a me finem quærat, reſpondeam, me neſcire, ſed pie tamen credere, factum eſſe ideo, ut ſuppeditaretur ingeniis occaſio, in qua ſubinde magis acuantur, quo facilius deinde in majorem ſe rerum cognitionem penetrare poſſint. Abeſſe a me illam mentem Deus jubeat, ut unquam excidat mihi de recentioris ætatis Doctoribus, impleta ab illis & ſtipata volumina ſua acervis infinitis Controverſiarum innumerabilium, pertinentium majorem partem ad nominum ſignificatus, idque factum ſola contradicendi libidine, eaque re in ſtultum furorem abreptos partium ſuarum & diſciplinæ ſtudioſos. Deus, inquam, illam a me mentem probibeat, nunquam ego vel ſuſpicari auſim, regnaſſe, aut regnare adeo in animis ſapientium & religioſorum bominum; quin vel in umbra eorum, malignum illum contradictionis ſpiritum, multo minus invidiæ. Atque nuper adeo vehementer me excandeſcere memini, cum iſta ex aliis audirem. Heus, dicebam, quis vos docuit audacter adeo murmurare contra Theologos? O Caini, Iſchariotæ, Scribæ, Phariſæi, linguæ parricidiales. Iſta cum turbido vultu, dentibus infrendens, dixiſſem, tergo obverſo fugi.* Ignorantiæ Theologicæ ſpecimen profert Pl. Rev. Autor illud, ex quo totius generis rationem vult intelligi. In diſputatione Theologica is, qui Adverſarii (Opponentis) perſonam ſumſerat, laudabat, elogiis quibusdam præmiſſis, quæ non niſi Catholicis viris tribuuntur, *Jacobum Piccininum*, nobilem hujus ætatis hæreticum, ſuæ patronum ſententiæ. Hic obmuteſcente diſcipulo, (quem nos Reſpondentem vocamus,) Lector, (noſtris moribus Præſes,) *Veneror*, inquit, *Clariſſimum Piccininum, ejus tamen doctrinam, cum noſtræ adverſetur, minime amplector.* Cui Adverſarius, poſita perſona, *Ego vero*, inquit, *minime veneror ſceleſtiſſimum bæreticum, nec aſſentior proſcriptæ men-*

Pag. 143.

Digitized by Google

Cap. 2. titaque ejuſdem doctrinæ. Sed etiam tertii Libri argumentum indicandum eſt. Hic adverſus ignorantium voces oſtendit Autor, literas utiles eſſe integris Rebuspuhlicis, reli-
3, 4, 5. gioni, pietati, & vitæ adeo æternæ conſequendæ. Indicat ta-
6, men deinde ſtudia quædam vere inutilia, etiam noxia: idque ipſum accidere poſſe docet literis non tantum profanis, verum
7. ſacris etiam. Hæc vero non prodeſſe ad tegendam ignorantiam, deinde diſputat, quaſi nunquam hæc noceat, ſæpe erudi-
8. tio, cum privata pariter ac publica damna maxima ignoran-
9. tiæ debeantur. Sunt etiam hic plura, quæ propinare Lectoribus poſſemus. Sed vela contrahendi tempus eſt. Hoc mo-
Pag. 184. do adjiciamus ignorantiæ ſpecimen. Quis non in hilarem riſum ſolveretur, inquit Autor, cum videret idiotam aliquem attente conſiderare hiſtoriam *Philonis Ebrai* typis Romanis antiquiſſimis eleganter impreſſam, audiretque deinde exclamantem: *Vah, quantus typorum nitor, quam venuſte imprimebant libros tempore magni hujus Philoſophi.* Rideantur cetera. Sed, cum *Philonem* dixit Philoſophum, accuratius dixiſſe videtur, quam ille, qui *Hiſtoriam* Viro tribuit, cujus quæ vocantur ἱςορικὰ in Operum illius Catalogo, ad ἐξηγητικὰ potius, vel ἀναγωγικὰ, pertinent.

OEUVRES DIVERSES DE MONS. LOCKE. &c.

h. e.

LOCKII OPERA VARIA. EDITIO NOVA, multis modis aucta.

Tomi II.

Amſtelodami, 1732, 12.

T. I pl. 14, T. II pl. 17½.

Summa *Lockiani* nominis celebritas, librorumque ab ipſo editorum præſtantia, fecit, ut etiam poſt mortem invenirentur, qui, quos ipſe manuſcriptos elaboratosque reliquerat, aut in affectis habuerat, aut qui ob exiguam molem, id quod fieri fere ſolet, facti rariores, utut editi, erant, ſtudioſe ſibi colligendos edendosque putarent. Prodiit jam A. 1710 ejusmodi Collectio, quæ non ſolum libellos, a vivo Autore editos, ſed poſthumos etiam,

etiam, complecteretur. Hanc ſecuta eſt A.1720 alia, Viri Cl. *des Maiſeaux* opera concinnata, de qua in *Actis* A. 1721 *p. 376 ſeq.* diximus. Ante vero, quam hæ duæ comparuerunt, Epiſtolæ etiam ejus & familiarium quorundam, *Molyneuſii* ſcilicet, Mathematici Celeberrimi, & *Limborchii*, Theologi, quarum illæ Anglico, hæ autem Latino ſermone ſcriptæ ſunt, prodierunt; de quibus itidem in hoc Diario prolixe A. 1711 *p. 474* expoſuimus. De quo nunc nobis dicendum eſt, libellorum *Lockianorum* Volumen idem illud eſt, quod jam anno hujus Seculi decimo editum fuiſſe indicavimus. Diviſum autem eſt in *duas Partes*, quarum *alteri* libelli adjecti ſunt quidam, qui in *priori* editione non comparent. Primum primi Voluminis locum occupat celebris illa *de Tolerantia* Epiſtola, quæ Latine olim ſcripta, & A. 1690 edita; poſt ab *Anonymo* impugnata, & ab Autore duabus aliis Epiſtolis defenſa eſt; quas quidem Autor hujus Collectionis omittendas judicavit. Alter libellus *de dirigenda mente in inquirenda veritate* inſcribitur, dignus utique lectu & egregius, quod jam *Clericus* exiſtimavit. Vide *Elogium Lockii in fin. Bibl. Sel. Tom. XII.* Claudit primum Volumen brevis *de Miraculis* Diſſertatio, ex ſchedis *Lockii* collecta & digeſta. Dedit his *Lockii* de miraculorum natura cogitatis occaſionem *Fleetwoodii* de miraculis libellus, id quod ipſe *Lockius* in fine ſchedarum teſtatus eſt, ex quibus hæc edita ſunt. Rejicit autem, id quod fere omnes norunt, eam, quam vulgo adhibent Philoſophi & Theologi, miraculi definitionem, quippe in caſibus ſpecialibus haud facile applicabilem, eique ſubſtituit aliam, jam diu a Philoſophis & oppugnatam & confutatam. Volumen alterum continet *Methodum novam excerpendi*, a *Lockio* excogitatam, ac jam a *Clerico Bibl. Univ. Tom. II p. 315* publicatam, adeoque ipſi probatam, ut omnibus aliis eam non dubitet præferre. Vide *Art. Crit. P. I C. 5 §. 9.* Sequitur eam *Commentariolus de rebus quibusdam ab Illuſtri Shafteſburio geſtis*, ex ſchedis *Lockii* ab eodem, quem laudavimus modo, *Clerico* digeſtus & concinnatus. Et hæc quidem etiam in prima editione leguntur. Nunc autem acceſſerunt tria Opuſcula

Digitized by Google

Lockiana, in illa omiſſa. Primo oſtenditur, eos, qui Epiſtolas *Pauli* intelligere velint, neque a Commentariis Interpretum, nec ex verſione quacunque, opem lucemque petere debere. Interpretes utplurimum ſententias S. Codici inferre eas, quas velint illi ineſſe, non vero eruere, quæ in eodem proponantur. Qui autem ex Græco v. c. Anglicum faciant *Paulum*, nimis ſervire Græco; qui cum Ebraiſmis abundet, immiſceri verſioni Ebraiſmos Græciſmosque, quos, quia ſæpe & a puero audiant, & familiares ſibi efficiant, intelligere ſe, plurimos putare, qui nullam cum iis ideam conjungere queant. Verum igitur Paulinarum Epiſtolarum ſenſum ex illis ipſis repetendum eſſe, & earum crebra, continua, attenta lectione, diligentique locorum ſimilium collatione, certiſſime aſſequi quemquam poſſe. Illud autem inprimis ſuadet, ut in legendo Epiſtolas nulla capitum verſiculorumque habeatur ratio. Plane enim ineptum eſſe putat, Epiſtolam in partes diſcerpi, nec uno tempore totam perlegi. Alterum, quod novæ huic Opuſculorum *Lockianorum* editioni acceſſit, *Malebranchii ſententiam* de origine idearum, *quod* ſcilicet *omnia in Deo videamus*, impugnat, quam quidem etiam alio libello, contra *Norriſium* edito, aggreſſus eſt, qui eam amplexus erat. Exſtat libellus iſte in illa ipſa Collectione Cl. *de Maiſeaux*, cujus ſupra mentionem fecimus. Denique *Epiſtolæ* etiam *ad Limborchium* perſcriptæ, & quas hic ad *Lockium* dedit, huic Volumini adjectæ ſunt, ex Latinis Gallicæ factæ, de quibus, quia jam alibi, ut ſupra monuimus, a nobis dictum eſt ex inſtituto, nihil nunc habemus dicere. Unum, quod ſupereſt, monemus illud, præfixum eſſe Collectioni huic Opuſculorum *Lockianorum* Elogium, a *Clerico* concinnatum, & olim Bibliothecæ ejus Selectæ Tom. XII inſertum.

A NEW GERMAN GRAMMAR, &c.
h. e.
NOVA GRAMMATICA GERMANICA, CUjus beneficio Angli facili modo ad intelligentiam Lin-

guæ

Digitized by Google

guæ Germanicæ perducuntur, Mercatoribus præcipue, & qui per Germaniam iter inſtituunt, aliis quibusque valde utilis: cui additi ſunt Dialogi quidam familiares, ad uſum tyronum hujus linguæ perquam accommodati; Autore BENEDICTO BEILER, Cuſtode Templi, & Magiſtro Linguæ ejusdem gentis apud Londinum.

Londini, apud J. Downing, 1731, 8.
Alph. 1 pl. 15, cum Tab. æn. 1.

Quo vitæ ſtatu inter Anglos jam degat Autor, in titulo is clare ſatis expreſſit. Germania, patrio ſolo, relicta ab anno inde 1725 hanc Inſulam colit, non multo poſt Scholæ Germanorum inter Londinenſes moderandæ præfectus, honeſte ſibi hactenus de victu neceſſario comparando proſpexit. Quod reliquum fuerat otii, impendit tradendis Teutonici ſermonis, cujus hodie major, atque olim, in Anglia cultus & exiſtimatio eſt, præceptis, quæ nobilibus præcipue juvenibus atque puellis non minori cum induſtria, quam fructu, impertiit. In hoc ſtrenue occupatus, unum experiundo ſenſit, neque id leviſſimi momenti, incommodum. Scilicet, cohiberi operarum ſuarum ſucceſſum, retardarique diſcentium diligentiam, potiſſimum eo, quod nondum edita in vulgus exſtet *Grammatica Germanica, uſui Anglorum ſigillatim adaptata*, atque perſcripta. Enimvero, ſi, plane nullum antehac ſimilis generis librum exſtitiſſe, affirmare hoc pronuntiato, uti videtur, voluerit Vir doctus, falſum ipſum hac in re eſſe, palam mox faciemus; ſin ſibi haud cognitas ſaltem Germanicæ linguæ inſtitutiones pro Anglis innuat, aut, ſi cognitæ, non ſatis commodas judicari profiteatur, utrumvis nos quidem concedimus perlibenter. Etenim ſunt nobis, dum hæc ſcribimus, ad manus duæ iſtiusmodi Scriptiones, quarum vel obiter hic meminiſſe, non erit dividiæ. Prior hunc gerit titulum: *Minerva; the High-Dutch Grammar, teaching*

ching the Engliſhman perfectly, eaſily and exactly the neateſt Dialect of the High-German Language, & Londini A. 1685 forma minori excuſa prodiit. Autor nomen ſuum ſilentio ſuppreſſit; exſtant tamen in exiguæ molis libello hinc inde veſtigia, unde colligas haud difficulter, eſſe gente Germanum & locum quondam inter *Societati frugiferæ* adſcriptos obtinuiſſe; in qua *nobilis* cognomento (*des Ædelen*) claruit. Multa inibi doctrina, & Philologiæ cognitio certe haud proletaria; utriusque præſertim linguæ receſſus egregie detecti. Sed, ſiquidem fateri liceat, quod res eſt, ad tyronum Anglorum uſus minime comparata, unis illis lectoribus & uſum & voluptatem afferre poteſt, qui jam variis literarum præſidiis inſtructi ad illam perluſtrandam accedunt. Poſterioris Index hic eſt: *A double Grammar for Germans to learn Engliſh; and for Engliſh-Men to learn the German-Tongue*, Autore *Henrico Offelen*, J. U. Doctore, & Gallicæ, Anglicæ, Hiſpanicæ, Italicæ, Latinæ, & Germanicæ linguæ Profeſſore. Londini, A. 1687, forma, quam dicunt, octava. Minus longe eſt hujus præ altera illa pretium, ſi doctrinam ſpectes atque ingenium; licet methodus concinnior ſit & ad captum diſcentis cujuslibet accommodatior. *Belleri* Opella in *quatuor Partes* diſtributa, Proſodiam *prima*, Orthographiam *ſecunda*, Etymologiam *tertia*, & *quarta* denique Syntaxin breviter, dilucide tamen, exponit. Non diffitetur ipſe, ſtudioſe abs ſe multo ab hinc tempore perlectas fuiſſe Inſtitutiones Germanicæ, Danicæ, Suedicæ, priſcæque illius Anglo-Saxonicæ linguarum Grammaticas, & in rem ſuam inde converſum plurimum. In Syntaxeos doctrina Cl. *Bœdikerum* præcipue ducem ſecutus, & Dialogos, ad calcem libri poſitos, a *Thoma Lediardo* mutuatus eſt, quem tamen, uti par fuerat, appellare honoris cauſa intermiſit. Ceterum pollicetur alio tempore edendum abs ſe *Lexicon Teutonico-Anglicanum*; quod ut perficiat, optamus.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. I Sectio VII.

DE PRINCIPE TEMPLO PANORMITANO Libri XIII, in quibus oſtenditur Panormitana Cathedra a S. Petro Apoſtolo inſtituta: deſcribitur maxima Eccleſia, prima, ſecunda, tertia, quarta, hodierna, earumque ſitus, majeſtas, architectura, forma, titulus, conſecratio, altaria, icones, lipſana, ſimulacra, marmora, Mauſolea Cæſarea, Regia, Pontificia, Privilegia, decora, bina Concilia Provincialia, aliaque monumenta non edita, recenſentur, & illuſtrantur; Autore P. JOANNE MARIA AMATO, Panormitano, e Societate Jeſu.

Panormi, ex typographia Joannis Baptiſtæ Aiccardo, 1728, fol. Alph. 7 pl. 13.

Præmiſit Autor doctiſſimus, & ex aliis politiſſimis ſcriptis orbi erudito dudum cognitus, brevem urbis Panormitanæ deſcriptionem, eamque *Lib. I* exhibuit, docens, tribus urbibus, Paleopoli, Neapoli, Tranſpapyreto, multisque ſuburbiis, conſtare Panormum hodiernam, regni caput. *Libro II* primum tem- Pag. 7. 10.

 plum

plum princeps Panormitanum deſcribitur, & ex traditione at-
que Scriptoribus variis traditur, *D Petrum*,amplificandæ fidei
ſtudio, præter alias in Sicilia Cathedrales, inſulam erexiſſe Pa-
Pag. 11. normitanam, eique *D. Philippum*, primum Antiſtitem, dediſ-
ſe,vetuſtiſſimum Archi-Epiſcopi titulum,Paſtoribus hujus Eccle-
12. ſiæ datum, ac Chriſtianum Panormi cultum inter prima naſcen-
tis Eccleſiæ Secula florentiſſimum fuiſſe. Ipſam ſedem inſti-
14. tutam putat Autor non A. 59, ut multis viſum eſt, ſed A. 44,
quo ipſo anno S. *Philippus* primam ædem exſtruxiſſe dicitur,
16. quæ A. 320, pacata per *Conſtantinum M.* Eccleſia, latior eſt
25. reddita,& titulo Coemeterii SS. omnium inſignita. A.330 prin-
ceps templum ſecundum poſt obtentam martyrii lauream a mul-
tis civibus ædificatum eſt tanta amplitudine, ut urbis magnitu-
31. dinem exæquare videretur. Templum tertium condidit *Victor*,
civis, Archi-Epiſcopus,ac Numidiæ Primas , ſuadente *Magno*
Gregorio,in Romanum Præſulem conſecrato A. 592, quod quo
magnificentius excitaret, & Arianæ peſtis memoriam aboleret,
ſecundam diruit Eccleſiam una cum vicinis ædibus,hortis,& Ju-
76. dæorum Synagogis. Templi quarti principis Autor fuit *Gualte-*
rius II Ophamilius, Archi-Epiſcopus, natione Anglus , Regis
Guilielmi II Præceptor , Conſiliarius, Cancellariusque , quod
Gualterinum a conditore ſuo appellatur, & A. 1185 abſolutum
93 ſeq. eſt & conſecratum. Deſcribitur ipſum templum per VIII
Libros copioſius,& ejus navis major,tribunalia maxima, dextera
navis major minorque , ac ſiniſtra navis iterum duplex major
ac minor, fabricæ baſilicares, &c. exponuntur, & ex monu-
mentis ſuis confirmantur, variæque hinc inde res huc aliqua
468. ex parte ſpectantes illuſtrantur. His accedit mantiſſa quæ-
dam, una cum Indice rerum memorabilium.

490 ſeq. Denique in calce Autor *Bartholomæi de Neocaſtro*, Meſſa-
nenſis, Juriſconſulti, Siculique Fiſci Patroni, *Hiſtoriam ſui tem-*
poris, nunc primum ex Avtographo edidit. Incipit hæc Hi-
ſtoria ab exceſſu *Friderici II*, Imperatoris, Siciliæque Regis, A.
1250,& uſque ad A. 1294 continuatur. Ubi varii illi tumultus ,
qui per hoc tempus in Sicilia agitati fuerunt, perſcribuntur,
& inprimis veſperæ iſtæ Siculæ fuſius referuntur, & bella, quæ
contra

Digitized by Google

contra *Carolum I* & *II*, Andegavenſes, Reges Neapolitanos, geſta ſunt, exponuntur. Codicem, ex quo hæc deſcripta Hiſtoria exhibetur, quemque ipſe *Amato* poſſidet, dicit Gothicis characteribus in charta bombycina exaratum, inque arcula plumbea ſub altari majori veteris Eccleſiæ S. Salvatoris linguæ phari prope Meſſanam inventum, cum A. 1540, everſo veteri *Baſiliano* aſceterio, *Carolus V*, Imperator, ibi munitiſſimam S. Salvatoris arcem conderet, obtinuiſſe *Gilbertum Marquectum*, Meſſanenſem, ordinis Hieroſolymitani Commendatarium, qui illum oſtenderit *Suritæ*, Annales Aragoneos meditanti: Meſſana tranſiit in Bibliothecam Panormitanam tyrocinii Societatis Jeſu, ex qua furto ſublatus, ad *Spinulam*, Genuenſem Cardinalem, pervenit. Panormum rediit ope *Antonini de Amico*, qui illum ſe editurum promiſerat, A. 1640, ſed, A. 1641 extincto *Amico*, migravit in Bibliothecam *Antonii Amato*, Principis Galati, cujus filio ſæpius laudato, *Joanni Mariæ Amato*, eruditi debent hujus Hiſtoriæ editionem primam, alteram, ſi promiſſa Editori exequi licuerit, ſuo tempore habituri.

Univerſum Opus, de quo diximus pro inſtituto noſtro breviter, ſingularia multa & ſelecta continet de Siciliæ Eccleſiaſticis inprimis antiquitatibus, hancque ſuo ſive Autori, ſive Editori laudem parit, ut in ſcrutandis perveſtigandisque antiquis patriæ ſuæ monumentis præclarum dicendus ſit laborem ſtudiumque poſuiſſe.

HISTOIRE DE L'EGLISE ET DU MONDE, &c.
h. e.
CONTINUATIO HISTORIÆ SUDORIANÆ; *Autore* BENEDICTO PICTETO, *Paſtore & Profeſſore Theologiæ.*

Tomus I, II & III.

Amſtelodami, apud Petrum Mortier, 1732, 4.

Tomus I, continens hiſtoriam Seculi undecimi, Alph. 3 pl. 14, Tomus II & III, continentes hiſtoriam duodecimi Seculi, Alph. 6.

Digitized by Google

Eſt hæc ſecunda Operis, quod ad *primum Tomum* attinet, A. 1713 primum emiſſi editio, eaque paſſim locupletior. Eadem prorſus methodo, qua *Sudorianum*, cum ſit compoſitum, id tantum docendus eſt Lector noſter, magnam partem hic exhiberi excerpta e noviſſimis, iisque præſtantioribus, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptoribus. Nonnihil ut ſpeciminis in promtu ſit, *Tom. I pag. 20 ſeq.* inter fabellas refert Cl. Autor, quod traditur de *Maria*, *Ottonis III*, Imperatoris, uxore, vivicomburii ſupplicio ſcilicet affecta. *Pag. 21 ſeq.* agit de variis, iisque irrationalibus ac barbaris, hujus ætatis modis probandi reorum innocentiam. *Pag. 48 ſeq.* de *Ælfrici*, Archi-Epiſcopi Cantuarienſis, ſcriptis agit, recitatque argumenta Reformatorum, ex ejus libris demonſtrare ſtudentium, negaſſe ipſum realem in Sacra Cœna præſentiam, & viciſſim Pontificiorum, inter genuinos ſuæ Sectæ fratres eum referentium, permittens ad ultimum totam hancce controverſiam arbitrio legentium. Addit, eum eſſe diſcernendum ab *Ælfrico* illo, qui ob ſingularem eruditionem cognominatus *Grammaticus*, tandem factus eſt Eboracenſis Archi-Epiſcopus. *Pag. 77 ſeq.* exhibet de Britannico *denario Petri* Diſſertationem, hauſtam e *Fabricii*, Theologi Helmſtadienſis, *Amœnitatibus Theologicis*. *Pag. 80 ſeq.* conſiderat Manichæos Galliæ, recitatisque, qui vulgo iis tribuuntur, erroribus, oſtendit, fuiſſe eos teſtes veritatis, cultum damnantes Sanctorum & imaginum, aliosque Romanæ ritus Eccleſiæ, prætereaque negaſſe in Sacra Cœna præſentiam realem. *Pag. 142 ſeq.* de *Fulberti*, Carnotenſis Epiſcopi, eruditione ac dogmatibus eſt copioſus, inprimis inquirens, quid de ſenſu verborum Sacræ Cœnæ ſenſerit. *Pag. 206 ſeq.* legere licet in compendium coactam *Thierſii* refutationem fabulæ de lachryma Chriſti Vindocinenſi, ſingulari libello A. 1699 Lutetiæ editam, eodemque modo *pag. 220 ſeq.* *Boilai* A. 1701 Amſtelodami emiſſam *Hiſtoriam Flagellantium*. *Pag. 241 ſeq.* plenius enarratur Hiſtoria *Berengarii*, Viri Reformatis Theologis longe cariſſimi ob interpretationem ſecum communem verborum Chriſti in Sacra Cœna adhibitorum: cujus Hiſtoriæ Continuatio poſtea ſequitur ſuis annis, ut hic habeatur Hiſtoria *Berengarii*

Digitized by Google

garii ſatis locuples. *Pag.393-399* de ſcriptis *Petri Damiani* agit, cujus & vitam partitim deſcripſit ſuperius. *Pag.500 ſeq.* exhibentur e *Couſino* nomina munerum ac dignitatum Aulæ Conſtantinopolitanæ, una cum ipſorum interpretatione. *Pag. 527 ſeq.* leguntur, qui, præfixo nomine *Gregorii VII*, (cujus facta & fata hoc in Opere copioſius exponuntur,) exſtant *Dictatus Papæ*, allatisque argumentis Autor noſter cenſet, non eſſe eos a Papa illo profectos, ſed ab inimico quodam ejus, practica illius Papæ principia concludente ſeptem & viginti iſtis regulis. *Pag. 601 ſeq.* judicium fert pragmaticum de expeditionibus cruciatis, quas vocant, earumque primam uberiori enarratione proſequitur. Pro Appendice *pag.641-651* annectitur Valdenſium carmen, ſub titulo *Lectionis nobilis* lingua ſcriptum Gallica A.1100, cujus duo ſuperſunt exemplaria, alterum Cantabrigiæ, alterum Genevæ. Quo in carmine lugetur miſer ſtatus Eccleſiæ Romanæ illius ævi.

Venimus ad Hiſtoriam Seculi duodecimi, cujus in *Parte priori pag.26 ſeq.* ſimilia ei, quod proxime laudavimus, ſcripta Waldenſium commemorantur. *Pag.76 ſeq.* pluribus recenſetur *Philippi Solitarii Dioptra, ſive Regula & amuſſis rei Chriſtianæ. Anſelmi Cantuarienſis* ſententias ſingulares ex ejus ſcriptis Autor noſter exhibet *pag.119 ſeq.* Hiſtoriam *Abælardi pag.166 ſeq.* & alibi locorum tam luculenter deſcribit, ut ſola hæc deſcriptio mediocrem libellum poſſit efficere. *Pag.192 ſeq.* agit de *Euthymio Zigabeno*, & ejus *Panoplia*, duce uſus Cl. *Jo. Alberto Fabricio*, quem jure vocat virum invictæ ſedulitatis. Pari modo recenſet uberius Libros Scriptorum hujus Seculi clariorum, nec ſolum Theologorum, ſed etiam Rabbinorum: ut hic offendas magnam partem Hiſtoriæ hujus Seculi literariæ. Ac ex plerorumque libris excerpit notatu digniores ipſorum ſententias doctrinasque. Longa igitur hic reperitur tractatio de *S.Bernhardo*, de *Maimonide*, & aliis utriusque generis Scriptoribus. *Pag.205 ſeq.* exſtat Epitome *Hiſtoriæ Juris Canonici Gerhardi Maſtrichtii. Pag.224 ſeq.* magno numero eos nominat Autores, qui ſcripſerunt de *Anna Comnena*, virgine & Hiſtorica illuſtriſſima. *Pag.234-245* Apologiam ſcribit

Digitized by Google

pro Albigenſibus, ducem ſequens *Baſnagium.* *Pag.* 535 - 540 exhibet famoſa vaticinia de Pontificibus Romanis *Malachiæ*, Archi-Epiſcopi Hiberniæ, rationes adjiciens eorum, qui a docto quopiam impoſtore confecta ea exiſtimant A. 1560.

In *poſteriori* hujus Hiſtoriæ *Parte pag.* 49 - 62 agit Cl. Autor de vita ſcriptisque *Petri Cluniacenſis*, qui & *Venerabilis* appellitatur. *Pag.* 87 *ſeq.* de appellatione *Waldenſium* diſputat, oſtenditque, non eos a *Petro Waldo* ſuum hoc nomen accepiſſe, ſed vel a Germanico *Wald*, vel ab oppido *Walden. Pag.* 225 *ſeq.* fabuloſum judicat, quod vulgo traditur Imperator *Fridericus I* (cujus hiſtoria fuſiſſime recenſetur in hoc Opere,) Papæ pede calcatus fuiſſe. De *Joannis Sarisberienſis* libris, eorumque argumentis, ſigillatim agit *pag.* 264 - 270. Scriptores, qui *Joannæ Papiſſæ* meminerunt Seculo decimo tertio ac tribus ſubſequentibus, duce *Alph. Vignolio* nominatim laudat *pag.* 293 *ſeq.* addens tamen, ſe ſuam ea de re ſententiam aperire nolle. *Pag.* 327 vulgarem fabulam de *Friderico I*, Imperatore, in quodam fluvio, quem lavandi cauſa ingreſſus ſit, exſtincto recitat pro vera. *Petri Bleſenſis* vitam, atque Epiſtolas, ceteraque ſcripta, recenſet *pag.* 423 - 439. Quo vero conſilio *pag.* 445 *ſeq.* mentione *Azonis*, JCti, facta, exhibuerit ex *Ferrierii Hiſtoria Juris Romani*, Lutetiæ A. 1708 edita, Catalogum clariorum ſequentis ævi Jureconſultorum uſque ad *Antonium Fabrum*, haud intelligimus. Poteſt tamen & hoc eſſe documento, doctiſſimum Autorem brevitatis haud fuiſſe ſtudioſum.

REMARQUES HISTORIQUES ET CRITIQUES SUR l'Hiſtoire d'Angleterre de Mr. de RAPIN THOYRAS, &c.

h. e.

OBSERVATIONES HISTORICÆ ET CRITICÆ in Hiſtoriam Angliæ RAPINI THOYRASII, ſcriptæ a N. TINDALIO, Magiſtro Artium, & Vicario Walthumii majoris in Comitatu Eſſexienſi, & Compendium hiſtoricum Operis Actorum publicorum

rum

Digitized by Google

rum Anglicorum THOMÆ RYMERI, *Autore* RAPINO THOYRASIO, *cum Notis* STEPHANI WHATLEY.

Tomus I & II.

Hagæ Comitum, apud P. Goſſe & J. Neaulme, 1733, 4.
Alph. 4.

Quicunque ſibi terſum illud ſummaque cura expolitum Hiſtoriæ Anglicæ Opus, quo edito celeberrimus noſtri temporis Scriptor, *Rapinus Thoyraſius*, inmortalem ſibi nominis famam peperit, comparavit, novo hoc Volumine carere nullo modo poteſt. Carebit enim alias, quæ cum fructu id lecturis magnopere inſerviunt, utiliſſimis *Tindalii*, eruditiſſimi Angli, Obſervationibus, quas ille ſuæ ejus Operis verſioni, quam adornavit, raro apud nos proſtanti, non ſine inſigni Lectorum ſuorum commodo ſubjecit. Eas enim, quod plurima notatu digniſſima complecterentur, nec tantum ad illuſtrandam Hiſtoriam illam, ſed & corrigendam, ſi quando Autor a recto tramite, ut in Opere longo non fieri non potuit, aberraſſet, pertinerent, ex Anglico, quo ſcriptæ ſunt, idiomate in Gallicum transferendas curarunt Librarii Hagenſes, quæ quo ſingulæ ſpectent, ne incertum eſſet, paginæ cum duarum editionum Belgicarum, quæ proſtant, tum Gallicæ, provide adſcriptæ cernuntur. Neque contenti laudati Librarii his Obſervationibus, quæ priorem hujus Voluminis partem efficiunt, ſibi devinxiſſe animos Lectorum, adjiciendas præterea putarunt & *Rapini* Epitomas hiſtoricas Operis *Rymeriani*, quas ille quondam Bibliothecæ ſelectæ Cl. Viri, *Jo. Clerici*, inſeruit. Eæ dudum Ill. *Fagelii*, de propenſo cujus in literas animo pridem conſtat, auſpiciis ex ephemeridibus illis excerptæ, Hagæ Comitum apud *Scheltum* junctim in lucem prodierunt, ſed exemplorum impreſſorum, quæ & in forma folii integri & octava ſimul excuſa ſunt, numerus vix triceſimum exceſſit. Tanto minus reprehendendi Librarii, qui typis eas hoc loco repe-

Digitized by Google

repetiere, præſertim auctas notulis, quas, qui Anglice eas vertit, *Stephanus Whatlejus* iis adſperſerat. Nam & has ipſas Epitomas, perinde ut Hiſtoriam *Rapinianam*, Angli dignas cenſuere, quas vernacula veſte donatas prelo committerent. Præmittitur iis *Jo. Clerici*, qua de primo *Rymerianorum* Actorum Tomo egit, relatio, quæ, tametſi, ceteris Tomorum reliquorum enarrationibus ad finem perductis, iisdem ſimilem elaborandam, eique ſubſtituendam, duxit Cl. *Rapinus*, prætermitti commode non poterat, quod anſam ceteris præbuiſſet, neque inutile videretur, laborem *Clerici* cum *Rapini* opera contendi poſſe.

JOANNIS SPENCERI, S. THEOL. DOCT. Eccleſiæ Elienſis Decani, & Colleg. Corporis Chriſti apud Cantabrigienſes Præfecti, de Legibus Hebræorum ritualibus, earumque rationibus, Libri quatuor. Editio ad nuperam Cantabrigienſem, in qua Liber quartus, varia Capita & Diſſertationes, aliaque Autoris Supplementa, acceſſere, accurate efformata. Præmittitur CHRISTOPH. MATTHÆI PFAFFII, Theologi Primarii, & Cancellarii Tubingenſis, Diſſertatio præliminaris, qua de Vita SPENCERI, de Libri pretio, & erroribus quoque, diſſeritur, Autoresque, qui contra SPENCERUM ſcripſere, enarrantur.

Tubingæ, ſumtibus Jo. Georg. Cottæ, 1732, fol.
Alph. 14.

Præclare omnino inſigniterque rem literariam noſtri amplificant mercatores, qui elaboratiores exterorum Libros, nimio interdum pretio venales, formis denuo deſcribendos ſuo curant ſumtu. Hac enim via efficiunt, ut optima quæque ſcripta, quæ foris quamplurimo veneunt, noſtris in terris leviori pecunia divendantur. Eſt igitur, cur mirum in modum noſtra

Digitized by Google

noſtra lætetur Germania, quod *Spenceriana* monumenta ad noviſſimam Cantabrigienſem editionem ſuis typis exſcripta poſſideat. Otio abuteremur, & eas, quas jam pridem nobis ipſimet ſcripſimus, leges violaremus, ſi ſingularia Anglicanæ editionis, ad cujus hæc effigiem, eodem paginarum numero ſervato, nitide accurateque expreſſa prodiit, capita hic loci repeteremus; utpote quæ ad *Menſem Majum A.1728 p. 204* in his iisdem Commentariis noſtris cum cura enarravimus. Itaque nihil, præter eruditam Cel. *Pfaffii* Præfationem, conſiderabimus, quid in ea proferatur, non ita multis verbis declaraturi.

In hac initio *Spencerus* laudatur tanquam abundanti homo doctrina. Deinde vero profanum etiam, quod in opinionibus elucet, ingenium, nec immerito, vituperatur. Is parum certe profecerit, qui ejus excuſandi gratia dicat, ipſum, cerimoniarum, in Anglicana Eccleſia uſitatarum, cauſam adverſus Presbyterianos oraturum, in eam deveniſſe ſententiam, ut ſibi perſuaderet, ex Judaicis ritibus, cum ex ſacris gentium plerique omnes, ipſo Deo permittente, derivati fuerint, multum inde ponderis Anglicanis, e Papiſmo maximam partem petitis, acceſſurum. Exſtant loca, quæ, *Spencerum* hac in opinione verſatum, argumento eſſe videantur, ut *f. 11, 659, 660.* Sit ita: hac autem ratione mala, quam tuetur, cauſa pejor evadet. Namque cerimonias eorum, qui Deos colebant, *ineptias* appellat *tolerabiles*, adjicitque, ob animi duritiem, cujus omni tempore luculenta populus Judaicus indicia dederit, has approbaſſe Deum. Fingamus, rem ita eſſe: ita vero homines, qui Anglicanæ addicti ſunt Eccleſiæ, durioris ingenii, abſit invidia verbo, poſtulandi videbuntur, quod e ſacris Romanæ ſedi faventium *ineptias, tolerabiles* licet, ſurripuerint. His præmiſſis, errores *Spenceri* potiores; &, qui hos diluerunt, Autores, indicantur. Atque hi maximam Præfationis, quæ quinque pæne foliis abſolvitur, partem conficiunt. Errores profani, qui in Anglo noſtro de rebus ſacris notantur, hi fere ſunt: de finibus legum ritualium *Moſaicarum*, de circumciſione, Sabbatho, voce מצבה, *Deut. XXIII, 2*, de fine legum ritualium ſecundario, de Zabiis, ſive Chaldæis, de Paſchate. Gentiliſmum in Judais-

Digitized by Google

mo inveniri, ſi quidem ipſi credendum, declarant Leges *Moſaicæ* cerimoniales, vaticinationes cum gentium oraculis comparandæ, cornua altaris, ſacrificia, luſtrationes, Cherubini, Templi exædificatio, Urim & Tummim, hircus emiſſarius, aliique ritus, cujusmodi etiam ſunt inſtrumenta muſica, ſaltationes, circumgeſtatio ramorum in tabernaculorum feſtivitate, lucernarum accenſio, liberatio vincti ipſo Paſchatis feſto uſu recepta, circuitus intra ſacra peragenda uſitatus, tibicines in exequiis, ipſa funebria, coronatio victimæ, lotiones, manuum maxime, baptiſmus Proſelytorum, encænia, mos orandi verſus templum, Phylacteria, a gentium amuletis, *Spencero* autore, coorta. Eadem ante hunc ſcita *Jo. Marshamus*, Eques inter Anglos Auratus, cum erudito communicavit orbe. Quæ poſtquam explanavit Venerabilis Cancellarius, ea pariter, quæ & in Cantabrigienſi, & in præſenti, editione mutata & aucta leguntur, enarrare, &, quæ ſecundis Autoris curis ex veteri deleta ſunt, adjicere pergit. Admodum pauca ſunt, quæ de *vita Spenceri* annotavit. Lucis uſuram accepit ille A. 1630. Diem obiit ſuum A. 1693, d. 27 Maji. Melius de *Spencero* mereri potuiſſet, qui novam Cantabrigienſem curavit editionem, *Leonh. Chappelow*, ſi in vita ejus deſcribenda, quantum ſatis eſt, poſuiſſet operæ. Verum defuit huic officio ſuo, cui tamen nemo, quam ille, magis ſatisfacere valuiſſet. Ideoque dignus eſt, quem ea in re *peccaſſe* affirmet Vir, qui præfatus eſt, venerandus. Ceterum hunc *Jo. Spencerum* ab *Edmundo Spencero*, vetere Poeta Anglo, a *Guil. Spencero*, qui *Origenem* adverſus *Celſum* illiusque *Philocaliam* dedit, ut & a *J. Spencero*, qui Poetarum Anglorum Hiſtoriam A. 1715 Londini publicavit, ea, qua decet, accuratione ſecernendum eſſe, eruditum Lectorem, præeunte Cel. *Pfaffio*, commonefaciendum arbitramur.

FR. JOSEPHI AUGUSTINI ORSI, ORDInis Prædicatorum e Congregatione S. Marci, de Petri a Soto, ejusdem Ordinis, & Judoci Raveſteyn, de Con-

cordia

cordia Gratiæ & Liberi Arbitrii, cum RUARDO TAPPERO *Epiſtolari Diſputatione Liber Apologeticus, quo* SOTI *Doctrina a recentis Hiſtorici Cenſuris aſſeritur.*

Romæ, typis Hieronymi Mainardi, 1734. 4.
Alph. 2 pl. 8½.

Autor S. Rev. hanc ſcriptionem Romanæ ſedis Præſuli ſacram eſſe voluit, eidemque conquiſitis perſuaſit rationibus, ejus intereſſe, *Petri a Soto* tueri exiſtimationem. Præfatio, quæ ſequitur Dedicationem, ipſam totius propoſiti naturam pluribus verbis declaratam ante oculos exponit Lectorum. Triumviri de ſacra Romani Pontificis Curia meritiſſimi, eamque ob cauſam a *Sixto V* & *Gregorio XIV* eximiis honoribus ornati, *Henr. Gravius*, *Jo. Lenſæus*, & *Guillelmus Eſtius*, Belgicas adverſus *Leſſium* & *Hamelium* Cenſuras, dum in vivis erant, conſcriptas, in lucem ediderunt, dogmatibus quibusdam, Eccleſiæ, quam vocant, Catholicæ ab his arroſis, maleque habitis, advocationem præſtituri. In his ipſis autem Cenſuris ille, qui *Bajanam* Hiſtoriam nuper deſcripſit, *Duchesnius* Calviniſmum quendam temperatum, ei, quem Synodus Dordracena propoſuit, haud diſſimilem, ſibi viſus eſt exploraſſe. *Bajum* vult illum ex *Soto* hauſiſſe, & ad ſuos propagaſſe diſcipulos, qui, ut tum erant tempora, maximas Eccleſiæ Belgicæ dignitates occuparant. Hanc eandem, addit, doctrinam primum ſub *Bajaniſmi*, deinde ſub *Janſeniſmi*, ſacram pacem conturbaſſe nomine. Verbo, Lovanienſibus Theologis mollioris cujusdam ac moderati *Calviniſmi, Bajaniſmi*, & *Calviniſmi*, dicit, re bene putata, diem, cujus primas vult origines a *Petro Soto* repeti. Loquens etenim de hujus cum *Ruardo Tappero*, *de Conciliatione gratiæ & liberi arbitrii*, Epiſtolari Diſſertatione, hanc ipſam appellat ovum, unde *Bajaniſmus* & *Janſeniſmus* prodierit. Hanc igitur Celeberrimo Dominicanæ Familiæ Sodali inuſtam notam deleturus Noſter, eximiisque, quibus ipſum *Sotum Truchſius*, *Hoſius*, *Pallavicinus*, Patres pur-

purati, ornarunt, elogiis inprimis excitatus, hæc duo ſe ſperat conſecuturum: primum, ut inſignem ſcholæ ſuæ Autorem tueatur, deinde, ut ipſius Catholicæ cauſam agat Eccleſiæ.

Totus Liber *octo* abſolvitur *Capitibus*, quorum unumquodque certis *Articulis* diſtinctum eſt. *Cap. I Art. I* omnem *Petri de Soto*, Cordubenſis, hiſtoriam, quam latiſſime patet, diligenter exponit, cumulatque Virorum in illuſtri quondam loco poſitorum de eo teſtimonia. *Art. II* exhibet prioris *Soti* ad *Tapperum* Epiſtolæ analyſin. Quæſtiones, quas *Ruardo* propoſuit Seculo XVI, quo vixit, *Sotus*, huc redeunt omnes: 1) an ſine quadam omnibus communi, & natura ſua verſatili, gratia liberum hominis ſalvari poſſit arbitrium; 2) an ipſo libero arbitrio primum diſcernatur juſtus a peccatore, & magis juſtus ab eo, qui minore juſtitia præditus eſt; 3) an in bonis operibus diſtinguendum ſit, quod liberi arbitrii eſt, ab eo, quod gratiæ, & quaſi inter Deum & hominem dividendum; 4) an juſtificationem præcedat meritum hominis; 5) quid ſentiendum de illa *Lighii* & *Catharini* ſententia. *Cap. II Articuli tres* in antecedentem Epiſtolam Notas & Obſervationes continent, in quibus, quanto a *Soto* intervallo *Bajus* atque *Janſenius* disjuncti ſint, conficitur. *Cap. III Art. I* res *Ruardi Tapperi* copioſe pertractat, ejusdemque ad *Sotum* Epiſtolæ Analyſis *Art. II* adducitur, in qua ad propoſitas a *Soto* quæſtiones multis reſpondetur verbis. *Cap. IV* Articulus unicus analyſin alterius Epiſtolæ *P. Soti* ad *Tapperum* breviter ſummatimque declarat, in qua, quid gratia Dei ſit, quidve liberi hominis arbitrii, ex ſuis definit principiis. *Cap. V tribus*, quibus conſtat, *Articulis*, in præcedentes Epiſtolas Notæ & Obſervationes, cauſæ *Soti* inſervientes, exſtant, &, quam ſejunctus a *Bajo Janſenio*que *Sotus* ſit, edocetur. In *Cap. VI Articulis ſeptem* Dogmaticum de gratia & libero arbitrio Syſtema, quod *Soto Duchesnius* affinxit, ipſius *Soti* teſtimoniis evertitur. Cumque eo, quo hæ lites fervebant, tempore, is, qui ſacras in Lovanienſium Academia Literas publice docebat, *Judocus Raveſteyn*, eidem ſeſe immiſcuerit conflictui: noſtro viſum eſt Autori, hunc ipſum *Petri de Soto* tum propugnatorem adverſus

Pag. 1-21. 22-25. 26-79. 80-93. 94-99. 100-106. 107-278. 279-350.

rerum

rerum *Bajanarum* Hiſtoricum in auxilium vocare. Atque huic inſtitutæ rei *Capitis VII* totius *quatuor* deſtinavit *Articulos*, ubi eum novarum *Tapperi* opinionum capitalem ante oculos ponit inimicum, contra vero ea, quemadmodum ille in gratiæ divinæ efficacitate libertati humanæ concilianda eadem, qua *Sotus*, ratione elaboraverit, haud parum declarat luculenter. *Cap. VIII*, idemque ultimum, Epiſtolas *Tapperi* & *Raveſteinii*, ultro citroque datas, Notis atque Obſervationibus illuſtratas ſiſtit. Atque hoc modo, id quod more apud nos receptum eſt, ſuppetias, quas *Petro de Soto* novus tulit patronus, velut in tabula repræſentavimus, judicium de re ipſa eruditis Lectoribus relicturi. Noſtrum etenim haud eſt, tantas componere lites. Pag. 351-366. 367-400.

SAGGIO DI MEDICINA TEORICO-PRATICA, &c.

h. e

TENTAMEN MEDICINÆ THEORETICO-Practicæ, quo demonſtratur, ſummam Medici prudentiam in eo verſari, ut rationem & differentiam morbi accurate intelligat. Diſſertatio Epiſtolica CAROLI GIANELLI, Philoſoph. & Medicinæ Doctoris.

Venetiis, 1732, 8 maj.

Plag. 13.

Opere hoc Doctiſſ. Autor ſuam de rebus medicis ſententiam exponens, ineptorum hominum, in contraria currentium, erroribus occurrere ſatagit, qui vel cerebrinis ſpeculationibus unice intenti, praxin faſtidioſe contemnunt, vel nullis aut futilibus principiis eruditi, ut ſuam pallient ignorantiam, omnem artis medicæ theoriam abjiciendam eſſe, nec aliquid auxilii ab illa Medicum ſperare poſſe, frivole contendunt. Laudem omnino meretur, quod, relictis illorum partibus, qui vel cum *Ariſtotele* fumum vendunt, vel cum *Carteſio* corpuſculorum figuras, eorumque varios motus, audacter nimis definire præſumunt, ***Malpighiorum***, ***Bartholinorum***, ***Ruyſchiorum***;

Digitized by Google

Morgagniorum, eorumque omnium, veſtigiis inſiſtat, qui, probe cognita corporis humani fabrica, experientiam conſulere, & principia naturæ non pro arbitrio temere confingere, jubent. Uſum igitur theoriæ, quam Opuſculo hoc condit, digito ſtatim monſtrare intendit, oſtendendo, qua ratione ex partium corporis noſtri variis vitiis, aut turbatis illorum motibus, diverſi generis morbi naſcantur, &, quod ſponte ſua inde ſequitur, quibus remediis tuto profligentur. Ut felicius propoſitum exequatur, totum hominem ex anima & corpore compoſitum conſiderat, ſummi artificis ineffabilem induſtriam ſuſpiciens, qui duobus hiſce contrariis principiis, altero inextenſo, immortali, & corrumpi neſcio, altero tribus dimenſionibus circumſcripto, atque varias ſpecies ſubinde inducenti, admirabili arte, quam nulla mortalium ſolertia imitari valet, hominem conſtare juſſit. Prodit hoc infinitam Creatoris ſapientiam, qui diverſas adeo ac longo intervallo a ſe diſtantes ſubſtantias certa ac immutabili lege combinavit; ut perpetua harmonia conſentiant, atque alterius motus, alterius impreſſionem, confeſtim ſequantur. Cum itaque vita humana in arctiſſima harum partium unione atque continuo æquilibrio conſiſtat, duo quoque remedia ſunt, quibus harmonia illarum conſervatur, aut impedita inſtauratur; Philoſophia moralis. atque ars Medica. Illa animi motus ad certas regulas componit, ne graviori onere corpus fatiget, quam cui ferendo par ſit, hæc corporis motus regit, temperat, ejusque virtutem conſervat, ut animi juſſa promte ac debita ratione exequi valeat. Non ſpernendum itaque eſt veteris Medici *Zamalſidis* conſilium, qui autor erat, ut ſapienti ſermone Medicus ante propinata medicamenta animo ægri medeatur, ut ſui dominus, affectuum rationem oppugnantium impetus reprimat, atque mente tranquilla corpus facilius regatur. Hoc vero cum ab Autoris propoſito alienum eſſe videatur, docere potius ſuſcipit, qua ratione corpus humanum vel in ſtatu ſuo naturali incolume conſervari, vel ex illo deturbatum commode reſtitui queat. Naſcuntur inde duæ praxis medicæ partes; altera, ut corpus ſoſpes conſervetur, atque ab imminenti morborum periculo vindicetur, altera, ut

morbi

morbi per corpus hominis jam graſſantes feliciter profligentur. Hoc ut rectius intelligatur, notandum eſt, in primis corporis noſtri ſtaminibus duplicis generis particulas, ſolidas nempe ac fluidas, inveniri, quarum diverſa admodum conditio eſt. Solidæ partes a fluidis nutriuntur, augentur, atque in ſtatu ſuo conſervantur. Hæ viciſſim ſolidarum motu agitatæ, ut corporis fabrica perduret, varia ratione ſeparantur, percolantur, ac depurantur. Solidæ ſunt plurium atque infinitarum fere particularum compages, quæ ob arctiſſimum in ſuperficiebus ſuis contactum ita cohærent, ut duræ ſint, & aliorum corporum motui inertia ſua reſiſtant. Non alio igitur modo ſolida naſcuntur, quam prima illa coagulatione ac mutua unione particularum fluidi filamentoſarum, ſiquidem omnes corporis humani partes, quæ in adultis ſolidæ ſunt, in infantibus liquidas ac conglutinationi proximas deprehendamus. Filamenta hæc ſolida Anatomici fibras appellare ſolent, quæ ſecundum variam diſpoſitionem ac texturam ſuam, diverſi generis organa corporis noſtri conſtituunt. Illa enim accurate inſpicientibus apparet, omnia corporis humani membra nihil eſſe, niſi aggregatum plurium fibrarum admirabili artificio inter ſe implicatarum, atque arctiſſimis vinculis conſtrictarum. Duo ejusmodi fibrarum genera ſunt, membranoſæ atque nervoſæ, quæ ex cerebro originem trahunt, ſicut illæ a tendinibus derivantur. Hæ motui inſerviunt, illæ ſenſibus ſuccenturiatæ ſunt, aliisque in corpore noſtro officiis defunguntur. Utrumque fibrarum genus natura intrinſeca quadam virtute, ſive tono, donavit, quam Philoſophi vim elaſticam vocant, qua fluidorum impetui reſiſtunt, eorumque actione e ſtatu ſuo naturali deturbatæ, conſervationem ſuam affectantes, ſe confeſtim reſtituunt. Tribus igitur modis fibras haſce ægrotare poſſe apparet, ſive quod nimis extendantur, ſive quod ſupra modum contrahantur, ſive quod perdito quaſi tono ſuo nimium laxæ ſint. Priora duo vitia ſunt illud nimis ſtrictum veterum Medicorum, ultimum vero id morbi genus, quod nimis laxum appellare conſueverant. Hæc erant principia famoſæ illius atque antiquiſſimæ Sectæ methodicæ, quæ diu ante & poſt *Ga-*

lenum

Digitized by Google

lenum floruit, quam noſtris temporibus *Proſper Alpinus* egregio illo de Secta methodica Tractatu inſtaurare inſtituit. Sunt fibræ iſtæ muſicis chordis ſimiles, quæ, dum certa inter ſe lege ac proportione extenduntur, egregia atque admirabili harmonia conſentiunt, verum, turbatis ſive nimia extenſione, ſive nimia contractione, hiſce chordarum rationibus, pereunte inſtrumenti muſici uſu, confeſtim diſcordant. Nimis vero extenduntur iſtæ corporis humani fibræ utplurimum in inflammationibus, doloribus acutis, & quovis morbo acuto, ubi humores ob extenſas ſupra modum fibras regurgitant. Fluidorum enim impreſſioni haud cedentes, & quaſi rigefactæ, naturalem percolationem impediunt, ita, ut æquilibrium compoſitæ ex illis fibris corporis noſtri machinæ non poſſit non vehementer perturbari. Prudens Medicus itaque ipſas partes ſolidas hoc caſu inprimis inſpicit, atque cane pejus & angue, maxime in principio morbi, medicamina purgantia fugit, cum *Hippocrates* in libro de ratione victus jam obſervaverit, illis nihil vitiorum partibus ægris abſtergi. Purgantia enim hoc caſu materiæ peccanti aliam corruptam maſſam addunt, quo morbi incremento fluidorum motus atque natura magis magisque impeditur, cum ebullientia atque tantum non accenſa fluida fibras ſolidas ſupra modum jam tenſas atque compreſſas vehementius irritent. Ipſa morbi indoles demonſtrat, quæ remedia ipſi opponenda ſint, atque multo uſu compertum eſt, non magis apta eſſe, quam phlebotomiam, clyſteria lactea, quam fieri poteſt, ſimpliciſſima, decocta emollientia, pedum lavationem, fomenta partibus hypochondriacis applicata &c. Si prima venæſectione morbi vires nondum proſtratas eſſe deprehendamus, ad alteram, rariſſime ad tertiam, pergere licebit. Prudenter tamen cavendum eſt, ne, ſi experientia doceat, phlebotomiam morbum haud frangere, incaute cum nonnullis Medicorum alteram, imo tertiam, quartamve, aut quintam, inconſulta pertinacia repetamus, qua fieri ſolet, ut ægrotus medicamentorum inſultibus vehementius, quam morbi gravitate, torqueatur. Incongrue Medicorum nonnullis perſuaſum eſt, quod venæſectione ſanguis inſtauretur, atque materia peccans

ex

ex venis extrahatur, cum turbatum partium æquilibrium illa duntaxat reſtituatur, ut natura harmonicæ conditioni & virtuti ſuæ reddita, animali operatione hoſtem felicius profligare queat. Caveat bonus Deus omnibus ægrotis a manibus illorum Medicorum ſanguinolentis, qui *Archagatum*, carnificis nomine olim inter Romanos infamem, imitantur. Ille enim, poſtquam urbem intraverat, cum inſtrumentorum ſuorum novitate inſignem primo ſtrepitum dediſſet, atque ſapientis Medici famam occupaſſet, prodita immani operum ejus barbarie, carnificis nomine a populo proſcindebatur. Statuendum omnino eſt, in morbis acutis, qui ſecundum Cel. *Sydenhamium* Deum plerumque autorem habent, naturam plus valere arte, nihilque aliud reſpiciendum eſſe, quam ut ſymmetricæ diſpoſitioni ſuæ corpus reddatur, naturali ejus virtute quantum fieri poteſt, confirmata. Ægrotat porro naturalis fibrarum tonus, ſi nimium contractæ illæ fuerint, ſive aereo quodam corpore exitum quærenti irritentur, ſive alio acri & mordaci humore ſolida ad motus ſpaſmcd cos incitentur atque corrugentur. Morbis hiſce vexantur, qui colica, ſcorbuto, aliiſque hyſtericis & hypochondriacis affectibus laborant, ubi particulæ acidæ, facto in ſolida membranoſa impulſu, motus ſpaſmadicos in plexibus & meatibus nervorum excitant, quibus machina animalis ſupra modum turbatur. Id cauſæ eſt, cur, applicatis quandoque in colica convulſiva fruſtra omnibus remediis, quæ pharmacia ſuppeditat, miſer ægrotus nihil auxilii aut ſolatii ab uſu omnium medicaminum, ſecundum præſcriptum ordinem epotorum, experiatur. Sæpe ſimplex balneum, unica venæſectio, aut narcoticum aliquod medicamentum, ortos per fibrarum relaxationem omnes ſolidorum tumultus quieſcere jubet, atque fontem morbi obturat. Sicut vero duo colicæ genera ſunt, quorum alterum convulſivam, alterum humoralem, appellare ſolent, quibus diverſa ratione medendum, cum hæc non laudatis modo medicamentis ut convulſiva, ſed purgantibus maxime, profligetur, ita duo quoque diverſi ſunt affectus hyſterici & hypochondriaci, quos ſolicite diſtinguere Medicum decet. Nonnullæ enim morbi hujus ſpecies ex ſan-

Digitized by Google

guine fervido nimis, atque ſupra modum ad fermentationem inclinato, oriuntur, quo partes hypochondriacæ vehementer agitantur, atque totum ſyſtema nervoſum irritatur, ubi mali natura Medicum docet, fas eſſe, auxilium non niſi a medicamentis placidis, ſedantibus, atque narcoticis, expectare. Meminit Doctiſſ. Autor fœminæ nobiliſſimæ hyſtericis & hypochondriacis doloribus ſupra modum vexatæ, quæ omnis generis medicamenta eo prætextu reſpuebat, quod incaſſum nihil eorum intentatum reliquerit. Sed, cum aſſiduis precibus Autoris permota, veſperi, antequam cubitum iret, pedes balneo aquæ dulcis tepidæ aliquoties lavaſſet, ingenue profitebatur, ſe ex ingenti medicaminum præſcribi ſolitorum numero nullum æque ſalutare expertam eſſe. Illud ſecum reputans Autor, ſimplicia medicamenta vehementer commendat, & de miſeria ægrotorum, in imperitos Medicos incidentium, quorum ineptiis multo gravius, quam morbi vehementia, affliguntur, valde conqueritur, teſtem advocans *Hippocratem*, qui diſerte ait: Non ſufficiens apparet violentia morbi, niſi Medici quoque imperitia accedat. Duo propterea hac occaſione remedia admodum laudat, quorum virtutem in pertinaciſſimis malis hypochondriacis, ex lymphæ forte, aut ſucci nervoſi, acrimonia ortis, ubi ſanguis ſupra modum fervidus pluribus particulis igneis turget, expertum ſe eſſe teſtatur. Alterum eſt, lac debita ratione præparatum, ſimpliciſſimum profecto, quod ipſa natura in animalium gratiam elaboravit remedium, quod, per aliquod temporis intervallum hauſtum, malum vel maxime inveteratum radicitus tollit. Alterum ſunt thermæ, quarum diverſa in terra Hetruſcorum genera Autor accurate recenſet, Viros doctos, qui de ſingularum natura commentati ſunt, laudat, atque diverſos earum uſus medicos diſtincte demonſtrat. Solidorum tonus denique impeditur, ſi flaccidæ nimis ſint fibræ atque relaxatæ, quod vel aeris inclementiæ, vel vitæ nimium ſedentariæ, vel jacturæ partium, quibus ſolida refocillari ac nutriri debebant, tribuendum eſt. Obſervatur hoc in dyſenteria inveterata, morbis ſplenicis, cachexia, hydropſia, aſthmate, inprimis in hecticis nonnullis atque phthiſicis affectibus, & in omnis fere generis

morbo

Digitized by Google

morbo chronico. Hiſce malis fortiſſima remedia opponere par eſt, quæ virtute gaudeant vigorem naturalem corporis inſtaurandi, atque torpidas fibras excitandi, ut vi ſua elaſtica pugnent, & humorem inimicum expellant. Aſſerit vero Doctiſſ. Autor hanc efficaciam atque fortitudinem rhabarbaro toſto, radici ipecacuannæ, fungis Maltenſibus, gummi ammoniaco, martialibus, exercitio corporis, frictionibus, aliiſque hiſce ſimilibus medicamentis. Si malum jam a longo tempore inveteratum profundas egerit radices, ipſis ſolidis ſingularis cura debetur. Cum enim languentia nimis atque relaxata ſint, ne officio recte defungantur, accidit, ut fluida, debito ſolidorum impulſu deſtituta, neque adeo in ſubtiles ſalis particulas contrita, plura corpuſcula craſſiora, viſcida, atque terrea, retineant, quam ut commode nutritioni inſervire queant. Vehementer contra obſtructionum ejusmodi inveteratarum vim & quodvis hujus cachexiæ genus Autor prædicat Cl. *Gberlii*, multo cum applauſu artem medicam exercentis, pillulas, quas unicum fere, certe fortiſſimum, mali hujus antidotum eſſe, arbitratur. Se ipſum in pluribus hydropicis inſignem ejus virtutem expertum eſſe, ait, inprimis in viro ætate annorum quinque & ſexaginta gravi, cujus crura atque abdomen materia peccanti ita referta erant, ut nemo non de ſalute ejus deſperaret, qui vero ex uſu harum pillularum breviſſimo tempore, obſtupeſcentibus omnibus, perfecte convaluit. Commendat quoque hydropicis aſciticis paracenteſin, ſed alia ratione, quam majoribus noſtris placuit, applicatam, atque inſtrumenta, quibus Hetruſcorum Chirurgi hodie utuntur, optimis Anglorum machinis valde ſimilia, accurate deſcribit, experimenta quædam eorum addens, qui hac methodo ex voto ſanati fuerunt. Eadem ratione morbos ex fluidorum diverſi generis in corpore humano vitiis, vel turbato ipſorum motu, oriundos erudite perſequitur, ut facile appareat, ipſum doctiſſimorum potius Medicorum, quos Britannia alit, quam eorum, qui in magiſtrorum verba temere jurant, veſtigia ſequi, experientia & Anatomia facem ubique præferentibus. Neminem profecto eruditum hoc, licet breve, Opus attenta mente perlegiſſe pœnitebit.

FIRMAMENTUM FIRMIANUM, SEU *Manuductio ad globum artificialem cœleſtem;* Autore, P. CORBINIANO THOMAS, *Benedictino Elching. Philoſ. Doct. & Matheſ. in Univerſitate Salisburg. Prof. Ord.*

Auguſtæ Vindelicorum, apud Merz & Mayr, 1731, 4.
Alph. 1 pl. 5, cum Tabb. æn. 83.

Quæ Doctiſſ. Autor hoc Libro complexus eſt, nova quidem non ſunt, ſed utilia tamen, idoneoque ordine & plano ſermone in uſum tyronum congeſta. Doctrinam ſcilicet omnem, quam ſphæricam dicere ſolemus, *tribus Capitibus* abſolvit: quorum *unum* punctorum ac circulorum cœleſtium explicationem tradit: *alterum* Problemata plurima, quæ ſolvi ope globi artificialis cœleſtis poſſunt, itemque alia nonnulla, cum his connexa, diligenter perſequitur: *tertium*, ad exemplum Uranometriæ *Bayeriana*, accuratam Aſteriſmorum faciem, facta motuum ad A. 1730 reductione, ſiſtit, ac demum earundem imaginum originem partim e Græcorum fabulis aut hiſtoriis repetit. Huic Tractationi, quæ maximam certe partem *Capitis tertii* conſtituit, duæ aliæ præmiſſæ ſunt *Sectiones*, de Syſtematibus mundi, & de planetis. In Sectione, quæ agit de Syſtematibus mundi, primo loco mentionem facit Autor cœli Ægyptiaci, domosque & imagines Aſtrologico-Hieroglyphicas, ex veterum Ægyptiorum mente cœlo inſertas, cum *Kirchero* exponit, ac poſtremo ita ſtatuit: ſignorum noſtrorum, quibus Aſtronomi etiamnum utuntur, characteres manifeſtum ex hieroglyphicis illis figuris originem ducere, earundemque perſpicuam ſimilitudinem circumferre, quin & noſtros, a Græcis profectos, aſteriſmos, illis Ægyptiorum Numinibus non obſcura affinitate jungi, nec dubitandum eſſe, quin forma mundi Ægyptiaci proportione ſumma gaudeat, ut merito abſolutiſſimum totius Hieroglyphicæ doctrinæ compendium, miris refertum myſteriis, dici poſſit. Quod ad Syſtema *Copernicanum* attinet, non probat præproperum illorum judicium, qui

Coper-

Digitized by Google

Copernicum nunc delirare clamant, nunc illius ſenſa inter aniles fabulas, pueris ridendas, explodunt, ipſi interim a *Copernicanis* riſu, quandoque non immerito, excepti: nec dubitat, ut nunc non pauci e Romano-Catholicis ſunt, qui Syſtema illud per modum hypotheſeos Aſtronomicæ propugnant, ita multo plures fore, qui idem ut verum Syſtema amplecterentur, niſi longe altior ac fortior fidei ac Eccleſiæ obſtaret autoritas. Reſtat, ut de inſcriptione *Firmamenti Firmiani* Lectores paucis doceamus, eam factam eſſe in honorem Celſiſſimi ac Reverendiſſimi Archi-Epiſcopi Salisburgenſis, e proſapia *Firmiana* oriundi, cui Autor hanc ſuam ſphæræ cœleſtis doctrinam dedicavit, ſimilem ſphæræ terreſtris pertractationem brevi ſubjuncturus.

Vernünftige Anleitung zur Oeconomie, ꝛc.

h. e.

INTRODUCTIO RATIONALIS AD OECOnomiam & artem perficiendæ Agriculturæ; in qua methodus exponitur, diuturna & propria experientia confirmata, omne genus agrorum recte dijudicandi, atque etiam ſine conſueta ſtercoratione fœcundandi; Autore AMBROSIO ZEIGERO, Adminiſtratore Cœnobii Rodenſis, & prædiorum Alveslebienſium Conductore.

Eislebiæ, 1733, 4.

Alph. 2.

Egregius Autor, non literarum ſtudiis, ſed multis experimentis, eruditus, qua ratione Oeconomiam, quam diu ac prudenter tractavit, & potiſſimum res ruſtica, perficienda ſit, hoc ipſum ſibi argumentum ſumſit præſenti Libro explicandum. In quo ita verſatur, ut neque ordinem, nec perſpicuam orationem, nec denique ingenium, deſideres, facileque intelligas, uſum ei & conſuetudinem cum doctis hominibus interceſſiſſe. Opus omne

 divi-

Digitized by Google

diviſum eſt in *Partes ſex.* Quarum *una* ſuccinctam totius Oeconomiæ ruſticæ theoriam tradit. Atque hæc rurſus *duabus* conſtat *Sectionibus.* In *priore* generalia, in poſteriore magis propria, cum de œconomia, tum de œconomis, afferuntur. Ars ac ſcientia perficiendi œconomiam ruſticam, ſive agriculturam, ita fere definitur, ut conſiſtat in ſolida cognitione naturæ & varietatis agrorum, methodique compendioſæ, tum agro, tum ſemini, fœcunditatem, etiam absque conſueta ſtercoratione, conciliandi. Agro quadruplex tribuitur quaſi temperamentum, quatuor vocalibus, *A, E, I, O*, diſtinctum, & cum quadruplici Philoſophorum temperamento quodammodo comparandum. Terræ enim nigræ competit temperamentum *A*, ſanguineo ſimile, propter frequentes majoresque poros, humorem promte imbibentes, ſed & facile amittentes: terræ lutoſæ, ſubflavæ, temperamentum *E*, cholerico reſpondens, propter poros anguſtiores, humorem difficilius haurientes, ſed diutius conſervantes: argillæ temperamentum *I*, melancholico comparandum, ob poros minimos, humorem extrinſecus ſtagnantem, craſſioremque & lentiorem factum, vix propellentes. denique arenæ temperamentum *O*, phlegmatico non plane diſpar, propter naturam oppido inertem, poroſque omnino deficientes, quibus humor, per intervalla percolatus, in ipſam intrare ſubſtantiam cum fructu poſſit. Jam, ſi quæris, quæ optima ſint ex his temperamentis, itemque ex iis, quæ ſimplici ſingulorum cum ſingulis miſtura fiunt, primus quidem locus conceditur temperamento *A*, proximus temperamento *AO*, in quo ſcilicet *A* & *O* ita mixta ſunt, ut *A* prævaleat. Reliqua hujusmodi fere ordine collocantur: *AI, AE, EA, EI, EO, IA, OA, OE, IO, I, OI, O.* Oeconomos tam inferioris, quam ſuperioris ordinis, multis nominibus reprehendit Autor: cum conſilia quærunt, inter ſe plerumque pugnantia: cum alios, diverſum agrum colentes, perperam imitantur: cum, male rem agentes, anno proximo ſe rectius facturos, credunt: inprimis vero, cum agrum, prima aratione, non ſatis alte fodiunt, veriti, ne terram crudam eruant, & minus fertilem. Id quod Noſter omnino negat timendum eſſe; quando terram ejus

ejusmodi crudam, non ſolum ab humore æſtivo, alternis vicibus hauſto & efflato, ſed etiam a brumali frigore & nitro aereo, ſatis corrigi ac fœcundari, certum ſit. Denique iis magnopere ſuccenſet, qui minorem agrorum fertilitatem ſenio & effœtis naturæ viribus tribuere non verentur. Progredimur nunc ad *alteram* Libri *Partem*, ubi Autor methodum exponit ſuam, mutandi nitrum in oleum vegetabile. Sumantur igitur menſuræ quatuor cinerum ex ligno duro, inprimis (ſi in promtu eſt) vitigineo, propter tartarum adjunctum; menſura una calcis vivæ; & recentis urinæ animalis (minime tamen equinæ) tantum, quantum ſatis eſt, ad ſubigendam maſſam, quæ per horas 48, ac deinde, affuſa aqua, per totidem horas relicta, percoletur. Huic lixivio, ſubditis ignibus efferveſcenti, aliquantum ſalis communis, ac porro nitrum probe contuſum, injiciatur, diligenterque commiſceatur. Quo facto, poſt aliquam pugnam, exorto vapore ſubcœruleo, celeriter ſe mutuo res penetrabunt, ac deferveſcentes oleum fuſcum deſideratum exhibebunt. Si poſt refrigerationem exiguæ quædam ſtiriæ nitroſæ denuo comparent, affuſo novo lixivio, eadem operatio repetenda eſt. Si vero ipſum lixivium non ſatis recte ſe habet, quod intelligitur experimento, iis familiari, qui ſaponem conficiunt, ſcilicet ubi ſaponis fruſtum, in lixivio ſuſpenſum, non promte ſupernatet, per novos cineres colari lixivium oportet. Poſtremo etiam hoc notandum, ne lixivium, cum nitro efferveſcens, ex vaſe effluat, ſubinde aliquid lixivii frigidi, ſaltem ſecundarii, affundi debere. Jam olei hoc modo parati inſignes plane ſunt virtutes: frigore perquam intenſo non congelatur: æſtate ſemina & agros, quibus, quoad licet, quam recentiſſimum impertiendum eſt, refrigerat: hyeme fovet ac calefacit, &, quanquam ſine pluvia & rore parum valet, tamen etiam per plures hebdomadas in terris prorſus arefactis ſemina conſervat. De cetero, ut ſumtibus parcatur, *Parte tertia* ſui Operis docet Autor, quibus rebus, tamquam vehiculis, augeri & extendi liquor laudatus poſſit. Atque huc refert cum aquam ſimplicem, & maxime pluvialem, tum urinam animalium, itemque lixivium ſupra commemoratum ſecundarium, atque

Digitized by Google

atque id, quod reliquum eſt, poſt ſemina liquore ſatis penetrata. Quanquam vero ager, nova methodo cultus, etiam quarto & quinto anno conſeri queat, eum tamen quandoque conſueto more ſtercorandum & emolliendum eſſe, Autor contendit, ita, ut nihilo ſecius oleo vegetabili ſemina humectentur. Porro hæc præcepta tangit: transverſim occandum; ſationibus hybernis potius, quam æſtivis, ſtudendum; agros meliores, itemque avenaceos, maturius, deteriores, tempore præſertim autumnali, tardius conſerendos; ſegetes, quæ interquieſcunt, identidem aratro vertendas; denique fimum hyeme in campos ducendum, atque ibidem, ſine periculo, ne virtutem ſuam congelatus perdat, distribuendnm eſſe. *Parte quarta* exponit, quo pacto cum ſemina, tum agri, liquore nitroſo fœcundari debeant, ita, ut quarta pars ſementis lucrifieri, & tamen egregia expectari meſſis poſſit. Scilicet hordeum & avena, propter vaginam duriorem, ad minimum per 48, triticum & ſecale per 36, legumina per 24, ſemen rapicium per 12, linum etiam per pauciores horas, liquore commemorato, ante ſationem, maceranda ac tumefacienda; porroque ſcobs, de ligno, aut (quod ad conſervandum humorem, & emolliendam terram, melius,) de cornu facta, vel etiam diſſecta ſtramina, per unum pluresve dies, eodem liquore ſaturanda, & vel conjunctim cum ſeminibus, vel ſtatim poſt ſationem ſeparatim, per agros ſpargenda atque inoccanda ſunt. In pratis paulo aliter ſe res habet. Quæ, ſi ſunt paluſtria, temperamenti frigidi *IE*, & muſco herbisque acidis obſita, conſpergantur ſub finem autumni, vel etiam menſe Martio, materia, ex tribus menſuris cinerum ligneorum, & una calcis vivæ, compoſita, in lixivio ſecundario, vel aqua ſtercoroſa, per duos dies macerata, ac deinde non nimium arefacta. Sin calidioris fuerint temperamenti, ad *A* & *O* præcipue accedentis, materia refrigerante opus eſt, quam hoc modo parare licet: Calci exſtinctæ, & ad minimum per aliquot Menſes rite conſervatæ, admiſceantur cineres lignorum, donec maſſa, perinde ut panis, depſi poſſit; quæ arefacta & contrita, ſub finem Aprilis per prata diſtribuatur. Loca altiora & magis ſterilia etiam inſuper liquore vegetabili hume-

Digitized by Google

humectari poſſunt. Omiſſis iis, quæ Autor de varia frugum natura, bonitate, & vitiis, de agris pro hordeo tempore autumnali bis arandis, de ſtipulis tritici tum, cum terra notabiliter humida eſt, aratro non ſubvertendis, de ſeminibus maxime tritici & hordei non nimis denſe ſpargendis, & de aliis hujusmodi rebus, affert, ad *Partem quintam* Libri accedimus. Hic proportio indicatur, in ſaturandis agris liquore nitroſo vegetabili, pro variis eorum temperamentis, obſervanda. Itaque in agro, ubi eminet temperamentum *A*, (quibusvis frugibus, quam leguminibus & rapis, aptiore,) medimnus ſeminis Dresdenſis, poſt recentem ſtercorationem, dimidiam, anno tertio integram nitri libram requirit, inter ſemen & terram æqualiter dividendam. In agro temperamenti *E*, qui omne genus frugum, atque adeo, propter vim ſtercoris diutius perdurantem, cum ſecale tum braſſicam bis ferre, leviter adjutus, poteſt, ad ſextum uſque annum, medimno ſeminis libra una, deinceps vero, & ubi omittitur ſtercoratio, etiam altera telluri, medimnum capienti, tribuenda eſt. Ubi temperamentum *I* locum habet primum, foſſis ſatis profundis, & infra venam argillæ pertingentibus, aquæ ſtagnantes divertantur, ac medimno ſeminis, ſtatim poſt pinguem ſtercorationem, dimidia nitri libra, anno tertio triplum, impertiatur; in macriori ſolo, & omiſſa ſtercoratione, tres libræ, partim ſemini, partim terræ, concedantur. Denique in agro temperamenti *O I* (nam *O* per ſe oppido ſterile eſt,) ad ferendum ſecale & avenam non prorſus inepto, tribus annis poſt ſtercorationem, pro ſingulis medimnis ſeminis duæ nitri libræ, deinceps vero etiam pro terra, totidem conſumendæ ſunt. Reſtat Operis *Pars ſexta*, remedia quædam exhibens contra curculiones, ſive nigras illas muſcas, quæ menſe potiſſimum Junio & Julio granaria infeſtant. Horum remediorum unum ita ſeſe habet: Cineres clavellati, cum allio & felle bovino, in aceto coquantur, atque hoc liquore granaria, a curculionibus defendenda, conſpergantur. Similis virtus alii liquori tribuitur, qui ex vitriolo, ſale ammoniaco, alumine, fumaria, abſintho, & allio, commixtis & coctis, parandus eſt. Quodſi jamjam granarium occupaverint curculiones, hyoſciamus &

Digitized by Google

allium cum aqua uſque ad partem dimidiam incoquantur, ac deinde oleum terebinthinæ admiſceatur, illoque liquore grana humectentur, & muſcæ inſertis paſſim aſſulis inſidentes occidantur, ne alibi moleſtæ fiant. Piper etiam contuſum laudat Autor, contra aliud vermium genus, corticem granorum rodens. Appendicis loco adjectus eſt Dialogus œconomicus, quem in præſenti prætereundum arbitramur, illud ſaltem adhuc memorantes, Librum hactenus enarratum, etſi mole ſatis exiguum, non minori, quam duodecim thalerorum, pretio venire.

B. JO. FRID. MAYERI, S.S. THEOL. DOCT. & Prof. Publ. Eclogæ Evangelicæ, in unum Volumen collectæ, Notis ſparſim illuſtratæ, Obſervationibus amplificatæ, Supplementis auctæ, & variis mendis purgatæ, per ERDMAN. NEUMEISTERUM, ad D. Jacobi Paſtorem, & Scholarcham Hamburgenſem.

Pars I.

Hamburgi, 1734, 8.

Alph. 3 pl. 7.

Habes hic, Lector, Eclogas Evangelicas, a Viris de Republica ſacra meritiſſimis, ſumma eruditione, & maximo verbi divini ſtudioſorum & Miniſtrorum emolumento, diligenter æque ac dextre, elaboratas & conſcriptas. Quid B. *Mayerum* excitaverit ad laborem hunc tam utilem, quam difficilem, ſuſcipiendum, ipſemet *Part. II pag. 494 ſeq.* teſtatur: *nempe ut præſcripto Sanctionis Eccleſiaſticæ Electoralis Saxonicæ ſatisfaceret, idque exemplo Anteceſſorum ſuorum, beatæ memoriæ, D. Balduini, D. Meiſneri, D. Lyſeri, D. Hulſemanni, & D. Jo. Deutſchmanni, qui hiſtoriam & argumenta Evangeliorum Dominicalium ex ſuggeſtu & cathedra Academica explicare & interpretari, non ſunt tergiverſati.* Tunc

Tunc temporis enim hic magni nominis Theologus, *Mayerus* noſter, Doctoris ac Profeſſoris Publici munere in Academia Vitebergenſi digniſſime fungebatur. Et quem præterit, quo applauſu excepta ſit *Explicatio* Ἐλεγχτικὴ *Evangeliorum Dominicalium*, quæ a Theologo conſummatiſſimo, *Jo. Gerhardo*, nobis data eſt? Hujus generis ſcriptum hic vides continuatum, & ad præſentem Eccleſiæ noſtræ ſtatum prudenter accommodatum, atque ab omni rerum divinarum doctrinæ apparatu ita inſtructum, ut cornu copiæ dici mereatur, unde commodum redundet ſingulare ad verbi divini Miniſtros, eos præſertim, qui in agro degunt, & Scriptoribus quidem ejusmodi, ex quibus flores iſti, ceu ex horto Theologicæ doctrinæ, decerpti ſunt, deſtituuntur, non autem tentationibus adverſariorum, quibus ſuperandis Eclogæ noſtræ inſerviant. Etenim hic non ſolum Pericopæ Evangelicæ, ſed & alia difficilia Scripturæ Sacræ loca, luce clara illuſtrantur, uti fit *pag.* 404 de pœnitentia Protoplaſtorum, *pag.* 825 de vaticinio *Jobi Cap. XIX* occurrente, & *pag.* 876, ubi *Pſalmus XVI* de reſurrectione Chriſti contra *Clericum* Servatori noſtro dextre aſſeritur. Controverſiæ de maximi momenti fidei noſtræ capitibus diligenter hic continuantur & ſolide deciduntur, contra inſtantias novas tum Pontificiorum, ceu vides *pag.* 370, de invocatione Sanctorum, qui non raro ex Pontificiis ipſis refelluntur, tum Reformatorum, ex quibus *Wehrenfelſius*, *Strimeſius*, & *Jablonski*, præ ceteris paſſim confutati ſunt, *pag.* 486 & 902 *ſeq.* tum Socinianorum, *pag.* 516, & Arminianorum, ſigillatim *Clerici*, ceu ex recenſione noſtra *Partis II* harum Eclogarum, Deo volente, pluribus patebit, tum Fanaticorum noſtri ævi, uti impia illa de Spiritus Sancti incarnatione opinio ſolide *pag.* 985 *ſeq.* & 995 *ſeq.* confutata eſt, tum Piëtiſticarum, uti *pag.* 424 patet. Salutaria quoque hic ſuppeditantur monita ex *Theologia Paſtorali pag.* 889, 912, & alibi. Caſus conſcientiæ deciduntur, qui non exigui ſunt momenti, e. g. quando quæritur: *An juramentum promiſſorium ſit irritum, ſi is, qui jurat, nunquam habuerit voluntatem ſe obligandi?* Affirmavit enim hoc nuperrime Gallus quidam, ſed peſtilentiſſimam

Digitized by Google

ejus hypotheſin *pag. 960* dextre exploſam & proſtratam cernimus. Dari etiam in noſtris Eclogis argumenta, quibus verbi divini Miniſtri afflictos erigant, vel ex diſceptatione de cruce Chriſtianorum *pag. 961* palam eſt. Inveniuntur porro in illis quamplurima, quæ ad cultum Dei publicum & ritus ſolennes ſpectant, ex ipſis fontibus & doctiſſimis illorum Commentariis hauſta, quæ eruditiſſimi Eclogarum noſtrarum Autores ad noſtra uſque tempora proſecuti ſunt, abuſum Pontificiorum ſuperſtioſum ſubinde decenter caſtigantes; uti diſquiſitio de hebdomade magna *pag. 636*, & de die Palmarum *pag 721*, ſatis teſtantur. Speciminis loco, ut, qua ſoliditate ζητήματα, hic mota, ſoluta ſint, appareat, inſervire nobis poteſt, quando contra Scholaſticos, Socinianos, & Reformatos quosdam defenditur, Chriſtum paſſione ſua non ſibi aliquid promeruiſſe hoc argumento: cuicunque omnia perfectionis & gloriæ communicata ſunt, ille non poteſt quidquam amplius acquirere. Atqui, cui communicata eſt non ſolum Deitas, ſed plenitudo Deitatis, imo omnis plenitudo Deitatis, illi communicata ſunt omnia perfectionis & gloriæ. Ergo, cui communicata eſt omnis plenitudo divinitatis, tum quoad poſſeſſionem, tum quoad perpetuum illius uſum, is nihil amplius ſibi poteſt acquirere; niſi forte quid cogitari poſſit, quod omni plenitudine ſit excellentius. Quod autem Servatori noſtro omnis plenitudo Deitatis ſit communicata, hujus veritatis ex *Col. II, 9*, & *Phil. II, 6*, ſolide convincimur. Hæc ſufficere arbitramur ad demonſtrandam Eclogarum *Mayero-Neumeiſterianarum* dignitatem & uſum in Rempublicam Sacram redundantem. Reliqua differemus, donec *Partis II* recenſio ſequetur.

Pag. 516 ſeq.

BREVIS AC DILUCIDA SYSTEMATIS Philoſophiæ WOLFIANI Delineatio. Succinctis Tabulis comprehenſam, luculentis Obſervationibus paſſim illuſtravit, & Panſophiæ, vel ſapientiæ humanæ generatim ſpectatæ, delineatione locupletatam, edidit JOANNES NICOLAUS FROBESIUS.

Helm-

Helmſtadii, ſumtibus Chriſtiani Friderici Weygandi, 1734, 4.
Alph. 1 pl. 18½.

Cum Cl. Autor Tabularum mnemonicarum in compendioſa & facili integrarum diſciplinarum vel ſcientiarum & comprehenſione, & repetitione, uſum a prima juventute ipſo opere didiciſſet, non cœco impetu, ſed provido conſilio, in conficienda Philoſophiæ *Wolfianæ* delineatione compendioſas quasdam Tabulas adhibuit, Philoſophiam in Prælectionibus Academicis traditurus. Has autem ſibi præſcripſit leges, quibus inſtitutum ſuum perficeret. Ante omnia Tabulam quandam univerſalem conſtruxit, ſingulas univerſi Syſtematis ſectiones, ſive partes, complectentem. Deinde Tabulam ſpecialem condidit, ſingulas partis alicujus ſeu capitis doctrinas, ruditer in chartam conjectas, diligenter invicem committens, adhibitoque judicio atque illorum terminorum generalium, qui tradi a Metaphyſicis ſolent, uſu, quot in unaquaque doctrina momenta, ſive argumenta generalia, quot item ſub argumentis generalibus ſingulis momenta ſingularia, & ſic porro, exiſtant, conſiderans. Singula ea, quantum fieri potuit, commodiſſimo nexu atque ordine, diſtinctisque numeris & loculamentis velut adhibitis, collocare ac digerere ſtuduit. Inprimis ad facilem ac vividam omnium & comprehenſionem, & recordationem, & repetitionem, definitiones integras, dogmata, quæ hinc derivantur, præcipua, ac principum argumentorum & rerum definitarum vocabula, diverſis ſingula literis expreſſa propoſuit. Momenta ſpecialia generalibus, ſub quibus comprehenduntur, ordine ſubjecta ſemper exhibuit. Cavit autem ſolicite, ne juſto ſubtiliori partium minutiſſimarum ſubdiviſione diſcentium phantaſia & memoria turbaretur. Cel. *Wolfius* continuo ratiociniorum nexu Philoſophiæ partes ſingulas, Logicam, Metaphyſicam, Philoſophiam moralem atque civilem, qua ſimul Juris Naturalis præcepta continentur, & Phyſicam tam experimentalem, quam dogmaticam, una cum Teleologia, quæ eſt de finibus rerum naturalium, & uſu partium in animalibus atque plantis, propoſuit idiomate Germanico Syſtematibus identidem editis, de qui-

bus ſingulis diximus in his *Actis*. Autor noſter Syſtemata ſingula in Tabulas redegit. Præmiſſa igitur brevi ac dilucida Syſtematis Philoſophiæ *Wolſianæ* in genere delineatione, primum exhibet Tabulas Logicas, deinde Metaphyſicas & Phyſicas. His ſuccedunt Tabulæ, quibus Philoſophiæ moralis Syſtema delineatur: quibus ſubjunguntur illæ, quibus Syſtema Philoſophiæ civilis evolvit. Philoſophiæ naturalis & civilis delineationes ceteris breviores & ſtrictiores ut fierent, ſingularem quandam temporis ac valetudinis rationem flagitaſſe monet. Promittit tamen, ſe proxime ideam utriusque Syſtematis juſtam daturum. In Metaphyſices delineatione ſingula propemodum iſta loca, quæ *Wolſianorum* Dogmatum aut cenſuram, aut uberiorem expoſitionem aliquam, continent, eo fine excitavit, ut, quoties de *Wolſianarum* doctrinarum valore diſputatio inſtituenda eſt, promtius invicem componi atque examinari, vel æſtimari utriusque partis ſententiæ, ne inaniſſimis quidem prætermiſſis, valeant. Non tamen opus eſſe exiſtimavit, ut ea exponeret, quæ pro *Wolſianæ* Philoſophiæ innocentia diſputari poterant, etſi innocentiæ teſtimonium præbere optime poterat, cum non modo in Academia Halenſi Cel. *Wolſium* Philoſophiam & Matheſin tradentem ſedulo audiverit, verum etiam Hala Marburgum diſcedentem ſecutus, Syſtematum illorum explicationem uberiorem ex ore Philoſophi hauſerit. Non vult ab aliis abunde dicta repetere. Neque enim ſolum Cel. *Bülffingerus* in Dilucidationibus Philoſophicis, & *Thümmigius* in Præfatione ad Inſtitutiones Philoſophiæ *Wolſianæ*, quos Noſter laudat, verum etiam alii bene multi, veluti Vir S. Rev. *Ricbovius*, Cl. *Hollmannus*, Anonymus Autor Commentationis de Deo, anima, & mundo, quam in *Actis A. 1726 Menſ. Oct. pag. 455 ſeq.* copioſe recenſuimus, dudum id præſtiterunt. Imo nuperrime Vir Pl. Rev. *Joannes Jacobus Kœthen*, Paſtor Lutheranus Genevenſis, in Epiſtola, qua Cel. *Wolſio*, in Academiam Regiam Scientiarum, quæ Pariſiis floret, cooptato, publice gratulatus eſt, ſingulare innocentiæ illius Philoſophiæ teſtimonium præbuit. Fatetur enim, ſe fama de impietate doctrinarum *Wolſianarum* per totum literarum orbem ſparſa ad accuratiorem Librorum Philo-

loſo-

Digitized by Google

loſophi lectionem fuiſſe excitatum; ſed ſecundis hiſce curis non aliud edoctum fuiſſe, quam *Wolfium* ab impii alicujus erroris culpa tantum abeſſe, quantum a vero pietatis amore alieni ſint, qui modo ſpeciem ejus præ ſe ferunt,&, quæ ab eodem ad probandas adorandæ Divinitatis perfectiones in medium allata ſunt, eo propius & efficacius ad reverendum hoc ſummum Numen comparata eſſe, quo remota ſunt longius a ratione vulgi. Exemplo itaque ſuo probat, quod Noſter affirmat, *Anti-Wolfianorum* criminationes effeciſſe, ut paulatim & examinare, & comprobare, & vindicare, & celebrare, & amplis denique muneribus dignam judicare *Wolfianam* Philoſophiam Viri ſummi & cordati, nedum Principes, ſuſceperint. In Delineatione Syſtematis Panſophici, ſeu Encyclopediæ, quam Philoſophiæ *Wolfianæ* Delineationi præmiſit, id agit Autor, ut omnem eruditionis humanæ ambitum uno conſpectu exhibeat, ſingularum partium, ad eam pertinentium, notiones diſtinctas tradat, circa eas obſervanda inculcet, & in notitiam Autorum, qui Encyclopedias ſcripſere, Lectorem perducat.

Kurtze Fragen aus der Philoſophiſchen Hiſtorie, ꝛc.

h. e.

JACOBI BRUCKERI HISTORIA PHILOſophica, erotematice expoſita.

Pars V.

Ulmæ, apud Dan. Bartholomæi, 1734, 12.

Alph. 2 pl. 21.

En Hiſtoria Philoſophiæ & Philoſophorum medii ævi, quod inde a *Boethio* decurrit ad *Eraſmum* uſque ac *Lutherum*, luculenter compoſita ab eodem Autore, cujus eximia hujus generis in Rempublicam Literariam merita jam ſæpius laudavimus. Duas longum illud temporis ſpatium jure dividitur in Partes, quarum prior vidit Regnum barbariei, altera Regnum Philoſophiæ ſemibarbaræ. Scilicet Seculo ſexto

in

Digitized by Google

in Occidente, ſeptimo in Oriente, emortua erat Philoſophia; eique interitum attulerant illic ſuperſtitiones in religionem Chriſtianam invectæ, hic *Muhammedes*. Factum vero tandem eſt, ut inter Saracenos, ſive Arabes, veluti renaſceretur Philoſophia, & ab his, ſedes fortunarum ſuarum in Europa quoque collocantibus, etiam propagaretur ad Chriſtianos Pontificios. Ceterum utrique monarcham Philoſophiæ conſtituerunt *Ariſtotelem*: quem errorem tandem animadvertentes plures, ſucceſſorem ei dederunt errore ſimili *Platonem*: cujus tamen nec ipſius regnum fuit æternum, comprobata ad ultimum vera philoſophandi ratione, quæ vocatur Philoſophia eclectica.

Tribus igitur hic Tomus abſolvitur *Capitibus*, quorum *primum* eſt de Philoſophia Arabum, ſive Saracenorum, *alterum* de Philoſophia Scholaſticorum, *tertium* de Philoſophia *Platonicorum* novorum, ceterorumque reformationis Philoſophiæ ſtudioſorum, qui Seculum præceſſerunt decimum ſextum. Et de *Arabum* quidem Philoſophia exponere aggreſſus Cl. Autor, docet initio, quantum impedimenti ſtudio philoſophandi objecerit Muhammedana Religio, & contra, quantum adjumenti ac præſidii ei attulerit nono Seculo Princeps *Almamon*, cujus erga Philoſophiam ceteraſque literas promerita copioſe non magis, quam diligenter, perſequitur. Ceteros etiam commemorat ac laudat Saracenorum Principes, qui Philoſophicis diſciplinis præſtiterunt patrocinium, oſtenditque progreſſum Philoſophiæ Arabicæ per Ægyptum, per regna Tunetanum & Maroccanum, ac denique per Hiſpaniam. Inprimis ediſſerit, quomodo Arabes hi Philoſophiam ſuam applicarint ad Theologiam, ineptiasque Alcoranicas defenderint armis dialecticis, (dicti inde *Medabberim*, *Loquentes*, ſive potius *Dialectici*,) viam ea re præeuntes Philoſophis Chriſtianæ Eccleſiæ Scholaſticis. Tum pluribus agit de eminentioribus Arabum, ſive Muhammedanorum, Philoſophis, *Alkindo*, *Alpharabio*, *Raſio*, *Avicenna*, *Algazelo*, *Averroe*, (cujus ſententiam *de intellectu univerſali* illuſtrat *pag. 266 ſeq.*) ceteris: eorumque de vita, philoſophia, & libris, profert, quicquid adhibita ſingulari induſtria

ſtria reperire potuit. Poſtea progreditur *pag. 293* ad conſiderationem horum philoſophiæ ſecundum ſingulas diſciplinas, in eaque hæret uſque ad *pag. 510*. Docet hic, Arabas, religionis ſuæ occæcatos præjudicio, eximium quid in Philoſophia præſtare non valuiſſe; meros fuiſſe ſectarios, cæca fide addictos *Ariſtoteli*; imo ne γνησίως quidem *Ariſtotelicos* fuiſſe, cum & ſapuerint ex interpretibus *Ariſtotelis* illis, qui a vera Philoſophi hujus ſententia ſæpiſſime aberrarant, & ob oculos habuerint non ipſum *Ariſtotelem* Græce loquentem, ſed verſiones ejus turpiſſimas, hoc eſt, plurimis locis falſas; denique totam hanc Arabum Philoſophiam fuiſſe admodum jejunam atque tenuem. Singulatim hinc recitat *pag. 345 ſeq.* horum Philoſophorum placita in Theologia naturali, in Phyſica, in Metaphyſica, in Ethica, in Politica: eaque exhibet e probatiſſimis ipſorum illorum Philoſophorum monumentis, e quibus nunc ſolum illud *Roſarium Sadii* commemoramus, cujus Epitome hic legitur *pag. 461-509*.

Sequitur *pag. 511-1326* de Philoſophia *Scholaſticorum* luculenta tractatio. Cum vero hæc Seculo demum duodecimo effloruerit, ac ſuperiore in *Tomo* hiſtoria Chriſtianorum Philoſophiæ perducta fuerit ad exitum ſexti Seculi; præmittendum duxit Cl. Autor ſtatum Philoſophiæ interjectorum quinque Seculorum. Ac ſeptimo quidem Seculo prope emortuam eſſe (certe optimus & fere unus hujus Seculi Philoſophus erat *Iſidorus Hiſpalenſis*,) docet Philoſophiam, *Gregorio M.* Papa odio flagrante in Philoſophos, ſuosque *Libros Moralium* pro fonte ſapientiæ orbi obtrudente, vixque *Auguſtini* libris philoſophicis aliquid autoritatis habentibus. Octavo quoque Seculo ſumma regnabat barbaries, niſi quod in Anglia *Beda* & *Altuinus* fugienti Philoſophiæ manus injiciebant, & alios quoque ad eam una cum ceteris literis colendam excitabant. Cumque inter *Alcuini* diſcipulos etiam *Carolus M.* Imperator fuerit, hujus quoque in Philoſophiam & ceteram eruditionem merita hic deſcribuntur. Nonum Seculum Philoſophos pro illius ætatis modulo habuit *Rabanum Maurum*, *Walafridum Strabum*, *Joannem Scotum Erigenam*, paucosque alios: de quibus ſingulis Noſter tradit cognitu di-

Digitized by Google

gniora, ex optimis decerpta monumentis. Decimo Seculo, quod *obſcurum* & *ferreum* nominari ſolet, philoſophicæ ſcientiæ laudem præ ceteris tulerunt *Bruno*, Imperatoris *Ottonis M.* frater, & *Gerbertus*, Papa. Undecimo Seculo Philoſophiam non mediocriter excoluere *Fulbertus Carnotenſis*, *Berengarius*, *Lanfrancus*, *Roſcelinus*, *Anſelmus*; ut eos, qui ſunt famæ obſcurioris, prætereamus.

Nunc demum *pag.* 777 hiſtoriam Noſter aggreditur Philoſophiæ *Scholaſticorum*, cujus accuratam perfectamque hiſtoriam nondum a quoquam compoſitam eſſe, dolet. *Tribbechovii* enim *de Scholaſticis* librum haudquaquam implere menſuram hiſtoriæ Scholaſticorum, judicat. Docet autem initio, duos Anglos, *Robertum Retenenſem* & *Adelardum*, in Arabum ſcholis didiciſſe Philoſophiam, & plura eorum ſcripta in linguam Latinam transtuliſſe; hinc *Ottonem Friſingenſem* Germanicas in ſcholas invexiſſe libros *Ariſtotelis*, tumque *Ariſtotelicorum* Dialecticorum plena facta eſſe omnia; fuiſſe quidem, qui damnarent Philoſophiam *Ariſtotelis*, efficerentque, ut ejus librorum uſus interdiceretur; ſenſim tamen recuperaſſe eos autoritatem maximam, atque ad Seculum uſque decimum ſextum retinuiſſe. Ad *Scholaſticorum* nomen quod attinet, etiam hujus originem aperit, & hac occaſione ceteros etiam hujus appellationis ſignificatus veteres recenſet. Delatus ad quæſtionem de ortu Philoſophiæ *Scholaſticæ*, poſtquam aliorum protulit atque expendit ſententias, tandem ſtatuit, hiſtoria duce, eam Philoſophiam Seculo octavo conceptam, nono decimoque velut in utero formatam, undecimo natam eſſe & in lucem editam, adoleſcentiam ejus in duodecimum, virilem robuſtamque ætatem in decimum tertium Seculum incidere. Quare hiſtoriam horum Philoſophorum deſcribens, initium facit a Seculo duodecimo. Nec vero Scholaſticos recenſet ad unum omnes, (quod nec fieri potuiſſe videtur ob ingentem multitudinem,) ſed nobiliſſimos. Horum de vita & ſcriptis copioſe pariter & accurate commentatur, eximiamque pandit notitiam *Guilielmi de Campellis*, *Abælardi*, (cujus *Vitam*, *A.* 1720 Gallice editam, & a nobis *A.* 1721 *Menſ. Jun. pag.* 263 *ſeq.* recenſitam,

tam, Autorem habere *Gervaſium*, Abbatem Trappenſem, in his *Actis* docuimus *A. 1729 Menſ. Sept. pag. 407,) Lombardi, Roberti Pulli, Gilberti Porretani, Petri Comeſtoris, Joannis Sariſberienſis*, & *Alexandri Aleſii*: qui vocari ſolent *primæ* ætatis Scholaſtici; *Alberti M. Thomæ Aquinatis*, *Bonaventuræ*, *Petri Hiſpani*, *Rogeri Baconi*, *Ægidii Romani*, & *Scoti*, Scholaſticorum *ſecundæ* ætatis; *Durandi a S. Porciano*, *Occami*, *Suiſſeti*, *Buridani*, *Marſilii ab Ingben*, *Gualteri Burlæi*, *Joannis Weſſeli*, & *Gabrielis Bielis*: qui *tertiæ* ætatis præcipui fuere Scholaſtici. Nec intactos prætermittit ceteros non obſcuri nominis Scholaſticos, e quibus nominare nobis libet *Alanum Magnum*, *Alexandrum Neckam*, *Robertum Grostbead*, *Petrum Aponenſem*, *Franciſcum Mayronium*, *Arnoldum de Villa nova*, *Petrum Aureolum*, *Gregorium Ariminenſem*, *Joannem Capreolum*, & *Dominicum de Flandria*. Ultimo loco *pag. 1239 - 1317* judicium fert de Philoſophia Scholaſtica, non ſolum generatim, ſed ſeparatim quoque de ſingulis Scholaſticorum diſciplinis. Ne juſto longiores ſimus, vocat Cl. Autor hanc Philoſophiam *Pſeudo-Philoſophiam*. Conſiſtere eam ait in nugis difficilibus: corruptricem eſſe Theologiæ: verbalem magis eſſe, quam realem: invehere Scepticiſmum. Addit, nullam Philoſophicarum diſciplinarum a Scholaſticis eſſe recte tractatam & juſto modo excultam: imo nullam non fuiſſe ab iis vitiatam & corruptam. Commemorat denique Sectas eorum, *Albertiſtas*, *Thomiſtas*, *Scotiſtas*, *Occamiſtas*. Inprimis accurate diſputat de Sectis *Nominalium* & *Realium*, &, in quo conſiſtat horum diſſenſio, perſpicue exponit.

Tertium hujus Tomi *Caput* conſiderat Reformatores Philoſophiæ, qui vixerunt ante *Lutheri* ætatem. Hos inter primus erat *Raymundus Lullius*. Hunc excipiebant Itali quidam, qui, elegantiores in lucem revocantes literas, aditum aperiebant Philoſophiæ meliori. Ad extremum, delatis in Occidentem poſt captam Conſtantinopolim doctiſſimis Græcis exulibus, cum Græca lingua compluribus redderetur familiaris, alii germanæ *Ariſtotelicæ*, alli *Platonicæ*, Philoſophiæ ſe præ-

Digitized by Google

buere profeſſores. Habes igitur hic, Lector, longam narrationem de *Lullio*, ſimulque de arte *Lulliana* judicium accuratum, *pag. 1337 - 1360.* Habes item hic vitam & fata *Dantis Aligerii*, *Franciſci Petrarchæ*, aliorumque doctrinæ elegantia nobilium Italorum: quibus unus e Germanis adjunctus eſt, *Rudolphus Agricola.* E *Platonicis* vero novis copioſius hic agitur de *Georgio Gemiſto Plethone*, de *Beſſarione*, de *Marſilio Ficino*, de *Joanne Pico Mirandulano*; ex novis *Ariſtotelicis* de *Theodoro Gaza*, de *Georgio Trapezuntio*, de *Georgio Scholario*, ſive *Gennadio*.

Expectemus nunc *ſextum*, eundemque ultimum, Hiſtoriæ Philoſophicæ *Tomum*, qui exhibiturus eſt ſtatum Philoſophiæ inde a *Lutheri* tempore uſque ad hanc noſtram ætatem, isque ut pari felicitate abſolvatur, vehementer optamus.

DE ROMANA REPUBLICA, SIVE DE RE Militari & Civili Romanorum, ad explicandos Scriptores antiquos; Autore PETRO JOSEPHO CANTELIO, *e Societate Jeſu.*

Venetiis, apud Petrum Baſſaleam, 1730, 8.
Alph. 1 pl. 5.

Mirabuntur forſitan Lectores noſtri, cur, poſt varias hujus Libelli editiones, hanc Venetam primam in noſtris recenſere *Actis* inſtituerimus. Sed eos ſcire volumus, id a nobis non factum fuiſſe, niſi duæ huic editioni acceſſiſſent Diſſertationes, quæ, uti in reliquis *Cantelii* editionibus non habentur, ſic huic ipſi præ illis prærogativam ſuam omnino conciliant. Expreſſa quidem eſt ex ſexta illa Lugdunenſi editione, nec in iis, quæ in prioribus exſtiterunt, quidquam vel omiſſum offendimus, vel additum, vel denique immutatum. Nam, quemadmodum ipſe *Cantelius* Opus ſuum in *duas Partes* diviſit, ſic idem quoque hic retentum annotavimus. Utraque ſex conſtat Diſſertationibus. In *Parte prima*, quæ eſt de re militari Romanorum, bella, prælia, mortes illuſtres, provinciæ, jura,

jura, militia, ſingularibus explicantur Diſſertationibus. *Pars* vero *ſecunda* de re civili Romanorum, nomina, ordines, comitia, magiſtratus, ſacerdotia, familias, annum, menſes, ferias, veſtes, convivia, ludos, & funera, illuſtrat. His vero omnibus in hac editione Veneta *duæ* acceſſerunt *Exercitationes*, ex probatiſſimis Scriptoribus excerptæ. *Prima* exponit Sacrificia Romanorum, ita quidem, ut, memoratis breviter Sacrificiorum generibus apud Romanos uſitatis, de ritibus, qui tam Sacrificium anteceſſerunt, quam in ipſo Sacrificio obſervari ſoliti fuerunt, quique ad ſuperos æque ac marinos & inferos Deos pertinuerunt, agatur, & Sacrificia ſingulis anni menſibus fieri ſolita enarrentur, ac tandem feriæ non ſtato neque certo tempore celebratæ indicentur. *Altera*, quæ nunc demum adjecta eſt, *Exercitatio* ritus Romanorum nuptiales ſiſtit, & de ſponſalibus, eorumque ratione, de die nuptiarum, deque triplici earum forma, de novæ nuptæ cultu & ornatu, de novæ nuptæ ad maritum deductione, de novæ nuptæ in mariti domum ingreſſu, de cœna nuptiali, de ſacrificiis nuptialibus, ac denique de reliquis nuptiarum ritibus, e. g. de ingreſſu in cubiculum, de Epithalamio, de nucibus, de repotiis, &c. luculenter exponit. Singulari quoque hæ Exercitationes duæ, jam nunc recenſitæ, inſtructæ ſunt Indice, prout ipſum Opus *Cantelii* jam eodem & antea fuit & hic eſt præditum.

CAROLI PURCKHARDI, S. J. ARS SCUTAria, vulgo Heraldica.

Norimbergæ, ſumtibus Jo. Ad. Schmidii, 1734. 8.
Plag. 7, cum fig. æn. 1.

Occaſionem ſcribendæ huic Heraldicæ præbuerunt nonnulli Juvenes, qui in Academia Viennenſi A. 1733 primam Philoſophiæ & Artium liberalium lauream reportarunt, quam ut illis more majorum gratularetur, Cl. Autor has Artis Scutariæ regulas in chartam conjecit, & verſibus non inelegantibus expreſſit. *Tribus Partibus* abſolvitur univerſum hoc Opuſculum.

Digitized by Google

In Procemio inſtituti rationem hiſce verbis exponit Autor:

Pag. 2. — — *Romanæ inſignia gentis*
Dicere fert animus, ſacrum ter fulmine miſſo
Munus & arcanas armorum tradere leges.

Poſt, piis ad Deum precibus factis, Auguſtiſſimi Imperatoris noſtri gratiam humillime implorat, & in hanc ſententiam eum alloquitur:

3. *Te quoque, poſt ſuperos rerum cui ſumma poteſtas,*
Auſpice jura canam, mihi, Cæſar, adeſto canenti,
Et decus Imperii, & pictas ab imagine ceras,
Arma patris, Proavosque tuos, aquilasque bifrontes,
Auſtriacæque domus tua gaudia, gentis alaudas.

In *prima* Libelli *Parte* in Scutorum gentilitiorum originem inquirit, eandemque ex ancilibus Romanorum, cœlo, uti ferunt Poetæ, delapſis, derivat, atque in Germania primos ludorum equeſtrium natales ad *Henrici Aucupis* tempora refert. *Secundæ Partis Caput primum* figurarum ſitum, diviſionem & conjunctionem Scutorum, commemorat. *Alterum* ejusdem *Partis Caput* Scutorum colores ac tincturam exhibet; *Caput tertium* figuras Scutorum recenſet; *Caput quartum* de galea Scuti, coronis & apice Scutorum præcipit; *Caput quintum* Scutorum diſcernicula & figuras loquentes complectitur; *Caput ſextum* tegumenta galearum, telamones, dignitatum & ordinum notas, lemmata & teſſeras militares, explicat. *Tertia Pars* anatomiæ & reſolutioni quorundam Scutorum conſecrata eſt. *Primo* quidem *Capite* reſolutionem Scuti domus Habſpurgicæ; *Capite ſecundo* Scuti Auſtriaci veteris & novi; *Capite tertio* Scuti Cæſaris Auguſtiſſimi, *Caroli VI*, oſtendit. Per totum Libellum Notæ conſpiciuntur, ad modum *Minellii* conſcriptæ, planæ, tritæ, obviæ, quas in gratiam juventutis ſtudioſæ, cujus uſibus inprimis dicavit operam ſuam, ſe appoſuiſſe, Cl. Autor in Præfatione Operis affirmat. Singulis *Capitibus* explicationem ſermone numeris ſoluto præmiſit, verborum Arti Scutariæ familiarium ſignificationem docuit, & nihil omiſit eorum, quæ ad proletariam & ſuperficiariam Artis Heraldicæ notitiam acquirendam pertinere poterant. Nihilominus,

Digitized by Google

nus, ſi libellioni mirificis elogiis Heroem ſuum ornanti credimus, optimos & peritiſſimos artis Magiſtros, *Spenerum, Rudolphium, Meneſtrierium, Vallemontium, Ciacconium, Fuggerum, Lazium, Cuſpinianum*, & quidni *Trierum?* conſuluit, illorumque ſcripta in uſus ſuos ſapienter convertit. De dicendi, quo in carmine uſus eſt, genere malumus ipſis Lectoribus judicium relinquere, quam interponere noſtrum. Adſcribemus itaque verſus, quibus originem ludorum equeſtrium ornatiſſimus venuſtiſſimusque Poeta deſcrbit: Pag. 24.

Jam duo ſunt tacito labentia Secula curſu
Teutonicos mirata duces, jamque ordine longo
Caſareis, victrixque novis onerata trophais
Gens Alemanna gravi captivas ſyrmate gentes
Duxerat, Henricus*que ſuum, qui nomen amato*
Traxit ab aucupio, ludos decrevit equeſtres,
Trojanosque dato juſſit certamine circos
Queis multos renovata dies & Secula virtus
Cerneret, & ſtimulata novis juveneſceret annis,
Nullus ibi (niſi quos clarorum longus avorum
Nobilitat ſanguis, multasque ab imagine ceras
Æmula majorum, virtusque novitia jactet,)
Armato concurrat equo, peregrinaque nudis
Vecors affectet componere digmata ſcuti.
Ne tamen (ecce nefas) borno vix ſanguine natus
Involet in circum, ſcutoque inglorius albo
Induat illuſtris mendax inſignia gentis,
Reſtitui antiquos placuit Fetialis honores,
Patratosque patres quos Caſar equiria cura
Juſſerat; his luſtrare datum eſt haſtasque virosque,
Nobilitata patrum generoſo ſanguine ſcuta;
Sectio qua clypei, qua ſit tinctura, ſitusque,
Qua galea incumbat parmis, & imago venuſtet.

LES VERITEZ CAPITALES DE LA RELIGION, &c.

h. e.

VERI-

VERITATES PRIMARIÆ RELIGIONIS, methodo propoſitæ catechetica a JACOBO PLANTIERIO.

Genevæ, apud Mich. Bouſquet, 1733, 8. Alph. 1 pl. 2.

Præclaram profecto navant operam, qui id agunt, ut ii quoque, qui non ſunt Theologi, ſed vel alia diſciplina eruditi, vel plane illiterati, ſive viri, ſive mulieres, ſolidam adipiſcantur cognitionem religionis. Methodo hi fere utuntur erotematica, ideoque *Catechiſmos* inſcribunt hujus generis Libros. Ceterum facile apparet, quo quis doctior eſt in Syſtemate ſuæ diſciplinæ, eo melius eum dare poſſe compendium ejus, eoque meliorem Catechiſmum. Jam vero noſter Cl. Autor (id quod ex ipſius *Præf. pag. 31* nunc demum diſcimus,) jam A. 1721 egregium edidit de Veritate Religionis Chriſtianæ Opus, quod in his *Actis A. 1722 Menſ. Jul. pag. 294 ſeq.* honorifice fuit recenſitum. Quo igitur flagrat publici commodi ſtudio, nunc *Catechiſmum* exhibet *generalem*, hoc eſt, ipſa religionis fundamenta, quæ ſolent in Catechiſmis prætermitti ac ſecure ſupponi, pertractantem, omiſſis doctrinis religionis noſtræ ſpecialibus, quarum quippe tractatione abſolvuntur Catechiſmi aliorum. Eſſe autem has quatuor ait veritates religionis fundamentales, 1) quod unus eſt Deus; 2) quod religio Chriſtiana Deum habet autorem; 3) quod Scriptura Sacra eſt liber divinus; 4) quod Deus olim judicium exerciturus eſt in univerſum genus humanum. Præterea fatetur, ſe in ſingulis his tractationibus ducem ſequi Cl. *Turrettinum*, cujus exſtant de generalibus illis religionis capitibus diſputationes eruditiſſimæ. Ceterum *tres* habet hic Catechiſmus *Partes*. In *prima*, breviter utilitate Religionis oſtenſa, ſimulque cauſis prolatis Atheiſmi ac Deiſmi, & Atheorum, maxime *Spinozæ*, objectionibus præcipuis infractis, agitur acute de exiſtentia Dei, de ejus perfectionibus ſingulis, de creatione mundi, ac denique de mundi rectrice providentia. In *ſecunda* demon-

Digitized by Google

monſtratur divina religionis Chriſtianæ origo 1) ex Prophetarum de Meſſia vaticiniis in Jeſu impletis; 2) ex Chriſti de Reipublicæ Judaicæ interitu prædictionibus itidem impletis; 3) ex teſtimonio Apoſtolorum omni exceptione majori de Chriſti reſurrectione; 4) ex Chriſti atque Apoſtolorum miraculis; 5) ex mirabili propagatione religionis Chriſtianæ; 6) ex verorum Chriſtianorum divinis moribus invictaque perſeverantia, & 7) ex variis divinitatis characteribus, qui inſunt in religione Chriſtiana, e. g. quod ceteras omnes religiones præſtantia longe ſuperat. Oſtendit inter hæc, Libros Biblicos non eſſe ſuppoſititios, Scriptoresque eorum agitatos fuiſſe a Spiritu Sancto. *Tertia* in *Parte* agitur de ortu & natura legum moralium, exhibeturque concinnum compendium Philoſophiæ moralis & Juris naturæ, adjectis argumentis ad demonſtrationem judicii univerſalis idoneis, e ſolo naturæ lumine petitis.

HISTORICA RELATIO DE APOSTOLICIS miſſionibus Patrum Societatis Jeſu apud Chiquitos, Paraquariæ populos, Hiſpano idiomate conſcripta a P. JO. PATRICIO FERNANDEZ, hodie in linguam Latinam translata.

Auguſtæ Vindelicorum, ſumtibus M. Wolff, 1733, 4. Alph. 1 pl. 19.

Eſt in Auſtrali America ingens fluvius, quem *Rio de la Plata*, hoc eſt, *argenti fluvium*, Hiſpani nominant. Haud procul eo ſita eſt Regio *Paraquaria*, cujus pars eſt populus *Chiquitorum*. Horum hoc Libro ingenia, mores, ritusque, deſcribuntur, imo & lingua, cujus ecce hoc Specimen: *Au niri naqui yayotik, ta naqui ayotik, la naqui Eſpiritu Santo*, hoc eſt, *in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Nobili Miſſionariorum munere apud hos functi ſunt nuper *Joſephus de Arce, Antonius Fidelius, Lucas Cavallerius, Bartholomæus de Blende, Jo. Bapt. de Zea, Michael de Yegros, Albertus Romerus, Jo. Bapt. Xandra, Joſephus Tolu, Ant. Machomius*, & *Franciſcus*

Digitized by Google

Hervaſius, Jeſuitæ. Longior eſt horum Miſſionariorum hiſtoria, quam ut hic locus eam capiat. Quare duntaxat mirabilia aliquot & prodigia hinc excerpemus, Lectoribus permittentes ſive annuendi, ſive abnuendi, libertatem. Relatum ſcilicet legimus *pag. 70*, neophytum quendam Indum, in itinere invadente in eum tigride, cum exclamaſſet nomen Jeſu & Mariæ, effeciſſe ſtatim, ut recederet fera, ſeque in ſylvam reciperet. *Pag. 90* alius neophytus Mariam habuit obviam, multis Sanctis comitatam, cumque ea collocutus eſt. Contra *pag. 157* diabolus viſibili ſpecie apparuit cuidam neophyto, eique perſuadere ſtuduit, ſua ut in caſtra rediret. Quod cum ille facere recuſaret, tum diabolus ipſum tam crudeliter verberavit, ut ſanguis ex ore & naribus proflueret. Sed tulit is hoc ſuæ conſtantiæ præmium, ut e veſtigio ſanitati ac priſtinis viribus reſtitueretur. *Pag. 161* narratur, *Lucam Cavallerium* ab hoſtibus circumdatum fuiſſe, qui tela erant in eum emiſſuri: ſed, objecta iis effigie Mariæ, neminem eorum ex intento jam arcu ejicere telum ullum valuiſſe. Rurſus *pag. 168 ſeq.* traditur, Mariam Indo cuidam, ad amplexandam Chriſtianam religionem parato, ſe cernendam præbuiſſe, & quidem tanto circumfuſam fulgore, ut totus loci ambitus inſolito modo illuſtraretur. Erat vero ille homo valde æger, ſed, viſa Maria, quæ & allocuta eſt ipſum, confeſtim convaluit. *Pag. 175* legimus, *Cavallerium*, manu geſtantem Mariæ effigiem, domibus peſte laborantium eam admoviſſe: quo facto, & ſimul Angelica ſalutatione recitata, peſtilentem luem intra paucos dies penitus evanuiſſe. Subſequenti pagina refertur, eundem telis petitum, cum effigiem Mariæ geſtaret, adeo non eſſe vulneratum, ut etiam emiſſæ ſagittæ ſumma vi retro ſe converterent. *Pag. 179* Maria, à quodam graviſſime vulnerato invocata, lenem ei ſomnum immiſit, quo ſuperato, is ſanum ſe deprehendit ex omni parte. *Pag. 181* legimus, eundem *Cavallerium* multis ægrotis ſanitatem reddidiſſe miraculo. *Pag. 182* narratur, neophyto cuidam puſillanimi apparuiſſe viſibilem Mariam, eamque partim promiſſis, partim verbis acrioribus, ſtimulaſſe ad cœptum ſemel opus non deſerendum. *Pag. 187* memoriæ proditur, aliquando erectionem crucis effeciſſe, ut peſtilentia furere deſineret: imo pulcherri-

mum

Digitized by Google

mum & rutilantem juvenem e cœlo deſcendiſſe, & humi proſtratum crucem illam adoraſſe. *Pag.* 190 refertur, *Cavallerium* vidiſſe diabolum ſcintillantibus oculis præditum, ſed eum fugaſſe præſentia ſua, & quidem ita, ut horrendum in modum ejularet Stygius ſpiritus. A. 1711 occiſum eſſe, hoc eſt, martyrem eſſe factum, hunc *Cavallerium*, legimus *pag.* 195, cujus mortui ſupra corpus flamma conſpecta eſt, ipſaque jumenta (*pag.* 197) inceſſit religio, ut ſua ſponte per longam viam accurrerent, & martyris hujus corpus aſportarent. Omnes vero, qui ei injecerant manus violentas, paucorum dierum ſpatio miſerabili morte perierunt. *Pag.* 253 legimus, Indam quandam, profeſſione Chriſtianam, ſed impudice viventem, poſt mortem veniſſe non ſolum ad fores parentum, & clamaſſe: *Ego ſum Iſabella*; ſed etiam tranſiiſſe ad habitationem Patris Miſſionarii, ab eoque horribili in forma conſpectum eſſe: tum templum circumiiſſe, & campanas crebro ictu percuſſiſſe, ut nemo unus pedem domo efferre auderet. *Pag.* 260 refertur, duos Miſſionarios poſt mortem ſuam, indutos veſte ſacerdotali, & radiis colluſtratos, barbaris ſuis interfectoribus ſe conſpiciendos præbuiſſe cum acri exprobratione patratæ necis, & cum mandato, ut alios ex Jeſu Sociis ſibi adſciſcerent, qui ipſos erudirent doctrina Chriſtiana. *Pag.* 269 refertur, apoſtatam quendam poſt mortem ſpectri habitu prodiiſſe in publicum, obviosque edocuiſſe, ſe æternis ignibus ideo damnatum eſſe, quod a ſancta fide defeciſſet. Ibidem narratur, cum alicubi ſpectra ſeſe offerrent ſpectanda fœdis & horrendis formis, cruces erectas fuiſſe in domibus, in plateis, in collibus: quo facto, tumultuari deſiiſſe infernales genios. Et *pag.* 270 commemoratur, aliquando ingentem ſiccitatem afflixiſſe agros, omnemque ſpem meſſis concidiſſe: ſed, poſt invocatam a populo Mariam, ſubito tantum effluxiſſe pluviæ, ut colonorum triſtitia penitus diſpelleretur. Satis miraculorum: quibus & hoc annumerandum multis videbitur, quod, uti *pag.* 275 *ſeq.* refertur, A. 1729 in America baptizati ſunt neophyti 60263 Parenenſes, & 69405 Urugajenſes.

LITERATI SUIDNICENSES; AUTORE THEODORO KRAUSIO, Advocato.

Digitized by Google

Pars I.

Lipſiæ & Suidnicii, apud J. G. Bœhmium, 1732, 4.
Plag. 12.

Qui certæ cujusdam civitatis viros literatos deſcribunt, ii gratum faciunt partim ſolis illius loci civibus, partim eruditis univerſis. Sunt namque quidam domi duntaxat nobiles, quorum notitia plenior civibus ſuis jucundiſſima ſit, neceſſe eſt. Aliorum fama fines patriæ egreſſa eſt, adeoque hi merito ita producuntur in lucem orbis literati, ut nihil omittatur, quod proditum de iis paſſim eſt memoriæ. Noſtrum igitur eſſe putamus, ex hoc Opere, patria lingua conſcripto, quod Cl. *Cruſius*, Vir aliis jam libris editis in Republica literaria gratioſus, adornat, eorum tantummodo excerpere nomina, qui & extra patriam facti ſunt clariſſimi. Horum hic reperimus tres, de quibus Cl. Autor congeſſit, quicquid ipſi varia ſuppeditavit lectio.
Pag. 36. Primus eſt *Joannes Hoffmannus*, unus e primis Lipſienſis Academiæ Profeſſoribus, Theologus pariter ac Philoſophus ſuæ ætatis eximius, quique utramque ſcientiam pluribus libris illuſtrare ſtuduit. Interfuit Conſtantienſi Concilio, & mortuus eſt Epiſcopus Miſnenſis A. 1451 d. 26 Martii. Memoratu dignum eſt hoc dictum ejus: *Si ſancta Biblia lego, aliam invenio religionem, quam qua noſtra hodie eſt, & illam noſtris*
77. *moribus ac inſtitutis valde diſſimilem.* Alter eſt *Chriſtophorus Pelargus*, Vir multis Theologicis ſcriptis inclytus, qui Rector Academiæ Francofurtanæ diem ſuum obiit d. 10 Junii A. 1633. Inſignis hic eſt nota mutatæ religionis, e *Lutheranis* quippe caſtris transgreſſus ad Reformatos, vocatusque propterea a *Quenſtedio magnus apoſtata*, a *Balduino ſtella de cœlo lapſa.*
88. Tertius eſt *Jeremias Setſerus*, multis editis Diſputationibus Juridicis clarus ejusdem Academiæ Profeſſor, exſtinctus A. 1608 d. 3 Octobris.

J. C. H. R. G. OBSERVATIO PHYSICA DE marium fœminarumque genitura phaſibus Lunæ accommodata.

I. Vetuſtiſſima per terrarum orbem dimanavit opinio, *Lunæ* in prolem tum formandam, tum producendam, vim ineſſe

Digitized by Google

eſſe ſingularem. Sententias veterum, ab aſtris deſumtas, haud ubique firmo ſtetiſſe talo, nemo unus ambigit. Ea tamen, quæ a diligentia obſervationum pependerunt, ſæpius continere aliquid veri, vel *Thales Mileſius* exemplo ſuo docet, qui, ex obſervationibus & regulis Orientalium ſuſtinuit ſolis prædicere defectum. Conſimilibus obſervationibus dudum doctrinæ veterum, de viribus herbarum medicinalibus, per manus traditæ, fuerunt ſuperſtructæ. Videbimus, quid opinioni veterum de formatione marium ac fœminarum, ad phaſes *Lunæ* accommodata, ſubſit veri, ſi obſervationum loculos excuſſerimus.

II. *Junonem* antiqui *Lucinam* vocarunt, eamque liberorum & concipiendorum, & luci exponendorum, præſidem eſſe dictitarunt. *Caſta Lucina Virgilio* eſt in pretio. Officium ejus illud utrumque exponunt *Callimachus Hymn. in Dianam v. 21 ſeq.* ac *Horatius* in *Carmine Seculari.* Cognomen *Ilithyja*, inditum *Lucinæ* eidem, indubie ex ילד, quod generationi & partui præſidere fuit exiſtimata. *Callimachus* in *Hymno ad Jovem v.12* Ἐιλήθυιην habet. Apud *Terentium* in *Andria* mulier parturiens exclamat: *Juno Lucina, fer opem. Ovidius Lib. III* Faſtorum:

Dicite, tu nobis lucem, Lucina, dediſti!
Dicite, tu voto parturientis ades!
Si qua tamen gravida eſt, reſoluto crine precetur,
Ut ſolvat partus molliter ipſa ſuos.

Luculentus profecto eſt *Varronis* locus *Lib. IV de L.L. pag. m. 19: Diana ideo videtur a Latinis Juno Lucina dicta, vel quod terra, ut Phyſici dicunt, juvat & lucet, vel quod ab luce ejus, qua quis conceptus eſt, una juvat; donec menſibus actis produxit in locum. Facta igitur a juvando & luce Juno Lucina, a quo parentes eam invocant.* Ex quo loco apparet, curam non pariendi tantum, ſed concipiendi quoque, fœtum veteres *Junoni Lucinæ* attribuiſſe. Ut firmior pronuntiato conſtet fides, illuſtrabimus ea, quæ jamjam affirmavimus, uno & altero teſtimonio, de fontibus veterum hauſto. *Ciceronis* verba ex *Lib. II de Natura Deorum* ſunt luculenta: *Ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, ſic apud noſtros Junonem Lucinam in pariendo invocant.* Vetus Inſcriptio apud *Thomaſinum de Donariis Cap. XIV pag. 97* prohibet præterea, ne *Junonem* a *Lucina* ſeparemus.

Digitized by Google

remus. Ea ſic habet: JVNONI LVCINAI PRO FILIA PARVA LABORANTE SVSCEPTO VOTO STATILIA. D.D.

III. Tantis pro meritis ſacra *Junoni Lucinæ* a Romanis dicata. Ædes & lucus *Junonis Lucinæ* exſtiterunt Romæ in regione ſecunda. Autor eſt idem *Varro de Lingua Latina Lib. IV pag.m.15.* Calendæ Martii Matronalibus erant ſacræ. Ejus rei *Ovidius* non unas producit expromitque rationes. Quartam in eo ponit, quod Calendis Martiis *Junoni Lucinæ* templum in Eſquiliis natum eſſet. Templum id *Coſſ. L. Scipione & C. Lælio* ita fulmine fuiſſe ictum, ut faſtigium valvæque deformarentur, tradit *Julius Obſequens* in libello *de Prodigiis Cap. 55.*

IV. *Lucinam* vero a *Luna* haud differre, *Catullus* in *Carmine ad Dianam* autor eſt. Huc refero verba:

Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis:
Tu potens Trivia, & notho es
Dicta lumine Luna.

V. *Juno Lucina* ob curata prolis ac puerperii ſolatia cognomen obtinuit *Siſpitæ* vel *Soſpitæ*, ejusque templum olim penes Lanuvinos exſtitit celebratiſſimum, in quo oſtendebatur ſingulare cubiculum, ubi Deæ effigies apparebat, tectæ caput caprina pelle. Pelli adhærebat geminum cornu ac pes plerumque geminus. Salacitas caprarum ad generationis officinam accommodata fuit; cornua prætulerunt ambo lunæ & creſcentis & decreſcentis cornua. Imaginem Deæ, nummis veteribus expreſſam, haud ita pridem produxit Rev. P. *Joſephus Roccus Vulpius Lib. VII veteris Latii profani Tab. XI & XII. Junoni Soſpitæ* ipſi tandem Romani in foro olitorio, autore *C. Cornelio*, ædem ſtatuerunt. Primi *Lunæ* admiratores indubie ſibi viſi ſunt obſervaſſe convenientiam quandam inter phaſes *Lunæ* & opus concipiendorum fœtuum. Admiratio ſenſim abiit in venerationem, veneratio, ut fieri ſolet, erupit in teterrimam ſuperſtitionem.

VI. Arabes *Lucinam* vocarunt *Alilat.* Teſtis eſt *Herodotus Lib. III Cap. 8*, qui addit, eosdem in honorem *Dionyſii* ac *Uraniæ*, ſeu Deæ *Alilat*, capillos in orbem totondiſſe. Facile inde pernoteſcit, rotunditate tonſorum crinium denotari peculiarem Solis Lunæque cultum, ex æmulatione & imitatione rotundioris figuræ, quam utrumque ſidus exhibet.

VII.

Digitized by Google

VII. Idem *Herodotus* de Perſis, eorumque rebus religioſis, hæc *Lib. I Cap. 131* refert: Ἐπιμεμαθήκασι καὶ τῇ Οὐρανίῃ θύειν, παρά τε Ἀσσυρίων μαθόντες καὶ Ἀραβίων. Καλέουσι δὲ Ἀσσύριοι τὴν Ἀφροδίτην Μύλιττα. Ἀράβιοι δὲ Ἀλίττα. Πέρσαι δὲ Μίτραν. *Didicerunt etiam Uraniæ ſacrificare, ita edocti ab Aſſyriis & Arabibus. Vocant autem Aſſyrii Venerem illam cæleſtem Mylittam; Arabès eandem appellant Alittam; Perſæ Mitram.* Id *Seldenum* male habet, quod in utroque loco non utatur eadem voce. Arabes vero exſtiterunt alii aliique. Quare creditu haud eſt abſonum, in voce *Alilat* eminere articulum *al*, Arabibus poſtea univerſis approbatum; in voce autem *Alitta* latere inflexionem Syriacam, quæ ab Arabibus, Aſſyriorum Perſarumque confinibus, non fuit aliena. Ne vero *Alittam*, ſeu *Mylittam*, a negotio generationis fuiſſe ſepoſitam, credamus, ritus quidam ſpurciſſimus Babyloniorum nobis perſuadet. Eum ipſum enarrat idem laudatus *Herodotus Lib. I Cap. 199.* Per ritum illum licuit mulieribus indigenarum ſemel in vita ad templum Veneris illius cœleſtis deſidere, ac, pretio accepto, peregrinis vulgare corpus impudicum. Symbolum hoſpitis peregrini, offerentis pretium fœminæ illi, quacum rem habiturus erat, hocce fuit: Ἐπικαλέω σοι τὴν Θεὸν Μύλιττα. *Apprecor tibi Deam Mylittam*, videlicet propitiam. Adjungit Scriptor hæc loco expoſitionis: Μύλιττα δὲ καλέουσι τὴν Ἀφροδίτην Ἀσσύριοι. *Mylittam vero Aſſyrii vocant Venerem.* Ad hanc legem turpiſſimam reſpicitur omnino apud *Baruchum VI, 42*, uti *Th. Stanlejus* dudum obſervavit. Cur vero, obſecro, concubiturus cum nova nympha *Uraniam Venerem*, ſeu *Lunam*, meretrici exoptavit propitiam? Indubie ob prolem felicem, ex complexu illo turpi ſperandam. Ad locum *Herodoti* ſpectat illud *Heſychii*: Μυλήτταν, τὴν Οὐρανίαν Ἀσσύριοι. Ex ילד denuo hoc nomen videtur deducendum, unde Græci & Latini ſuam *Ilithyiam* fabricati ſunt, cujus originationem fruſtra in lingua ſui ſoli quæſivere. Cultus *Lunæ* apud Ægyptios & Arabas jam ætate *Moſis* ita invaluiſſe videtur, ut ſacra ipſa penitus tolli nollet, populum tolerans in ritibus quibusdam, Deus, ob σκληροκαρδίαν eorum, ea vero in finem longe honeſtiſſimum emendaret, uti ex conſecratione Calendarum lunarium apud Judæos uſitata pateſcit.

ſcit. Et quid aliud eſt Judæorum illa *Lilith* ac *Luna*, noctis præſes concubiæ? Fabulæ ipſorum de *Lilith* ſpirant ænigma, per quod ſignificari videtur, *Evam* poſt funeſtiſſimum peccatum ad inſtinctum naturæ corruptæ genuiſſe fœtus, ex bono maloque mixtum quid trahentes, qualem poſitivorum & privativorum complexum Perſæ per *Mitram* denotabant. *Luna* enim & lucem & tenebras, ſymbola poſitivi & privativi entis, continet.

VIII. Notavit jam *Frid. Hoffmannus*, Medicus inclytiſſimus,(*) certo temporis intervallo natas fuiſſe plures filias. Doctor quidam Medicinæ ad *Lunæ* gibboſæ medium tempus coire curavit pecudes, & fœmellas procreatas vidit; idem repetiit circa quadrantem *Lunæ* creſcentis, & progenitos vidit mares. Nonnulli idem ſucceſſu felici experti ſunt in maribus procreandis per genus hominum.

IX. Decreſcente videlicet *Luna*, humores exæſtuant, & in altum aſſurgunt. Experiuntur illud phrenetici, & laborantes morbis, ab humore ortis. Idem vidi in muria braſſicæ capitatæ, doliis infertæ. Qui fluxum refluxumque maris expenderunt, idem teſtantur. Vis enim gravitans eo minus premit verſus centrum telluris, quo *Luna* terræ fit propior. Ideo Medici alvos jubent ab humoribus expurgari *Luna* decreſcente potius, quam creſcente.

X. In fœmellis plerumque plus eſt humorum, quam in maribus. In hiſce rurſus plerumque plus ignei & ſicci reperitur, quam in illis. In animalculis igitur ſpermaticis eadem recurret ſimilitudo ac diſſimilitudo. Quare fit veroſimile, animoſiora eſſe animalcula fœminea decreſcente *Luna*, & maſcula e contrario *Luna* creſcente. Quantum ad obſervationem per ſeſe attinet, in ea nihil eſt obvium, quin a priſtinarum gentium viris ſagacioribus notari potuerit. Unde non eſt improbabile, priſcis exſtitiſſe rationem eandem, cur *Lunæ* tribuerint partes conceptionis generationisque fœtuum. *Hoffmannus* loco laudato: *Putaverim, non excludendas hic quoque tempeſtatum in conceptionis actu rationes eſſe, quæ non modo in ſanguinem, ſed in ſemen, variis modis agere queunt.*

(*) In Conſtitutione epidemica Halenſi A. 1700 *pag. 143 Tom. I Opuſculorum Phyſico-Medicorum.*

)o(

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. I Sectio VIII.

HISTOIRE ECCLESIASTIQUE ET CIVILE de Lorraine, &c.

h. e.

HISTORIA LOTHARINGIÆ SACRA ET Civilis, quæ res per Archi-Epiſcopatum Treverenſem & Epiſcopatus Metenſem, Tullenſem, ac Virodunenſem, geſtas, a tempore, quo Julius Cæſar in Gallias movit, uſque ad mortem Caroli V, Ducis, complectitur. Accedunt ad calcem probationes. Autore R. P. AUGUSTINO CALMETO, Abbate S. Leopoldi, &c.

Tomi III.

Nanceji, apud Joannem Baptiſtam Cuſſon, 1728, fol. Alph. 37 pl. 9, cum Tabb. æn. 45.

Inclytum, quod ſibi dudum in Republica Literaria Max. Rev. *Calmetus* comparavit, nomen pleriſque omnibus, cum prima hujus Operis mentio injecta eſſet, ſpem faciebat certiſſimam,

Uu fore,

fore, ut Lotharingiæ Hiſtoriam haberemus abſolutam, omnibusque ſuis numeris & partibus expletam, eo etiam utiliorem futuram, quo clarius ex iſtarum terrarum Annalibus Germanorum aliarumque gentium vicinarum res geſtæ colluſtrantur. Qui enim ante ipſum in hac arena verſati ſunt, hiſtorias exiliter contextas, hiatibusque plenas, vel fictis inquinatas fabulis, nobis obtruſerunt, ut ſolus P. *Vignierius* tanto operi par fuiſſe videatur, ſi Commentarios ampliores, quam Ducum ac Principum Lotharingiæ ſtemmata Genealogica, condere maluiſſet. Ergo ea ſoli Max. Rev. *Calmeto* gloria relicta eſt, qui in hoc magnæ, ut molis, ità & eruditionis, Opere primus Lotharingiæ hiſtorias ex incorruptæ vetuſtatis monumentis erutas, &, quantum fieri poteſt, connexas, in clara luce collocavit. Ac *Tomo* quidem *primo*, poſt amplam ſatis Præfationem, conſilii & inſtituti indicem, Diſſertatiunculas præmiſit de primis Eccleſiarum Treverenſis, Metenſis, Tullenſis, & Virodunenſis, Epiſcopis, quibus ſingulis ipſorum Antiſtitum Catalogos ſubjecit, ad noſtra uſque tempora deductos. Neque tamen dubitamus, fore nonnullos, quibus mirum videatur, ea, quæ vulgo de S. *Euchario*, S. *Valerio*, S. *Materno*, aliisque quibusdam Treverenſium & vicinarum terrarum Apoſtolis ac Epiſcopis, circumferuntur, multorumque opinione plena dubiorum habentur, vel hoc ſolo argumento Max. Rev. Autori ſe probare potuiſſe, quod, qui antiquas, quibus hæc omnia nituntur, majorum Eccleſiarum traditiones in dubium vocare audeat, graviſſimo Pyrrhonicæ dubitationis periculo ſe committat. Excipit has Diſſertationes Scriptorum ad res Lotharingicas ſpectantium, tum typis vulgatorum, tum MStorum, notitia, literarum ordine diligenter digeſta, quam Noſter non ex nudis Operum titulis contexuit, ſed eorundem pleniore recenſione locupletatam, judiciis ſuis hinc & inde adjectis diſtinxit. Hanc ſequuntur Origines Sereniſſimæ Domus Lotharingicæ, quæ tantopere ſtemmatum Genealogicorum conditores exercuerunt, donec, Actis Murenſibus repertis, accedente *Vignierii* & *Eccardi* opera, nebulæ ſpiſſiores fuerint diſpulſæ. Atque hos potiſſimum duces ſecutus Noſter, expoſitis ſeptem diverſis Genealogiæ Syſtematibus,

Digitized by Google

bus, Ducum Lotharingiæ generationes a *Rigomere*, Patricio, ad noſtra uſque tempora, inſertis, ubi res exigebat, probationibus, deducit. His ſubjunxit ſeries Chronologicas Regum & Ducum Lotharingiæ, aliasque Genealogicas Comitum Barrenſium, Valdemontenſium, Salmenſium, Blamontenſium, Aſperimontenſium, Ducum Laxemburgenſium, Comitum denique Chinyenſium, Tullenſium, & Commeriacenſium. Quibus cum ita ſibi quaſi viam ſtraverit ad emetiendum ampliſſimæ ſuæ Hiſtoriæ campum, viſum ipſi fuit hunc *Tomum* viginti Libris abſolvere, &, delineata primum antiquiſſima Galliæ Belgicæ facie, Commentariorum ſuorum filum a rebus *C. Julii Cæſaris* per Gallias geſtis uſque ad A. C. 1070 deducere. Succedunt ipſa, quæ hiſtorias fulciunt & illuſtrant, antiquitatis monumenta, & primo quidem loco *Geſta Trevirorum*, a *d'Acherio* in Spicilegio dudum edita, ſed quæ multo pleniora in Acceſſionibus hiſtoricis *Leibnitianis* leguntur, nunc denuo ex Avtographo cum antiquiore MSto, ex quo Autor Operis ipſe ſua hauſiſſe videbatur, collata prodeunt. Sequuntur *Pauli Diaconi geſta Epiſcoporum Metenſium* ex antiquo Abbatiæ *S. Arnulphi*, Metenſis, Codice; *Anonymi Chronicon Epiſcoporum Metenſium*, ex Spicilegio *d'Acheriano*; *Fundatio Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ per S. Patientem*, ex Codice vetuſto Eccleſiæ *S. Arnulphi*; *Variæ Genealogiæ S. Arnulphi*, partim ex MSto editæ, partim ex Collectionibus *Pithœi* & *Quercetani* deſcriptæ; *Catalogi Epiſcoporum Metenſium*; *Hiſtoria Epiſcoporum Tullenſium*, cujus partem jam dedit Rev. P. *Martene*; *Cedulæ ſeu Epitaphia eorundem*; denique *Hiſtoria brevis Epiſcoporum Virodunenſium*, a *Bercario*, Presbytero, cœpta, & ab aliis continuata, atque ex Spicilegio *d'Acheriano* in Opus *Calmetianum* tranſlata. Inde dives panditur Diplomatum & chartarum vetuſtarum theſaurus, quarum quidem nonnullas Max. Rev. Autor ex *Brolvero*, *Miræo*, Actis Sanctorum, Annalibus Benedictinis, aliisque id genus Collectionibus, deſumſit, pleraſque tamen, quæ venerandam antiquitatem ſpirant, nunc primum ex Avtographis & Chartulariis edidit. Interſeruit eis etiam *Fundationem Monaſterii B. Arnulphi Metenſis*; *Chronicon Monaſte-*

Digitized by Google

naſterii S. Michaelis in pago Virodunenſi, cujus Partem priorem habemus in Analectis *Mabillonii* evulgatam, ut & *Epitaphia* nonnulla Principum Virorum, præſertim Lotharingiæ Ducum. Tabulæ denique Geographicæ hunc *Tomum* ornant, tum Lotharingiæ univerſæ, tum Archi-Epiſcopatus Treverenſis, Diœceſiumque Metenſis, Tullenſis, & Virodunenſis, quibus accedunt urbium earundem, nec non Nanceji & Barro-duci, elegantes delineationes. In ipſo *Tomi II* limine emicant ſigilla Ducum Lotharingiæ, Comitumque Flandrenſium, Valdemontenſium, &c. una cum numiſmatibus antiquis & recentioribus, quæ omnia brevibus Diſſertationibus Max. Rev. Autor illuſtrat. Ipſa vero Hiſtoriæ ſeries a *Simone I* uſque ad annum 1608 excurrit, Libros duodecim complexa, nempe XXI uſque ad XXXII. Quibus fundamenti loco ſubſtravit *Chronicon Monaſterii Senonienſis in Voſago, Autore Richerio, Monacho*, non integrum illud quidem, ut apud *d'Acherium* exſtat, ſed, quantum ad res Lotharingicas ſpectat, excerptum; præterea *Libellum de Succeſſoribus S. Hidulphi in Voſago, Chronicon Mediani Monaſterii, Autore Joanne de Bayon, Fundationem Abbatiæ Calmoſiacenſis, Autore Sebero, primo ejus Abbate, Regulam Monaſterii Ayree-Vallis, Chronicon rythmicum Metenſe, Annales Decani cujusdam S. Theobaldi Metenſes*, ac denique largam Diplomatum, quæ ad hos annos pertinent, copiam. *Tertio Tomo* more ſuo Max. Rev. *Calmetus* Diſſertationes de titulo Marchiſii, vel Marchionis, a Ducibus Lotharingiæ geri ſolito, de duellis medio ævo funeſtis, de Salinis Lotharingiæ Epiſcopatusque Metenſis, & de inſignibus teſſeris ac titulis Lotharingiæ Ducum, præfixit. Succedit Notitia Abbatiarum per Treverenſem Metropolin, cum Catalogis Abbatum, Priorum, &c. qui eis præfuerunt. Corpus Hiſtoriæ ab A. C. 1608 ad 1690 deductum, & quatuordecim Libris a XXXIII uſque ad XLVI diſtinctum, abſolvitur. Et habet hoc quoque Volumen ſua cimelia, probationis loco adjecta, *Chronicon Lotharingiæ* ab A. 1350 ad 1544, *Joannis Herculani Pleinſeſini Hiſtorias*, ingentemque iterum Diplomatum & Actorum publicorum farraginem, ex quibus omnibus vel digniſſi-

gniſſima notatu indicare,nec brevitatis leges, nec inſtituti ratio, permittunt. Atque, ne in hac Parte deſint ornamenta, curavit Noſter in æs incidi tumulos & Mauſolea Lotharingiæ Principum, una cum templorum quorundam delineationibus. Ceterum de ipſis Max. Rev. Autoris narrationibus, non eſt, cur pluribus agamus. Multus eſt in rebus ſacris Archi-Epiſcopatus Treverenſis, &,qui ei ſubſunt, Epiſcopatuum, recenſendis, nec minus accurate in eventibus civilibus explicandis connectendisve, earumve cauſis indagandis, & ex peregrina Hiſtoria illuſtrandis, verſatur.

TRATTATO TEOLOGICO DELL' AUTORITA ed infallibilità de' Papi, &c.

h. e.

OPUS THEOLOGICUM DE AUTORITATE & Infallibilitate Paparum; concinnatum a Patre D MATTHÆO PETITDIDIER, Abbate Benedictino ad S. Petrum Senonum, Præſide Congregationis S. Vanni & S. Idulfi. Accedit ejusdem Diſſertatio hiſtorica & theologica, in qua examinatur ſententia Concilii Conſtantienſis & primorum Theologorum, qui videntur autoritatem Conciliorum anteponere autoritati Pontificum Romanorum. Subjunguntur Characteres errorum, in Defenſoribus Janſenii & Quesnellii conſpicuorum. Quæ in lucem emiſſa ſunt ab Abbate Ciſtercienſi, & ad CLEMENTEM XII, Pont. Max. directa.

Romæ, ex typographia Antonii de Roſſi, 1731, fol. Alph. 7 pl. 9.

Scopus Libri facile patet. Romæ is eſt editus, & Pontifici Maximo ſingulari allocutione inſcriptus, quæ laudes *S. Andrea Corſini* ebuccinat. Si quid divinando aſſequi licet, Vene-

rabilem Abbatem *Malachiam de Ingimberto* translatorem Operis exſtitiſſe, exiſtimamus. Præfatio docet, Ven. *Petitdidierum* eſſe Autorem utriusque Opuſculi prioris. Translatoris igitur erunt ſcripta duo poſteriora. Duo, inquam. Nam inde a *pag. 581* uſque ad finem Operis totius defluunt & exhibentur *Selecta monumenta, quibus evidens fit, Janſenianos & Quesnelliſtas in numerum Hæreticorum referendos eſſe.* Diſſertatio hiſtorica Autore admodum juvene exiit, cum *Janſeniſmus* caput extuliſſet, & autoritate quadam eſſet inſtructus. Verba nonnulla in Translatore notarant Cenſores. Ipſe vero Lectorem obſecrat, ut mentem ipſius ex Præfatione, *Tractatui de Schiſmate*, A. 1726 Romæ emiſſo, præfixa, hauriat. *Selecta monumenta*, inquit Editor, ſcripta ſunt temporibus periculoſiſſimis, quibus graviſſima offendicula in Collegio Sorbonico Pariſienſi contigerunt, ut iis implicati fœdus cum morte pepigiſſent, & contra Eccleſiam rebelles ſolicitandis de Eccleſia fratribus vehementer inſiſterent. Proferuntur porro nonnulla, quæ nominatim Doctores Sorbonicos attingunt, qui ipſi noverint, quam vere iſthæc dicantur. Nobis id eſt agendum, ut Lectores intelligant, quid Opus quadripartitum contineat. Ven. *Petitdidierus* præmittit Opuſculo primo paucula, quæ, ipſum olim non faviſſe Pontificum infallibilitati, ſed communem Gallorum ſententiam ſecutum fuiſſe, docent, inductum quippe ab Illuſtri rei ſacræ ſtatore, & celebri quadam Academia. Ipſe vero, ad diverſam opinionem ſeſe deductum, tradit, quamprimum rem profundius expenderit, perhibens, Collegium Theologicum Pariſienſe & Synodum in Gallia A. 1682 convocatam, genuinam primorum ſuorum Magiſtrorum deſeruiſſe doctrinam, quantum ad hoc momentum attinet. Totus proinde in eo eſt, ut Lectori perſuadeat, omnes per omnem orbem terrarum ſedes Epiſcopales autoritati Paparum ſemper ſubmiſiſſe vela, ratas, hoſce in definiendis fidei divinæ capitibus extra omne errandi periculum eſſe poſitos. Laudat ſtudium Ordinis Benedictini, qui autoritati Pontificis venerandæ nunquam non fuerit propenſior. Teſtimonia & conſenſum prædicat *Gregorii Magni*, *Bedæ Venerabilis*, *Hincmari*

Remen-

Digitized by Google

Remenſis, *Ratramni Corbejenſis*, *Raterii Veronenſis*, *Petri Damiani*, Cardinalis, *Lanfranci Cantuarienſis*, *Anſelmi*, *Bernhardi*, *S Tommaſi Cantuarienſis*, aliorumque. Id inprimis urget Vir Venerabilis, Eccleſiam a Chriſto fundatam eſſe, quæ continuis ſit amplificanda neophytorum incrementis, & quæ quidem ſit *una*, quæque ad finem mundi ſit duratura. Huic fini, a Chriſto intento, non reſpondere aliud adminiculum, niſi id, quo perpetuitas perdurantis Eccleſiæ ab omnibus erroribus noxiis præmuniri poſſit. Adminiculum hoc quærit in perſona & ſucceſſoribus *Petri*, a quibus remedium promtum & præſentiſſimum adverſus errores arceſſi queat, quale haud æque a Conciliis œcumenicis difficulter convocandis ſperare liceat. Provocat hoc fine ad diviniores literas, & ad traditionem ampliſſimam. Scholaſticorum loca nonnunquam adducit ex fide aliorum. Objectiones nonnullas, non omnes, nec firmiſſimas, enodare paſſim, & præcipue in fine Opuſculi, contendit. Indoles Eccleſiæ Chriſti ad formam civilis alicujus regni vel Reipublicæ ab ingenio humano attemperatur. Externus decor & ordo requirit ephoros. Nec cujusque eſt, doctorem agere, & populum, qui ſeſe Spiritui & verbo Chriſti addixit, publice vel privatim docere. Quare nonnulli, ad id officium peragendum apti, nomine generis humani, vel ſocietatis integræ, illud peragere omnino debent. Hi porro erunt vel æqualis ordinis & autoritatis, vel erunt invicem obnoxii unus alterius nutui. In æqualitate, qualem *Cyprianus* defendit, ſocii ſacrorum, qui ordinem docendi non exercent, vel concurrent cum ceteris in ordinanda externa diſciplina, vel non concurrent. In inæqualitate, quæ vel Monarchiam, vel Ariſtocratiam quandam fundat, populus facile excluditur a ſanciendis iis, quæ ad externum decorem ſpectant. Ad beatitudinem ſempiternam omnes divinitus ſunt vocati, & quisque ſua fide vivet, atque pro ſeſe rationem Deo reddet, unde ad momenta creditu factuque neceſſaria jus omnibus æquum, jusque legendi & ſcrutandi diviniores literas haud diſpar, nec non jus fugiendi Paſtorem, ad avia ducentem, commune. Externam Eccleſiæ conformationem alii ex ſcopo regni gratiæ, alii ex indole

&

& natura primæ Eccleſiæ, alii ex habitu religionis & regni Chriſti ad vitam civilem, deducunt. Autori probatur Hierarchia Eccleſiæ monarchica, per quam populus Epiſcopis, Epiſcopi ſummo Epiſcopo Romano, ſint ſubjecti, ita, ut veritas credendorum & agendorum non a Concilio œ-
Pag. 3. cumenico, ſed ex Pontificis deciſione, ſit derivanda. A Concilio œcumenico deciſiones controverſiarum Theologicarum expectandas eſſe, tempore Schiſmatis, inter tres Papas exorti, exiſtimari cœptum, credit Autor. Plurimorum opinio, qui haud erant literati, ante Concilium Conſtantienſe favit magis autoritati Paparum, quam Conciliorum, falli neſciæ, fatente
4. *Joanne Gerſone.* Is de poteſtate Eccleſiæ *Cap. XV: Duo ſunt modi oppoſiti dicendi, quorum unus tenet, Papam eſſe ſupra Concilium univerſale; hunc modum tenuerunt aliqui Cardinalium, & tenent communiter Thomiſtæ, & Romæ, ut aſſeritur, nulli fas eſt oppoſitum tueri. Alium modum ſemper noſtra Univerſitas Pariſina a diebus Concilii Conſtantienſis imitata eſt; ſic quod in ea, qui prædictam viam tenuerit, in campo cogitur eam invocare.* In campo, id eſt, e veſtigio, *ſur le champ.* Ex eo rationes ita ſuas putat Autor, ut credat, ſententiam eam eſſe novam, quæ Concilium œcumenicum Pontifici præfert, ideoque falſam. A novitate ſententiæ ad falſitatem ejus ii pariter concluſionibus ſuis contendunt, qui dogmata, Apoſtolis & Seculis Apoſtolicis inaudita, averſantur. *Anshelmi*, Epiſcopi Havelsbergenſis, a *Lothario II*, Imperatore, Con-
7. ſtantinopolin amandati, Colloquium cum *Nechite*, Archi-Epiſcopo Nicomedienſi, primatum Pontificis Romani venerato, uti exſtat *Spicil. Tom. XIII pag. 211 ſeq.* Autor pro genuino & vero reputat. Tantum ex *Capite primo. Caput ſecundum* ex-
9 ſeq. hibet privilegium infallibilitatis ex Sacro Codice, nominatim ex *Matth. XVI, 17, Luc. XXII, 31, Jo. XXI, 15*, ac duo teſtimonia *Auguſtini* & *Hieronymi*, communionem cathedræ *Damaſi* & ſedis *Petri* generatim laudantium, ac ad eam dictum illud *Matth. XVI, 17*, accommodantium. Recordamur tamen & eorum, quæ *Firmilianus* ad *Cyprianum Epiſt. LXXV* differit. Pergit Autor ad alia Patrum cumulanda teſtimonia. Sub finem

Secu-

Digitized by Google

Seculi primi ob diſſenſiones appellatum eſt ad Epiſcopum Romanum, quod demonſtratur ex *Euſebio Lib. IV Cap. 23.* Idem oſtenditur ex facto *Victoris*, Aſiaticos Quartadecumanos a communione Eccleſiæ diſſociaturi. Qui in alia omnia eunt, ex eodem hoc facto fulcra ſuæ ſententiæ adſciſcunt. Autor, *Victoris* ſententiam fuiſſe ſolidam & uſquequaque valentem, ex eventu & Concilii Nicæni definitione conjectat. *Cornelium* Seculo III, ab omni Eccleſia requiſitum, Schiſmati Novatiano iviſſe obviam, docet. *Cyprianus* per literas *Stephanum*, Papam, obſecrat, ut *Marcianum*, Epiſcopum Arelatenſem, Novatianiſmi reum, deponeret, aliumque ei ſubſtitueret. Inde Noſter colligit, infallibilitatem & jurisdictionem Eccleſiaſticam, eamque ſummam, a *Cypriano* vindicatam eſſe Pontificibus Romanis. Hiſpani eadem ætate Romam appellaſſe, & conſilia arceſſiviſſe, perhibentur. *Dionyſius*, Epiſcopus Romanus, *Dionyſium*, Patriarcham Alexandrinum, ad rationes impulit reddendas de doctrinis, quæ ad filium Dei attinent, & hic apologiam ſuam Romano miſit Pontifici. In hiſce, ad infallibilitatem ſtabiliendam trahendis, Autor ſeſe ſerpente Epidaurio acutiorem exiſtimavit. Simili ratione per reliqua transſcendit Secula, & hinc inde delibat, quæ non prorſus a ſcopo aliena videbantur, omiſſis iis, quæ diſſidentibus ad palatum eſſe poterant. *Capite quarto* progreditur ad hiſtoriam Seculorum quarti & quinti. *Capite quinto* inveſtigat mentem Patrum Græcorum per ſpatium primorum quinque a nato Chriſto Seculorum, quantum ad autoritatem Paparum in materia doctrinarum fidei attinet. *Capite ſexto* in ſententias Patrum Latinorum, circa idem tempus florentium, inquirit. De *Cypriano* traduntur tria diſparia, nempe ipſum ad mortem *Stephano*, Papæ, ratione baptiſmi Hæreticorum, reſtitiſſe: diſcipulos ejus in hac parte evaſiſſe Hæreticos: ipſumque nihilominus *Cyprianum* in communione Eccleſiæ fuiſſe mortuum, maximumque exſtitiſſe Martyrem. Diſtinguunt, qui ita ſentiunt, inter Hæreticum materialem, qualis fuerit *Cyprianus*, & formalem. Quoniam vero Hæreticus materialis poteſt æternum fieri ſalvus, & indubitatum haud ſuppetit criterium,

Pag. 17. 42 ſeq. 53 ſeq. 54.

quis ſit Hæreticus formalis; facile patet, Schiſmaticorum & Hæreticorum neminem in individuo a Romana Eccleſia damnari poſſe. *Cyprianus* excuſatur dein eo nomine, quod quæſtionem de baptiſmo Hæreticorum habuerit pro ea, quæ non ſit de fide. At hoc iis videbitur ſecus, qui attento *Cyprianum* legerunt animo. Cur enim id ei non viſum fuiſſet eſſe de fide, de quo ſalutis & damnationis æternæ reportationem citra ullum ullius rei interventum repetiit? Quin potius *Cyprianus Epiſt. LXIX p. n. 183* ratiocinatur ita: *Tunc deinde voce ſua ipſi Heretici confitentur, remiſſionem peccatorum non dari, niſi per ſanctam Eccleſiam, poſſe; quam non habentes, oſtendunt, remitti illic peccata non poſſe.* Qui recte baptizant, ex ſententia *Cypriani* poſſunt dare Spiritum Sanctum *pag. 185 l. c.* Eadem *Cyprianus* repetit *Epiſt. LXX pag. 191.* Eidem ſententiæ accedunt Conſtitutiones Apoſtolicæ, quibus plerique Catholicorum ſummum ponunt pretium, *Lib. VI Cap. XV pag. 344.* In hiſce Conſtitutionibus baptiſmus, ab Hæreticis ſuſceptus, æque improbatur, *Cap. 46*, unde baptizati ab Hæreticis jubentur rebaptizari *Cap. 47.* Diu ante *Cypriani* tempora in Synodo ſub *Agrippina* habita jam ſic erat ſtatutum, uti ex *Cypriani* Epiſtola ad *Jubajan* patet. Rem ipſam Synodus Nicæna non plene decidit. *Auguſtini* tandem ſententia pervicit, licet Græci poſt eum adhuc diſſenſerint. Hiſtoriam hanc latius enarrat *Joannes Fellus* in Notis ad *Cyprianum pag. 243 ſeq.* Quis vero negabit, ſententiam *Cypriani* oppoſitam id largiri, quod in Eccleſiis Hæreticorum per baptiſmum recte adminiſtratum etiam remittantur peccata, & Spiritus Sanctus detur, atque eam ob cauſam Eccleſiaſtarum miniſterium haud eſſe invalidum. Hæc obiter. Præſtat fateri, regnaſſe nonnunquam in Eccleſiis conſpicuis ſententias, quæ temporis ſucceſſu immutatæ fuerunt vel meliorem, vel deteriorem, in partem. Quæ mutatio quomodo cum infallibilitate doctrinæ particularium Eccleſiarum, e quibus univerſalis externa coaleſcit, conciliari poſſit, ii, quorum intereſt, viderint. *Cyprianus* certe tantum ponderis tribuit unius Epiſcopi ſententiæ, quantum cujusque alterius pronuntiato. Quod ipſum

egre-

egregie ex loco illo patet, quem Autor *pag. 56* adduxit. *Joannes Launojus* eam *Cypriani* aliorumque ſententiam nuper ivit revocatum. Vide *pag. 246.* Ipſe *Cyprianus* in *Epiſt. LXVII* quærentibus Chriſtianis Hiſpanis reſpondet, qui nec Romam provocarant, nec *Cyprianum* deprehendebant Romanæ appellationis memorem. *Baſilides* quidam, qui peccatis ſeſe multis obſtrinxerat, ex Hiſpania Romam ierat, ut *Stephanum*, Epiſcopum, falleret. *Cyprianus* de *Baſilide* & *Stephano* ita: *Neque tam culpandus eſt ille, cui negligenter obreptum eſt, quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepſit.* Quæſtio ipſa, circa quam verſabatur obreptio, erat ex rebus doctrinæ & facti mixta. Conferenda eſt *Epiſt. LXXI pag. 194.* Autor Ven. porro ex *Cypriani* loco quodam colligere ſtudet infallibilitatem ſucceſſorum *Petri.* Locus eſt hic ex *Epiſt. LV.* Epiſcopo uni in alterum nullam eſſe jurisdictionis & deciſionis poteſtatem, *Cyprianus* aperte negat. En verba: *Neque enim quisquam noſtrum Epiſcopum ſeſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit, quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non poſſit, quam nec ipſe poteſt alterum judicare; ſed expectemus univerſi judicium Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Progreditur deinceps Autor ad Secula ſubſequentia, & nihil eorum omittit, quibus ſcopo ſuo ſeſe ſatisfacturum crediderat. Deſiderabunt nonnulli notionem infallibilitatis diſtinctam & extra amphibolias poſitam, objectum, criterium & limitem infallibilitatis. Habitudo Papæ ad Concilium vel univerſale, vel Romanum, vel nationale, fuit omiſſa. Tacetur diſtinctio inter res hiſtoriæ & fidei, easque vel puras, vel mixtas, majoris, vel minoris momenti, ex cathedra *Petri* deciſas, vel Papæ privata autoritate fultas. Omittitur modulus, quo extricari queant contradictiones Pontificum, quæ deciſionibus vel nonnunquam inſunt, vel ineſſe poſſunt. De infallibilitate in deciſionibus ad fidem pertinentibus diſſeri, ex *pag. 246* potiſſime elucet. Sed *ad fidem pertinere* indeterminata nimis locutio videbitur aliis. *Caput ſeptimum* teſtimonia Paparum domeſtica de illa infallibilitate exponit. *Vel-* Pag. 59.

*leju*ſ *Lib. II Cap. XXX: Adeo familiare eſt hominibus, omnia ſibi ignoſcere, nihil aliis remittere.* *Capite octavo* contendit Autor, Pontifices Romanos Concilia convocaſſe, eisque vel per ſe, vel per Legatos, præſediſſe, a Nicæna exorſos. *Capite nono* ſignificatur, quid Autores Eccleſiaſtici de infallibilitate Papæ ad Schiſma uſque cum Græcis coortum ſtatuerint. *Capite decimo* decurritur per Schiſmatis illius tempora. *Caput undecimum* a nono Seculo ad Scholaſticorum ætatem doctrinam de infallibilitate complectitur. *Caput duodecimum* a tempore Scholaſticorum ad Conſtantienſe Concilium progreditur. *Caput tertium & decimum ἀνακεφαλαίωσιν Capitum* præcedentium continet. *Capite quarto & decimo* examinatur Articulus quartus Synodi *Gallicanæ*, A. 1682 coactæ. *Capite quinto & decimo* reſpondetur ad objectiones, contra Paparum infallibilitatem obtendi ſolitas. Adduntur literæ Pontificum bullatæ, Edicta, aliæ Conſtitutiones Regum & Principum, ac pœnarum decreta in *Janſeniſtas*, promulgata ad annum uſque 1720. Quid in *Petitdidieri* argumentis videatur ſolidiori examine dignum, expoſuerunt e cœtu *Lutheranorum D. Cornelius Dietericus Kochius* in Diſſertatione ad verba: *Tu es Petrus*, nec non ex profeſſo *Joannes Fridericus Cotta* in *Commentatione Hiſtorico-Theologica de fallibili Pontificis Romani autoritate, ex Actis Concilii Conſtantienſis maximam partem deducta, atque Viro Cl.* Matthæo Petitdidiero, *Theologo Gallo, oppoſita*, quæ prodiit Lugduni Batavorum A. 1732, 8. Vellicat aurem *Alphonſus de Caſtro*, ſummi Pontificis de grege, qui A. 1534 Libros XXIV adverſus omnes hæreſes emiſit. In iis enim, & quidem *Lib. I Cap. IV fol. 9*, hæc habentur: *Omnis homo errare poteſt in fide, etiamſi Papa ſit. Non enim credo, aliquem eſſe adeo impudentem Papæ aſſentatorem, ut ei tribuere hoc velit, ut nec errare, aut in interpretatione ſacrarum literarum hallucinari, poſſit.* Hæc ille.

BIBLIOTHECA SUIOGOTHICA, IN QUA, præmiſſa de Philoſophia Gothorum, eorumque in literas meritis, Diſſertatione, Reges, Heroes, Magnates, at-

que

Digitized by Google

que Viri ab anno mundi 3362 eruditionis fama inſignes enumerantur. Collecta, & in ſeptem Tomos diſtributa, per ANDREAM ANTONIUM STIERNMAN, *Regiſtratorem in Archivo S. Regiæ Majeſtatis Regnique Sueciæ.*

Holmiæ, apud Jo. Nic. Löſſium, 1731, 4.
Alph. 4 pl. 21½.

Perbene meretur non de patria ſolum ſua, ſed de univerſo literatorum hominum genere, Cl. Autor, componere aggreſſus Hiſtoriam Reipublicæ literariæ Suecicæ. Speciminis loco inſpiciendum nobis nunc præbet *Tomum* hujus Operis *ſecundum*, in quo duorum Regum, *Caroli IX*, & *Guſtavi Adolphi*, laudes paucis prædicat, ſimulque eorum de vita & ſcriptis differit, qui his regnantibus literata coluerunt ſtudia. Ac primo quidem loco ipſius illius noni *Caroli* monumenta ingenii memorantur, partim edita Holmiæ, partim in Archivo Regni latentia. Sunt inter hæc multa Theologici argumenti, propter quæ hic Rex merito refertur inter illuſtriſſimos Theologos. E ceteris, quos Liber hic complectitur, literatis Viris eminentiores duntaxat laudare nos jubet noſtra brevitas. Offert hic ſe nobis *Ericus Schroderus*, qui multos libros tranſtulit in ſermonem Suecicum, ediditque, e.g. *Jacobi*, Regis Angliæ, *Donum Regium*, *Sleidani de quatuor Monarchiis* Libros, *Hutteri Compendium Theologicum*, *Cominæi Hiſtoriam*, *Livium*, *Lucæ Oſiandri Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, *Lud. Baylii Praxin pietatis*, *Nic. Hunnii Epitomen credendorum*, *Carionis Chronicon*, *Arndii Hortulum paradiſiacum*. Quam vero jucundum multis erit, deſcriptam hic legere vitam *Axelii Oxenſtiernæ*, Regni Sueciæ Cancellarii! Cognoſcimus hic, Orationes ejus, publicis habitas in Actibus, ſervari in Archivo Regni, itemque plurima ſcripta ipſius hiſtorica, & inter ea Commentarios de vita Regis *Guſtavi Adolphi*. Diſcimus & hoc ex loco, *illo dirigente & acta ſubminiſtrante*, *Philippum Chemnitium* edidiſſe notiſſimum illum librum, qui nomen in fron-

Pag. 12.

17-42.

te gerit *Hippolithi a Lapide*; itemque *Tomum ſecundum Belli Sueo-Germanici*, (librum rariſſimum,) etſi *Chemnitii* no-
Pag. 35. men præferat, autorem tamen habere *Oxenſtiernam*. Exhibentur & hic duo in ejus memoriam cuſi nummi imperiales, quos thaleros vocant: quorum in altero vocatur *Rerum Sueo-*
54. *Germanicarum Atlas*. Venimus ad *Olaum Martini*, Upſalienſem Archi-Epiſcopum, qui plures edidit libros, maxime
81. contra *Calvinianos*. *Nicolaus* vero *Granius*, Stregneſienſis, in Academia Julia fuit Profeſſor, ibique multas edidit Diſſer-
83. tationes Phyſicas, Logicas, Rhetoricas, Ethicas, & Politicas. Inter *Laurentii Paulini*, Archi-Epiſcopi Upſalienſis, ſcripta, quæ multa ſunt, & mole & præſtantia excellit *Ethica* ejus *Chri-*
116. *ſtiana*. Lincopienſis Epiſcopus, *Joannes Bothuidi*, multas Conciones ſacras, aliasque Diſſertationes Theologicas, typis vulgavit, e quibus Lipſiæ A. 1705 recuſa eſt Diſputatio ejus de
128. quæſtione, *utrum Muſcowitæ ſint Chriſtiani*. *Joannem Meſſenium* ſua & fata, & ſcripta hiſtorica de rebus patriæ, fecere memorabilem. *Chronicon* ejus *Epiſcoporum per Sueciam, Gothiam, & Finlandiam*, recudi hic Lipſiæ A. 1685 curavit *Rechenbergius*. Præcipue laudari merentur ejus *Tomi quindecim Scondiæ illuſtratæ, ſeu Chronologiæ de rebus Sueciæ, Daniæ, Norvegiæ, Islandiæ, Grœnlandiæque, tam eccleſiaſticis, quam politicis, ad annum uſque 1612*, editi A. 1700 & quatuor
145. ſequentibus. *Petri* quoque *Petreji Chronicon rerum Moſcoviticarum* dignum fuit habitum, quod e Suecica lingua traduce-
147. retur in Germanicam, & ita Lipſiæ ederetur A. 1620. *Joannes Bazius*, Epiſcopus Wexionenſis, non obſcurum eſt nomen
162. inter Chronologos ſacros. *Joannes Rudbeckius*, in Academia Upſalienſi Theologus, & deinceps Aroſienſis Epiſcopus, juſſu Regis *Guſtavi Adolphi* A. 1618 Holmiæ edidit (in folio) *Biblia Sacra*. Hujus Regis encomia una cum Orationum ejus publice
187. habitarum Catalogo legas *pag. 173 ſeq.* Illud ſingulare, quod conſignaſſe Rex ille dicitur *Hiſtoriam vitæ ſuæ* lingua Suecica. Vita *Joannis Adleri Salvii*, Legati illuſtriſſimi, exſtat *pag. 192-202*. Diſcimus hinc, factum eum eſſe A. 1613 Helmſtadii Magiſtrum Philoſophiæ, atque aliquot ſcripta edidiſſe.
Jonæ

Digitized by Google

Jonæ Petri Gothi, Epiſcopi Lincopienſis, A. 1640 (in folio) Pag. 213.
prodiit *Dictionarium Latino-Sueco-Germanicum.* *Joannis* 219.
Matthiæ, Theologiæ Doctoris, & Epiſcopi Stregneſienſis, maxime obſervari merentur libelli *irenici*, quibus parem facere voluit inter Pontificios & Proteſtantes. Inſcripſit eos *Ramos olivæ Septentrionalis*, quorum decem edidit. Sed tantum abeſt, ut gratiam inierit ſuorum popularium, ut potius *Rami* hi & a Clero Suecico rejicerentur, & Edicto Regio poſſideri vetarentur. Præterea *Syntagma breve Theologicum* edidit, & *Gnomologiam veterum Latinorum Poetarum & Hiſtoricorum*, & *Grammaticam regiam*, hoc eſt, novam & facillimam rationem diſcendi linguam Latinam, *pro Chriſtina*, *Suecorum Regina*: qui Liber ſæpius recuſus eſt Holmiæ, nuper etiam in
Germania noſtra. *Jonæ Magni*, ex Upſalienſi Hiſtoriæ & 236.
Politices Profeſſore facti Epiſcopi Scarenſium, Diſputationes politicæ, in duo Volumina collectæ, prodierunt ſub titulo *Phi-*
loſophiæ civilis. De *Joanne Canuto Lenæo*, Regni Sueciæ 244.
Archi-Epiſcopo, longior eſt Noſter. Exhibet enim non ſolum perelegantem Orationem funebrem *Martini Brunneri*, ſed etiam *Jo. Schefferi Memoriam Lenæi*, & *Olai Rudbeckii* Programma funebre. Multas vero *Lenæus* edidit Diſputationes, quarum ex, quæ ſunt *de Jure Regio in eccleſiaſticis*, interdictæ ſunt, *ſi non publice*, (ita ait Noſter,) *tamen privatim.* Contra ejus libello *de veritate & excellentia Chriſtianæ religionis*, Upſaliæ primum A. 1638 edito, in Gallia & Germania re-
cudi contigit. *Laurentius Olai Wallius*, Epiſcopus Stregnen- 301.
ſis ex Upſalienſi Theologo factus, multas edidit Conciones, Orationes, Diſputationes Theologicas, Epiſtolas, libelloſque
alios. Memoratur hic & *Jonas Hambraus*, in miniſterio 313.
Hug. Grotii, Legati Suecici, Pariſiis, poſtea Regis Sueciæ co-
piarum Regi Galliæ inſervientium Prædicator ordinarius. *Jo.* 331.
Franckenius, Upſalienſis Profeſſor Medicinæ, multa ſcripſit de
lapide philoſophico. *Eskillius Petræus*, primus Aboenſis Aca- 341.
demiæ Rector & Theologiæ Profeſſor, hinc Aboenſis Epiſcopus, præter multas Diſputationes, tum Philoſophicas, tum Theologicas, confecit Verſionem Scripturæ Sacræ *in linguam Fen-*

nicam,

Digitized by Google

nicam, & *Inſtitutionem linguæ Fennicæ*: quarum prior Hol-
Pag. 371. miæ A. 1642, altera A. 1649, eſt edita. *Olaus Laurelius*, Epi-
ſcopus Aroſienſis, præter alia conſcripſit *Syntagma Theologi-*
395. *cum*, A. 1641 editum. *Jacobus Rudbeckius* ſcripſit aliquot an-
414. norum *Annales Regni Sueciæ*. *Nicolaus Buddæus*, Matheſeos Profeſſor primum Baſileæ, deinde in Schola Oerebroenſi, edidit *Gymnaſmata Arithmetica*, & *Geometrica*, & *Aſtronomica*.
464. Egregia Poemata ſermone Suecico contexuit *Laurentius Vi-*
473. *vallius*, audax cetera & infelix amator. Latinus vero Poeta fuit *Laurentius Fornelius*, Upſalienſis Profeſſor Poeſeos. Edidit is multa Carmina, & inter hæc metricum Panegyricum in ſtudium Poeſeos, cujus in verſibus primis omnia vocabula incipiunt a litera *A*, in ſequentibus a *B*, & ſic deinceps per to-
481. tum Alphabetum. *Laurentius Stigzelius*, Regni Archi-Epiſcopus, multas edidit Academicas Diſputationes. Exhibetur hic *pag. 481-502 Martini Brunnieri* Oratio in ejus funere habita, & *pag. 502-515 Memoria Stigzelii* hujus a *Jo. Scheffero*
514. concinnata, & *pag. 516-522* Programma funebre. *Andreæ Burei*, egregii Geographi orbis Arctoi, ſcripta partim in Germa-
559. nia ſunt edita, partim in Belgio. *Michael Wexionius Gyllenſtolpe*, ex Aboenſi Profeſſore Hiſtoriæ & Politices factus Aſſeſſor Dicaſterii Regii, edidit *Natales Academiæ Aboenſis* A. 1648, recuſas A. 1681. Edidit idem complures Diſputationes de Phi-
597. loſophia practica, & libellos aliquot de Jure Suecico. *Wendela Skytte*, Baroniſſa, quæ præter vernaculam linguam calluit Latinam, Gallicam, & Germanicam perfectiſſime, atque Græcam haud mediocriter, deceſſit in curriculo ætatis vigeſimo primo A. 1629 d. 18 Aug. trium liberorum mater. Duæ ejus Epiſtolæ Latinæ ad patrem, Senatorem regni, in lucem prodierunt. *Samuel Enander*, Epiſcopus Lincopienſis, edidit *Epito-*
668. *men Dialecticæ Conradi Dieterici*, quæ ſæpius recuſa eſt. *Joannes Axehielmius*, Aſſeſſor in Collegio antiquitatum, ſcripſit *Leges Weſtro-Gothicas*, *Momumenta Runica*, *ſeu 250 Cippos Runicos, cum interpretatione Latina*, *Collectanea ad Lexicon Suio Gothicum*, *Dictionarium Islandicum*, *Vitæ Barleami, lingua veteri Gothica ſcriptæ, verſionem Suecicam*. Sed nihil horum

horum a typographis exſcriptum eſt. *Matthias Mylonius* Pag. 719.
Biærnklow, Senator Regni, edidit *Grotii Jus belli & pacis* in
tabulas redactum. Publico item nomine complura edidit
ſcripta occaſione Pacificationis Weſtphalicæ, cui tanquam Se-
cretarius Legationis Suecicæ interfuit. *Guſtavus Waſaborg*, 753.
Regis *Guſtavi Adolphi* filius naturalis, fuit A. 1632 Rector Aca-
demiæ Wittebergenſis. *Iſacus Iſthmenius*, Profeſſor Phyſices 775.
Upſalienſis, inter alia ſcripſit *Phyſicam doctrinam totam* lin-
gua Suecica. Sed eſt adhuc hic liber inter ineditos. Simili-
ter manuſcripta ſupereſt *Matheſis univerſa*, Suecico concinnata
ſermone a Mathematum Profeſſore Aboënſi, *Simone Kexlero*, 779.
in cujus funere habita a *Mart. Miltopæo*, Eloquentiæ Profeſſo-
re, Oratio hic exhibetur *pag. 779-794*. Edidit idem permul-
tos de Arithmetica libros. *Joannes Tornæus* evulgavit lin- 796.
gua Lapponica *Pſalmos Davidis*, *Proverbia Salomonis*, *Li-
brum Sapientiæ*, *Syraciden*, *Catechiſmum Lutheri*, *Evange-
lia Dominicalia*, *una cum Epiſtolis*, aliaque. Idem Hiſtoriam
ſcripſit & *Geographiam Lapplandiæ*. Verum neutra in lucem
prodiit. *Joannes Campanus*, Holmienſis, Paſtor Eccleſiarum 797.
Suecicarum in America, verſionem confecit *Catechiſmi Lu-
theri* in linguam Americæ Virginienſem, quæ poſt mortem
ejus (defunctus autem eſt A. 1653,) Holmiæ prodiit A. 1696.
Catharina Bure, Upſaliæ A. 1601 nata, *Joanni Axehielmio*, quem 805.
ſupra laudavimus, nupta, & A. 1678 defuncta, *Compendium
Theologicum Haſenrefferi* convertit in linguam Suecicam.
Joannes Elai Terſerus, Theologiæ Doctor, Hamburgi in lin- 817-844.
gua Hebraica magiſtro uſus eſt Rabbino *Davide Cohen de
Lara*. A. 1640 factus eſt Theologiæ Profeſſor in Academia
Aboënſi, hinc in Upſalienſi. A. 1658 creatus fuit Epiſcopus
Aboënſis, ſed illo Epiſcopatu exutus A. 1664 ob ſingulares ali-
quot opiniones in *Catechiſmo* ſuo propoſitas, ſcilicet de divi-
ſione Decalogi, de bonorum operum neceſſitate, de Chriſti
deſcenſu ad inferos, de libro Concordiæ, de fide infantum in
baptiſmo. Rurſus tamen A. 1671 factus eſt Epiſcopus Linco-
pienſis, ac deceſſit vita A. 1678. *Pag. 833* legimus, a *Chriſti-
na*, Regina, ei injunctum fuiſſe, ut ederet Hebræum Veteris Te-

Yy ſtamen-

Digitized by Google

ſtamenti textum, adderetque e regione verſionem ſuam Latinam una cum Annotationibus. Ac intra biennium abſolvit verſionem Pentateuchi. Tres vero duntaxat ejus libros emiſit, *Geneſin*, *Exodum*, *Leviticum*. Suis quoque in *Geneſin* Annotationibus adjunxit Diſſertationem *de textus originalis integritate*. Supereſt etiam, quanquam inedita, Diſſertatio ejus *de nomine Lutheranorum*, in qua *ſolide* (ita quidem cenſet Autor noſter,) monſtratur, non decere religionem & Eccleſias noſtras a *Luthero* denominari *Lutheranas*. Supereſt item
Pag. 845. ἀνέκδοτος ejus libellus *de deſcenſu Chriſti ad inferos*. Ultimo hujus Tomi loco laudatur *Benedictus Oxenſtierna*, Comes, qui fuit Senatus Regni Princeps, & A. 1702 diem ſupremum obiit. Oratio funebris, a *Laurentio Norrmanno* habita, nunc primum editur hic *pag. 845 - 870*. De ſcriptis vero ejus, tum editis, tum ineditis, Cl. Autor ſe dicturum promittit in *Tomo* hujus Operis *tertio*. Atque ita *Tomum* hunc *ſecundum* perluſtravimus, avide expectantes ceteros *Tomos*, quorum *primus* res literarias in Suecia geſtas ab anno mundi 3362 uſque ad annum Chriſtianum 1600, *tertius* ab A. 1633 ad A. 1659, *quartus* inde uſque ad A. 1696, *quintus* hinc uſque ad hanc noſtram ætatem, eſt exhibiturus, *ſexto* complexuro *Finlandiam literatam*, & *ſeptimo* Scriptores adoptivos.

CONSPECTUS MEDICINÆ THEORETICO-Practicæ, Tabulis CXXXVIII omnes primarios morbos methodo Stahliana tractandos exhibens; tertia vice editus, correctus, & auctus, Autore D. JOANNE JUNCKERO, Prof. Publ. Ordin. & Med. Pract. Orphanotrophei Halenſis.

Halæ, impenſis Orphanotrophei, 1734, 4.
Alph. 6 pl. 11.

Serius fere, quam par erat, liber hic a nobis commemoratur, poſtquam jam tum A. 1718 primum editus, Medicis noſtratibus

tibus familiari in uſu fuit. Interim tamen, exterorum maxime gratia, occaſione repetitæ editionis pauciſſimis de eodem agemus. Et de argumento quidem vel ex inſcriptione libri conſtat. Siſtit enim doctrinam de cognoſcendis & curandis morbis ad mentem *Stahlii*, eandemque in Tabularum, ut vocant, forma. Scilicet, ex prælectionibus, quæ manu adhuc ſcriptæ circumferuntur, *Stahlianis*, librisque publicatis, ſingula, quæ ad doctrinæ hujus rationem pertinere videbantur, petiit, ſuo quodvis loco ordinique reſtituit, &, quem docendi modum facilem explicitumque eſſe credidit, in Tabularum formam redegit. Harum itaque CXVI in prima editione prodierunt, omnis generis morbos complexæ, quibus in altera XXII novæ, præter alia inſigniora augmenta, acceſſerunt, in tertia autem hac, quam præ manibus habemus, non niſi obſervationes quædam paſſim interſperſæ fuerunt. Non ſine magno labore eas exaratas eſſe, Autor in Præfatione teſtatur, facileque ipſi fidem habebunt, qui hoc laboris genus rite perpendent. In ipſa tractatione eum tenet ordinem, ut cujuslibet morbi definitionem, differentias, ſigna, ſubjecta, cauſas, prognoſin, methodum medendi, & remedia; cautelasque, & obſervationes practicas, clare & perſpicue exponat. Neque nos dubitamus, lectionem hujus Operis non ſine inſigni fructu eſſe, partim iis, qui *Stahlianis* veſtigiis in artis ſuæ exercitatione preſſius inſiſtunt, partim illis qui animum habent a *Stahliana* theoria adhuc alieniorem, & jugum ejusmodi hypotheſeos libera cervice detrectant. Atque multi ex his, plura eſſe & in morbi hiſtoria, & in medendi methodo, quæ in rem ſuam commode vertant, uſu jam & experientia cognoverunt. Maxima enim pars niti ſolet experientia, omnibus Medicorum familiis communi, nullique ſuſpecta. Pauca vero ſub cauſis ex *Stahliana* theoria hinc inde repetuntur, & in therapia ſingularia nonnunquam afferuntur. Exteri vero inde facili opera intelligent, qua via in curandis morbis incedant *Stahlii* aſſeclæ, quorum ubique jam fama increbeſcit, & qui ex multorum ſententia principatum in medendi arte tenere cenſentur.

FRANCISCI RONCALLI, PHILOSOPHIÆ & Medicinæ Doctoris, Exercitatio Medico-Chirurgica, agens novam methodum exſtirpandi carunculas, & curandi fiſtulas urethræ.

Brixiæ, typis Jo. Mariæ Ricciardi, 1720, 8.
Plag. 14, cum Tabb. æn. 2.

Etſi ſera nimis Operis hujus videri poſſit commemoratio, novitatis titulo jam quidem vix amplius commendabilis, illius tamen haud ita pridem ad nos primum delati, cum novam methodum, malum moleſtiſſimum & ab aliis incaſſum variis remediis tentatum tollendi, afferat, aliquam injicere mentionem, æquum viſum eſt. Infauſta malignioris gonorrhææ conſectaria eſſe ſolent carunculæ in urethra exulcerata progerminantes, urinæ excretionem impedientes, interdum prorſus ſufflaminantes, unde urina alias ſibi vias pandere, & fiſtuloſos canales in perinæo, vel ſcroto, aut pube, exitum quærentes formare ſolet, quibus malis apta excogitavit remedia Cl. Autor. In *binas* veluti *Partes* Libellum diſpeſcuit, quarum *prior* obſervationem hiſtoricam exhibet ægroti inveterata lue laborantis, qui, ob neglectam medelam, vitæque genus caſtrenſe, denique tribus majoribus carunculis obſtructam ſenſit urethram, unde tumor in perinæo ſubnatus, atque adapertus, urinæ per anfractuoſam fiſtulam exitum conceſſit. Ordine Cl. Autor omnia deſperati mali ſymptomata, initaque conſilia, & adhibita cum ad corrigendos humores, tum ad tollendas excreſcentias remedia, commemorat, quibus effectum ſit, ut priſtinæ reſtitutus ſanitati, urinam etiam rite iterum excernere potuerit, ſola fiſtula nondum conſolidata. Quibus in præſenti fuſius percenſendis non inhærebimus, ex *altera* potius *Parte*, quæ novam methodum fiſtulas has etiam perſanandi, hac occaſione excogitatam, exhibet, pauca delibaturi. Habent id præ ceteris urethræ fiſtulæ, ut ad callum quammaxime proclives ſint, qui propter urinæ perpetuum affluxum ægre tollendus eſt. Cauſtica enim applicata brevi iterum abluuntur, & eſchara uſtione inducta

cta denuo occalleſcit. Omnis itaque labor eo intendi debet tam in fiſtulis his, quam carunculis, exſtirpandis, ut ab urinæ alluvio immunes præſtentur, quod variis inſtrumentis tentarunt veteres Chirurgi, dum modo cannulam ex linteo ceratam intruſerunt, quæ vero emollita & corrugata operam eluſit, modo fiſtulam ex auro aptarunt ante urinæ excretionem applicandam, ut per eam urina fluat. Cum autem illa perpetuo ob ſenſum doloris exquiſiti geſtari non potuerit, aliud invenit inſtrumentum, quod ſemel immiſſum per aliquot dies geſtari poſſit, ut per illud urina ſine urethræ contactu efflueret, ſicque remedia carunculis ſive fiſtulis applicata effectum optatum poſſent exerere, quod *ſyringæ vermicularis* nomine appellat. Deſcriptionem ejus ipſis Autoris Cl. verbis dabimus: *Argentea ſumenda eſt chorda, pili ſuis ſylveſtris latitudinem adæquans, quæ a perito aurifice mediis duabus rotis, ad contactum nitentibus, in tenuiſſimam oblongam laminam reducatur; quo facto, ſupra cylindrum, vel æneum, vel ferreum, majori plumæ columbæ turriculæ circiter reſpondentem, & ſenſim ſine ſenſu in orbem circumactum exilis lamina eadem ſemper vi arctiſſime cogatur, ita, ut & ſibi & maſculo perfecte adhæreat. In determinata longitudine obtruncata exili lamina breviſſima argentea cannula, ſemidigiti transverſalis infantis recenter nati longitudinem non excedens, cum igne in ſummo apice agglutinetur, ejusdem latitudinis, quam habet reliqua cannula ex multiplici gyro tenuiſſimæ argenteæ laminæ efformata. Parte vero, qua calcem agit, cannula pari ritu conjuncta, in circularem alam aliquantum extendatur, ut impediatur totalis introitus, difficile alioquin removendus. His peractis, funiculus ſericus cera & pauca reſina obductus, per longitudinem ipſius ſyringæ ita conſuatur, ut latera funiculi perfecte conjungantur. Enimvero in utroque capite ſupra cannulas triplicata circumvolutione ita obligetur, ut nulla impetus occaſione ſyringa poſſit denudari. Si in ſutura aut mucrone aſpera adeſt inæqualitas, penniculo in ceram intincto debet emendari; ſi tamen vel manu vel tabula ſupra tabulam in orbem fricabitur, omnino lævigata exſurget.* Longitudinem

Digitized by Google

& latitudinem ſyringæ non definit, cum non æquale ſit in diverſis urinæ iter, neque carunculæ, aut foramen ſiſtuloſum, eodem loco contingant. Monet tamen, inſtrumentum in meatu urinario debere excedere per duos digitos transverſales vel carunculam, vel fiſtuloſum foramen. Latitudo ab ipſius urethræ dimenſione determinanda eſt, ut tolerabili adhæſione meatus parietes undiquaque impleat, nihilque urinæ ad illum pertingere concedat, tenuitate tamen & mollitie ſua membri virilis motum ſequatur. Deinde enchireſes ſubnectit, quomodo intrudenda ſit ſyringa, quæ poſtea per plures dies ſine incommodo geſtari poterit. Plura etiam exempla feliciter cedentis applicationis adducit, atque, quomodo jam impedimento graviori, urinæ puta affluxu remoto, callus in fiſtula removeri, eademque perſanari poſſit, fuſius perſequitur, ſuamque de variis remediis epicriſin ſubnectit, quæ vero aliunde nota, vel apud ipſum Autorem evolvenda, ſilentio prætermittimus. In fine Cel. *Antonii Valliſnierii*, Medici Patavienſis, *Roſini Lentilii*, Archiatri Würtenbergici, & *Joſephi Grandi*, Veneti, Epiſtolæ, quæ Cl. Autori de egregio invento gratulantur, albumque calculum adjiciunt, ſubnexæ ſunt.

ENTRETIENS PHYSIQUES D'ARISTE ET D'EUDOXE, &c.

h. e.

COLLOQUIA PHYSICA ARISTI ET EUDOXI, ſive Phyſica nova, familiari ſermone explicata P. REGNALTIO, S. J. Sacerdote, &c.

Tomus IV.

Amſtelodami, ſumtibus Societatis, 1733, 12 maj.
Plag. 15, cum Tabb. æn. 4.

Quarto hoc *Volumine* non nova doctrinæ naturalis capita exhibentur, ſed, quæ in prioribus *Voluminibus* propoſita fuerant, additamentis nonnullis ornantur ac illuſtrantur. Cum

ex

ex iis, quæ de prioribus Tomis in his *Actorum Supplementis Tom. I Sect. III pag. 109* diximus, Autoris inſtitutum abunde conſtet, ut, quæ ex inventis Philoſophorum recentiorum juvenum uſui idonea, ipſorumque captui accommodata ſunt, compilaret, atque inprimis ex Commentariis Academiarum Regiarum, quæ Londini & Pariſiis florent, excerperet, facile intelligitur, variis additamentis ejusmodi Opus nunquam non augeri ac magis illuſtrari poſſe. Ut itaque ſpecimen rerum Supplemento hoc expoſitarum Lectori exhibeamus, pro more noſtro nonnulla ubivis haud obvia delibabimus, cum non omnia Autor ab aliis ita commodato acceperit, ut nihil plane de ſua penu contulerit. Notum eſt, jam alios, inprimis Cel. *Godofredum*, Regiæ Pariſienſis Academiæ Socium, edocuiſſe, qua ratione cuprum vitrioli atque ferri ope produci queat, novam vero methodum, quam ipſe expertus eſt Doctiſſ. Autor, in limine fere Operis hujus ſuppeditat. Seligitur ahenum plumbeum ab omni ſqualore depuratum, quia cuprum a plumbo attrahi non ſolet, atque aqua fontana impletur, quæ accenſo igne calorem imbibens, ne plumbum colliqueſcat, prohibet. Aheno immittitur vitriolum cœruleum, cujus colore aqua confeſtim imbuitur. Aqua calefacta per quinque minuta, ut ebulliat, coquitur. Paratur porro vas ligneum figuræ ellipticæ, multis foraminibus pertuſum, quod in medio claudi & aperiri poteſt, multisque laminis ferreis, tenuibus valde, ut eo major ferri ſuperficies aquæ objiciatur, impletur. Vas hoc clauſum ope cochleæ, ferventi in aheno plumbeo aquæ immittitur, atque confeſtim vehementiſſima ebullitio obſervatur, orta ex rarefactione aeris, ferrearum laminarum interſtitia interfluentis. Relinquitur vaſculum ellipticum per quindecim minuta in aheno, eoque cochleæ jam dictæ ope extracto atque aperto, ſingula lamina ferrea maſſa rubicunda metallica, quæ cupro rubro pulcherrimo perſimilis eſt, obducta atque incruſtata videntur. Cupreæ enim particulæ actione ignis atque ſalium vitrioli, ab intima ferri & vitrioli ſubſtantia ſeparatæ, lateribus ferrearum laminarum adhærent. Clauſum denuo vaſculum vaſi aqua frigida ſupra dimidium impleto immergitur, atque vectis ope vehementius agitatur, ut conquaſſatus

pulvis

Digitized by Google

pulvis metallicus a ferreis laminis ſeparetur, ac in fundo ſubſidat. Ita fundum vaſis mox cruſta pulveris rubei induitur, quem a ferro ſeparatum eſſe, imminutum valde pondus ejus prodit. Mox aliis laminis ferreis vaſculum ellipticum repletur, atque aqua in plumbeo aheno denuo vitriolo impraegnatur, ut, quoties libet, operatio repeti, atque ſufficiens cupri moles praeparari poſſet. Teſtatur Autor, ſe nonnunquam cupri maſſam, cujus pondus 40 vel 45 libras aequabat, collegiſſe, poſtquam pulvis ille metallicus vehementiori igne excoctus atque coagulatus fuerat. Cuprum hoc genuinum valde, imo generoſum, eſſe, non ſolitum modo examen probat, ſed elegantiſſima etiam vaſa ex hoc cupro arte parato elaborata fuiſſe, Autor perhibet. Cum vitrioli coerulei baſis cuprum ſit, in acido quodam ſolutum, mirum non eſt, idem hoc vitriolum in aqua colliquefactum, atque ope ſalis fixi praecipitatum, cuprum, ferro etiam non accedente, reddere, quod laudata Cel. *Godofredi* experimenta evincunt. Sed pergamus ad additamenta, quibus priorem de lapidibus inprimis pretioſis Commentationem ditat. Sunt haec experimenta nonnulla, quibus evinci poſſe putat, nullo aliorum ſententiam niti fundamento, qui non metallorum modo, ſed ipſorum etiam lapidum, ſingulis generibus ſua peculiaria ſemina tribuunt. Si fruſtum ulmi aheno, quo lupulus cereviſiae coquitur, immittatur, donec lupulus probe excoctus fuerit, mox in arena ſicca in cavea defoſſum, per tres annos integros intactum relinquatur, illud in lapidem abiiſſe deprehendemus. Subtiliſſimae enim arenae particulae, virtute materiae ſubtilis, quae corpus quodvis rapido motu permeat, agitatae, atque vi elaſtica aeris, interſtitiis arenae permixti, propulſae, ampliatis ligni poris ſe inſinuant, atque cum ſucco lupuli conglutinantur. Partes itaque ligni conſtrictae, atque inter ſolida corpuſcula, quibus pori ejus replentur, coarctatae, immobiles fiunt, ut corpus durum prodeat. Sic ars naturam imitatur, cujus virtute diverſi generis materias lapideſcere, ſatis notum eſt. Non itaque opus eſſe videtur ad formandos lapides, marmora, & adamantes, ſingularia lapidea ſemina in terrae gremio abdita fingere, ex quibus lapides eadem fere ratione evolvantur, iis

nutrian-

nutriantur atque foveantur, qua lactucæ granula educantur. Provocant quidem illi, quibus adamantis aliorumque lapidum ſemina, æque ac diverſorum generum olera, terræ mandari poſſe videntur, ad *Tournefortii* experimentum, qui in nonnullis regionibus ſe inveniſſe teſtatur, inſculptas lapideis monumentis literas ita tandem excreviſſe, ut elevati operis ſpeciem præberent. Sed pluvia aqua, ductus ejusmodi ſculpturarum perfluens, materiam veſtigia illarum tandem induentem facile relinquere potuit, ut incautis ipſi figurarum ſulci excreviſſe viderentur. Non alia igitur re, quam diverſi generis corpuſculis, opus eſt, quæ caſu in ſculpturarum meatibus conglutinentur, ut vegetationem quis videre ſibi videatur, inprimis ſi novi ſyſtematis deliciis incantatus fuerit. Non vero generalia tantum naturalis doctrinæ principia Autor hoc Operis ſui Supplemento additamentis nonnullis illuſtrat, ſed varios etiam ſubinde caſus particulares explicare, earumque rationes inquirere, inſtituit, ſiquidem propoſito ipſius inprimis conveniat, illis, quæ ante oculos poſita quotidiana experientia docet, lucem aliquam affundere. Ita, quæ de formatione vocis humanæ in prioribus Voluminibus attulerat, diſerta explicatione rationis, qua riſus formatur, auget. Riſus, ſpecies vocis creberrimi uſus, omnino ſonus articulatus eſt, qui repentinæ atque majoris lætitiæ ſenſum multo luculentius, quam ipſa verba, prodit. Sectio corporis humani nervos demonſtrat, qui ex cerebro originem trahentes, per univerſam faciem diſtribuuntur, quorum nonnulli nervo diaphragmatis inſeruntur. Spiritus itaque animales, lætitiæ ſubitaneæ atque inſignioris ſenſu agitati, ut per nervos hoſce in diaphragma influant, vaſa ejus repente inflant, ut diaphragma alternis vicibus elevetur atque ſubſidat. Hoc impetu pulmones vehementius percutiuntur, ut aer, repetitis ictibus ex pulmonibus expreſſus, atque per glottidem effugiens, illos ſonos edat, quibus riſus conſtat. Sanguis vero a pulmonibus compreſſus, ſpiritus animales, quibus innumeri nervi exigui atque tubuli, per faciem paſſim diſperſi, ſcatent, per ſiniſtrum cordis ventriculum verſus faciem protrudit. Motus autem illi vehementiores, qui riſum comitantur, partes omnes

Digitized by Google

faciei humanæ ampliant, atque diducunt, ut ſanguis compreſſus ad extremam fere faciei ſuperficiem expellatur, eique rubicundum illum colorem, quem experientia teſtatur, induat. Hac animi contentione fit, ut ſpiritus in oculos copioſius influant, a quibus tunica cornea ita extenditur, ut, lumine fortius reflexo, ipſi oculi magis ſcintillare videantur. Vocis theoriam ſingulari exemplo juvenis Germani, qui loquelæ uſum anno ætatis decimo quarto ita ex febre perdiderat, ut non niſi unica per diem hora duodecima loqui potuerit, Autor illuſtrat. Arbitratur, receptaculum ſpirituum, quibus nervi animantur, ut lingua moveatur, ac diverſa ratione inflecti poſſit, ex vehementia morbi in ſpeciem fontis, non niſi per intervalla fluentis, degeneraſſe. Ductus nonnullos per vim morbi ita forte obſtructos fuiſſe ſuſpicatur, ut integris viginti tribus horis opus fuerit, ad reſtituendos nervis, quibus lingua agitatur, humores. Oblata hac de morbis corporis humani diſſerendi occaſione, illorum ſententiam proſcribit, qui vermes tanquam omnium malorum, quibus corpus noſtrum vexatur, cauſam accuſant. Fuit inter noſtri temporis Philoſophos nonnemo, qui non cauſam modo, ſed remedia etiam, omnium morborum a vermibus repetebat, arbitratus, alius generis inſectis maſſam ſanguinis noſtri corrumpi, alterius vero generis vermibus hoc devorari aut enecari. Imo duriſſima corpora non niſi compagem inſectorum arctiſſime conſtipatorum, atque ſibi invicem implicatorum, eſſe, ipſamque flammam examine minimarum beſtiolarum alatarum, rapidius per aerem tripudiantium, ali, exiſtimabat. Hæc vero non ſibi ſolum videre videbatur, ſed aliis etiam, ſtuporis infamiam intentans, ſi pari oculorum acumine ſe pollere negarent, quod verniculos hoſce reapſe viderent, perſuadere conabatur. Cum negari nequeat, experientiam in ipſo humano ſanguine ingentem vermium copiam demonſtrare, nec male *Varro* olim tradiderit, ipſum aerem ejusmodi animalculorum copia turgere, nemo tamen induci ſe patietur, ut cerebrinis ejusmodi figmentis temere ſubſcribat. Mittimus reliqua, atque Lectori induſtrio perquirenda relinquimus, facile providentes, non ſine tædio excerpi poſſe, quæ alteri editioni

Pari-

Digitized by Google

Pariſienſi inſerta, in hoc Supplementorum Tomo ita repetuntur, ut ſæpe unica tantum linea integræ paginæ adjiciatur.

LUNARIS ECLIPSIS, CELEBRATA ULYSſipone die 10 Octobr. A.1726, & in Obſervatorio Collegii D. Antonii Magni obſervata, a P. JO. BAPTISTA CARBONE, Societatis Jeſu.

Innumeris ea nocte vaporibus inficiebatur aer, qui ſpiſſiores in nubes paulatim denſabantur, ipſamque Lunam non mediocriter obſuſcabant. Verebar proinde, ne non bene mihi ac feliciter Lunaris Defectus Obſervatio contingeret; futurum enim obnubilum tota ea nocte cœlum videbatur. Sub mediam vero noctem, Euro-Borea ſpirante, ſenſim aer diverberari, mox etiam diſpergi nubes viſæ ſunt; atque hora circiter ſecunda Occidentalis plaga, ad quam Luna vergebat, nitidiſſima apparuit, eademque ad finem Eclipſeos permanſit. Nullo igitur aeris incommodo obſervationem hanc habui; nec quidquam prætermiſi, quod ejus rectitudini favere quoquo modo intelligerem. Eodem uſus ſum teleſcopio, quo in Obſervatione Solaris Deliquii; idemque adhibui micrometrum in definiendis digitis obſcurationis.

Ad temporis vero dimenſionem horologio uſus ſum, pendulo inſtructo; cujus tanta æqualitas motus, ut dierum intervallo decem & octo vix uno aut altero ſecundo a medio Solis motu diſcrepaſſe deprehenderim, idque accuratiſſimo ac quotidiano pene examine per appulſum fixæ ad eundem verticalem. Ejus differentiam a tempore vero, ſeu apparenti repetitis interdiu Obſervationibus, inveſtigavi, tum ſcilicet per Solis altitudines, tum per lineam Meridianam; quas tamen Obſervationes libens prætereo, ne longior ſim; ejuſmodi enim ſunt, quas exhibui in præcedenti Solaris Eclipſeos obſervatione inſertæ horum ad *Nova Acta Supplem. Tomo I Sect. V pag.219.*

Macularum nomina ex Selenographia P. *Grimaldi* excerpta ſunt, quam P. *Ricciolus* ſuo Almageſto novo inſeruit, ac nominibus locupletavit. In eorum vero commodum, qui *He-*

velianam ſequuntur nomenclaturam, ſynonymas quoque voces, ex hoc Autore deſumtas, ſecundo loco apponam, præpoſita litera H, quæ *Hevelium* ſignificat.

	Temp. H.	V. ′	cor. ″
Incipit penumbra ſenſibilis limbum Lunæ ad Euro-Auſtrum inficere.	14	37	0
Spiſſior apparet	14	46	0
Spiſſiſſima	14	56	0
Umbra terræ, quantum diſcerni poteſt, ad eundem limbum pertingit	14	57	20
Schikardus in Umbra	15	3	50
I Digitus obumbratur	15	4	53
Umbra ad *Kriſtmanum*	15	8	4
immergitur totus	15	9	15
Merſenius latet: Litus Orientale *Maris humorum* incipit obumbrari: H. *Sinus Sirbonis*	15	9	50
II Digiti latent	1[illegible]	[illegible]3	0
Capuanus immergitur	15	13	36
Ad *Grimaldum* pervenit Umbra: H. *Pal. Mareotis*	15	14	54
Gaſſendus incipit obumbrari	15	17	34
Incipit *Tycho*: H. *Mons Sinai*, *Grimaldus* latet.	15	19	46
Tychonis medium tenet Umbra	15	21	0
III Digiti. *Tycho* totus immergitur	15	21	53
Morinus: H. *Caſſius*	15	23	58
Bullialdus: H. *Inſula Creta*	15	25	20
Profatius incipit obumbrari	15	30	58
IV Digiti	15	31	48
Profatius latet	15	32	40
V Digiti	15	43	40
Umbra tantum non attingit *Galilæum*, quem propter diutiſſime verſatur	15	48	0
Ad *Snellium*, & *Fornerium* pervenit Umbra	15	53	20

Ad

		Temp. H.	V. ′	cor. ″
	Ad *Fracaſtorium*. *Snellius*, & *Fornerius* latent	15	55	38
	Fracaſtorius totus in Umbra	15	58	30
VI	Digiti	16	3	4
	Sinum Æſtuum tangit Umbra: H. *Mare Adriaticum*	16	6	13
	Medium *Vendelini*	16	8	22
	Totum *Mare Nectaris* in Umbra: H. *Sinus extremus*	16	14	40
	Grimaldus incipit emergere	16	15	51
	Ricciolus extra Umbram	16	16	18
	Grimaldus totus	16	23	30
	Umbra ad *Langrenum*	16	24	27
	Gaſſendus reſtituitur	16	43	34
V	Digiti deficiunt	16	47	22
	Bullialdus incipit emergere	16	51	57
	totus extra Umbram	16	53	47
	Kriſtmanus incipit	16	54	17
	Item *Schikardus*	16	58	0
IV	Digiti. Totus *Schikardus*	16	59	27
	Pitatus totus	17	3	30
III	Digiti	17	9	20
	Tycho incipit emergere	17	10	54
	Tychonis medium extra Umbram	17	11	49
	Tycho totus emergit	17	12	40
	Fracaſtorius totus	17	14	20
II	Digiti	17	18	4
	Snellius emergit	17	25	43
I	Digitus tantum latet	17	26	10
	Fornerius extra Umbram	17	27	55
	Extremus limbus Lunæ, qui ad Africum ſpectat, videtur proxime emerſurus	17	32	50
	Jam Lunæ diſcus integer apparet, ac proinde finis Eclipſeos	17	33	30

Adhuc

	Temp. V. cor.		
	H.	′	″
Adhuc denſiori penumbra prædictus limbus inficitur	17	38	0
Deſinit penumbra ſenſibilis, ſuæque Luna claritati omnino reſtituta apparet	17	54	0
	h.	′	″
Ex obſervatis initio, ac fine Eclipſeos, colligitur ejus duratio	2	36	10
Medium vero, ſeu maxima obſcuratio	16	15	25
Quantitas micrometro diligenter inveſtigata, Dig. 6 min. 10′.			

Terreſtris Umbra in hac Eclipſi tum male terminata, quod in ceteris Lunæ Eclipſibus contingere ſolet, tum etiam ſublu-ſtrior, atque alias viſa eſt. Difficilior proinde veri initii finisque inveſtigatio fuit; nec ſuo carituras arbitror diſſidio diverſas Aſtronomorum Obſervationes, qui ſcilicet in eodem penumbræ termino definiendo perquam raro conveniunt, ac tum vel maxime, quando nulla Terreſtris Umbræ portio in diſco Lunari verſatur, uti nulla verſari incipiente Eclipſi, vel deſinente, poteſt. Reliquæ vero phaſes facilius ac citra ſenſibilem errorem determinari potuerunt, comparatione habita inter Umbram veram, ac ſpiſſiorem penumbram. Equidem, ut rectitudini Obſervationis, quoad fieri poterat, diligentiſſime conſulerem, plura ſub Eclipſeos initium, plura ſub ejus finem, momenta temporis annotavi; quorum ea tandem vero initio ac fini adſcripſi, quæ utrique maxime congruere ex pluribus circumſtantiis deprehendi.

ECLOGÆ EVANGELICÆ MAYERO-NEUMEISTERIANÆ.

Pars II.

Hamburgi, 1734, 8.
Alph. 3 pl. 5.

Præ-

Præmiſſa eſt huic *Parti* Diatriba *Anti-Walchiana*, qua ſua Libris noſtris Symbolicis autoritas aſſeritur. Pl. Rev. Autor eam a ſe ſcriptam teſtatur juſſu Superiorum, quibus obſequium denegare noluit. Non enim exigui momenti controverſia eſt, an dentur errores in Libris Eccleſiæ noſtræ Symbolicis. Quod ſi concedatur, perire putat Autor illorum autoritatem, quam hactenus apud noſtrates obtinuerunt, novaturientibus licentiam dari, erroneas in rebus fidei diſſeminandi opiniones, adverſarios anſam ſacra noſtra calumniandi optatam adipiſci, lupisque ovina indutis pelle januam & portam ad ingreſſum in ovile Domini aperiri. Iisdem rationibus adducti, quidam ex noſtratibus Theologis, nullam prætermiſere occaſionem, impugnantibus Symbola religionis noſtræ pro virili parte reſpondendi, idque tum publicis literarum monumentis, uti *Lud. Hanneckenius*, *Declaratione Theologica de vera Auguſtanæ Confeſſionis æſtimatione, ejusque charactere ſymbolari*, aliique, tum privata Theologiæ ſtudioſorum inſtitutione, uti *Jo. Fechtius*, *Scholis in Libros Symbolicos*, inter manuſcripta ejus adhuc latentibus. Horum veſtigiis inſiſtens S. Rev. Autor, Libros Eccleſiæ noſtræ Symbolicos ab erroribus aliquot, illis imputatis, ex inſtituto vindicare laboravit. Initium fecit a Symbolo *Athanaſiano*, quod *Athanaſio* a Confeſſoribus noſtris recte adſcribi probat, tum ex Canone Synodi Auguſtodunenſis, tum, judice *Calovio*, ex convenientia hujus Symboli cum aliis *Athanaſii* ſcriptis, tum ex teſtimonio *Auguſtini*, & aliorum Scriptorum antiquorum, nec non conſenſu Megalandri *Lutheri*. Ad inſtantias adverſæ partis regeritur: de omnibus probatæ fidei Codicibus haud poſſe dici, quod Symbolum hoc in iis deſideretur; varias Symboli lectiones haudquaquam eſſe indicium infallibile, non eſſe hoc *Athanaſii*: idem enim ſanctis Novi Teſtamenti ſcriptis objici poſſe; *Nazianzeni* verba: *Unam trium perſonarum divinitatem & eſſentiam ſcripto confeſſus eſt Athanaſius*, rectius ad Symbolum ejus, quam ad aliam Epiſtolam, applicari, quod *Cyrillus Alexandrinus*, Epheſina Synodus, *Leo M.* & Patres Concilii Chalcedonenſis, non laudent §. 1 ſeq.

dent hoc Symbolum, id ſufficientibus carere argumentis, cum noſtri temporis Græci Symbolum hoc *Athanaſio* haudquaquam abjudicent; Epiſtolam *Athanaſii* ad Antiochenſes aliter exponi, ac Autor intenderit; ex eo, quod de tempore & occaſione hujus confeſſionis Scriptores inter ſe diſſentiant, haud poſſe colligi, quod plane non ſit *Athanaſii*; neque tandem inde id patere, quod vocula *conſubſtantialis* in Symbolo hocce non occurrat. Sic & reliquis, quæ ab autoritate *Hottingeri*, qui *Heideggerus* fuit, & *Kingii* petita ſunt, argumentis pari ratione
§. 14 ſeq. occurritur. Objicitur porro Libris noſtris Symbolicis, quod *Ambroſio* Confeſſores tribuerint Commentarium in *Epiſt. 1 ad Corinthios*, cum ab eo non profectus ſit. Quod cum probetur cum autoritate Benedictinorum, tum ſtyli a ceteris ejus ſcriptis diſcrepantia; reſpondetur, illis non immerito opponi *Martinum Chemnitium*, Virum in hoc ſtudiorum genere verſatiſſimum, hanc autem non eſſe tantam & tanti momenti, ut propterea *Ambroſio* dematur fœtus, qui tam diu ejus eſſe cre-
20. ditus eſt. Sequitur novum ἔγκλημα, erraſſe nempe Confeſſores, quod *Zach. I, 12*, de Angelo creato intellexerint. Ad quod regeritur, meliorem loci hujus contemplationem ſatis ſuperque nos docere, ibi probe diſtingui *virum inter myrtos ſtan-*
21. *tem, & Angelum Domini loquentem Zachariæ, v. 10, 13.* Sic vitio vertitur Confeſſoribus, quod *Ambroſii* libros de Sacramentis pro genuinis habuerint. Sed liberantur hac culpa, quando oſtenditur, in Auguſtana Confeſſione non legi, libros de Sacramentis totos *Ambroſii* eſſe; nec ex eo, quod interpolati ſint, non ſequi, teſtimonium, a Confeſſoribus allegatum, non eſſe
23. ab *Ambroſio* profectum. Progredientes ad reliqua, notamus, S. Rev. Autorem negare, *Art. XVII Aug. Conf.* tantum Anabaptiſtas damnari, uti adverſa pars ſibi perſuadet; cum ibidem addatur clariſſimis verbis: *damnant & alios.* Bonis operibus neceſſitatem præſentiæ a Confeſſoribus tribui, uti ab adverſa parte iis imputatur, id ex Formula Concor-
24. diæ refellitur. Argumentum, quod noſtrates adhibuerunt, contra præpoſterum linguæ Latinæ uſum in celebra-

tione

Digitized by Google

tione Miſſarum Pontificiarum, ex *1 Cor. XIV* depromtum, ſta-
re firmo talo probatur ex *συναφεία* totius ſermonis, quæ do-
ceat, *Paulo* ſermonem eſſe, non de Syro-Chaldaica lingua ſo-
lum, ſed & de aliis, quas vulgus non intelligebat. Porro, perpe- §. 25.
ram impugnari *poteſtatem jurisdictionis*, probatur ex data
ab ipſis Confeſſoribus deſcriptione poteſtatis hujus, quod ipſis
non ſit ſermo de *poteſtate Tyrannica, nec Regia, ſed Eccleſia-
ſtica.* Quæ in Apologia obſcurius dicta videntur, quod *fides* 27.
recte ſit juſtitia &c. illuſtrantur ex immediate ſequentibus,
unde pateat, *Philippum* ita locutum eſſe propter moroſos, &
adverſarios confutaſſe ex ipſorum hypotheſibus, fidei autem
ſoli juſtificationem noſtram ſatis ibidem aſſeruiſſe. Quod *Lu-* 28.
therus in Articulis Smalcaldicis *Apoc. X, 1,* de Pontifice Romano
interpretatus ſit, ex ejus Præfatione in Apocalypſin demon-
ſtratur, etiamſi ab Adverſario id negetur. Quæ in Catechiſmo 29.
Lutheri carpuntur, ac ſi per Decalogum Spiritum Sanctum da-
ri ſtatuiſſet, contra *Gal. III, 2,* redarguuntur ex ipſis ejus verbis;
eum quidem dicere, *non ſine Decalogo, non autem per Deca-
logum, accipi Spiritum Sanctum.* Ita etiam *Megalandri* hu- 30.
jus de excommunicatione ſententia declaratur, quod clare ſatis
teſtatus ſit, *non debere miniſtros confundere hanc Eccleſia-
ſticam pœnam cum civili.* Fabula, de qua *Hoſpinianus* glo- 34.
riatur, ac ſi Formula Concordiæ in Dania combuſta ſit, ex
probationis defectu, & *Hutteri, Brochmandi, Olearii*que, argu-
mentis & teſtimoniis ei contrariis, fideque dignis, exploditur. 36.
Controverſia, an bona opera neceſſaria ſint ad ſalutem, *ἀκριβῶς*
deciditur; nempe non phraſes, ſed ipſam doctrinam, in For-
mula Concordiæ damnari, idque ex mente *Pauli*, qui, ſolam fi-
dem abſque operibus ſalvare, doceat. Similiter reliqua Adver-
ſariorum argumenta, quibus utuntur illi ad demonſtrandos Li-
brorum Symbolicorum errores, infringere ac penitus evertere la-
borat Pl. Rev. Editor. Miſſo jam Præfamine, addamus unum alte-
rumque controverſiarum recentiorum ſpecimen, ex quo eluceat,
qua diligentia & ſoliditate reliquæ ſint ventilatæ. Nos inter & Re-
formatos, præcipue eos, qui Syncretiſmum amant, de diſſenſu
religionum utriusque partis fundamentali potiſſimum quæſtio

 inſti-

Digitized by Google

Pag. 22. inſtituitur. Negat id *Strimeſius*, & quidem in doctrina de Baptiſmo. Sed contra ſatis aſſeritur, fucum vendi, dum dicitur: *Baptiſmum eſſe exhibitivum ſanguinis Chriſti*, quamdiu natu-
213. ræ Chriſti humanæ adjudicetur omnipræſentia. *Werenfelſio* exprobratur, quod tam invite agat de gratia Dei univerſali, tanquam doctrina, quæ nullius ſit momenti; cum in ea cardo ſalutis noſtræ vertatur, & culpa, quod homo pereat, penes ipſum ſit, dum reſiſtit Patri, quando illum trahit, ut ad Filium ſuum Jeſum Chriſtum veniat; ſecus ac verba, *Jo. VI*, 44, coll. cum *Cant. I*, 4, præter Scriptorum ſacrorum mentem, ab Ad-
372. verſariis exponuntur. Huc pertinet quæſtio, *an labores Henotici Calvinianorum pertineant ad ἐνδύματα προβάτων*, quæ contra *Jablonskium* ita ventilatur, ut origo ſtudii hujus Henotici, & fundamentum, & finis, cuivis ante oculos ponatur, quo
720. ſibi caveat. Porro, diſſenſum in Articulo de perſona Chriſti fundamentalem eſſe, contra *Strimeſium* defenditur ex *Jo. III*, 33-36, ubi clare dicatur, eum non obſignare, quod Deus verax ſit, neque in Filium Dei credere, qui neget, patrem ei omnia in manum dediſſe; adeoque illum non viſurum eſſe vitam æternam, ſed iram Dei ſuper eum manſuram. Adduntur teſtimonia ex Sacris Literis clariſſima, quæ ſatis evincunt, Patrem Filio ſuo incarnato axiomata divina dediſſe omnia, idque ſecundum humanam ejus naturam, cum divina illis non indiguerit, *Pſalm. II*, 8, *XXI*, 2, *XXII*, 17, 21; *CX*, 1, *Dan. VII*, 17,
862. *Apoc. I*, 13, 17 *ſeq.* In Articulo de Sacra Cœna accuſat nos *Werenfelſius* infirmæ fidei, quod exiſtimemus, non poſſe nos veram corporis Chriſti communionem adipiſci, niſi in pane Sacræ Cœnæ præſens, ac eo ipſo adhuc hodie hic in terra ſit, cum Scriptura id nunquam doceat. Qua culpa ut liberemur, probatur hic, nos cum Regio *Jo. II*, 50, a quo Adverſarius anſam criminandi ſumſerat, melius credere verbo, quod Chriſtus dixit in Sacræ Cœnæ inſtitutione, quam *Calviniani* faciunt. Credimus Domino noſtro, nos cum pane accipere ejus corpus, quia juſſit, non tantummodo manducari corpus, ſed juſſit illud manducari porrigens panem. Credimus verbo Domini, quod perſpicue ſatis docet, Chriſtum adſcendiſſe ſupra omnes cœlos,

Digitized by Google

ut omnia impleret, *Eph. IV, 10*, in corpore autem adſcendiſſe. Quod *Werenfelſius* nihilominus glorietur, Reformatos ex fundo cordium credere, ſe veri eſſentialis corporis Chriſti in mortem traditi participes fieri, id non poſſe conciliari cum confeſſione ipſius antea exhibita, Chriſti corpus neque in pane Sacræ Cœnæ, neque alibi in terra, præſens eſſe. Vanam itaque hanc eſſe gloriam, æque ac epiphonema *Werenfelſii: alſo* &c. cum nulla illis alia ſit cauſa negandi, corpus Chriſti ubivis eſſe, quam quia id cum ſana ratione pugnet. Sufficere modo dicta arbitramur ad ſignificandam Lectori rationem, qua novæ *Calvini* aſſeclarum inſtantiæ, quarum plures *pag. 968, 970, 978, 982*, occurrunt, ſint ſolutæ & profligatæ. Cum Pontificiis autem hic potiſſimum diſputatur κατ' ἄνθρωπον, ſiquidem recentiores nihil novi & ſolidi proferant, quod non a *B. Chemnitio*, & aliis Scriptoribus Anti-Pontificiis, erudite & firmiter ſatis ſit confutatum. Diligentia ſane omni laude noſtra ſuperior eſt, quam adhibitam hic videmus in recenſendis tam multis & rarioribus ſcriptis, ab Adverſariis contra nos promulgatis: eam lubentes adhibuerunt S. Rev. Autores, ut eo dexterius novas objectiones autoritate doctorum non exigui nominis, qui ipſorum ſacris addicti fuerunt, diſcuterent. Teſtimonio ſint, quæ de limbo puerorum *pag. 9*, de non concedenda Laicis Scripturæ lectione *pag. 53*, de quæſtione, num quis ab omnibus peccatis alienus vitam hanc tranſigere poſſit, *pag. 97*, de reliquiis *Joannis*, Baptiſtæ, *pag. 139*, & *Mariæ pag. 253*, de piſcibus, qui *Antonium a Padua* concionantem magna cum attentione audiverint, *pag. 288*, de *Luthero*, num peccare nos juſſerit, *pag. 442*, de jejuniis Pontificiis *pag. 503*, de tactu aurium & narium ſaliva, an recte inter ritus baptiſmales referatur, *pag. 530*, de cultu imaginum & ſic dicti venerabilis *pag. 613*, de pedibus Romani Pontificis deoſculandis *pag. 618*, de ſanctis Medicis *pag. 809*, de ſanctis Podagricis *pag. 811*, de Confeſſione auriculari *pag. 838*, & de *Luthero*, num omnem magiſtratum abrogatum voluerit, *pag. 952*. Progredi liceat ad controverſias cum Socinianis. Cum *Dippelius* omnem moverit lapidem, ut innovaret & propagaret impietatem hujus Sectæ, hæc autem, præ ceteris **Pag. 903. 916.**

Digitized by Google

Scripturæ dictis, peſſime utatur parabola de Rege, qui rationes cum ſervis ſuis conferebat, *Matth. XVIII, 23 ſeq.* etiam hanc adverſus tam callidos veritatis hoſtes explicatam, & a perverſo ejus uſu hic liberatam, videmus. Urgetur potiſſimum finis parabolæ, qui eſt, uti ex *Wolzogenio*, Socinianiſmi alias propugnatore ſtrenuo, oſtenditur, *nos ſi fratribus noſtris illorum lapſus non remittamus, nobis quoque Deum lapſus noſtros non eſſe remiſſurum*; ut Chriſtus ipſe *v. 35* hunc ſcopum indicet. Inculcatur nobis præterea ſatis tritum illud, nullam ſimilitudinem ultra tertium comparationis eſſe extendendam. Chriſtum nequaquam id intendiſſe: *Sicuti Rex hic ex mera clementia ſervo ſuo remiſit tam grande debitum absque omni ſatisfactione, ita & Deum generi humano absque ſatisfactione Filii ſui peccata remittere, niſi velit ab hoc Rege gratia & lenitate ſuperari.* Ex aliis ſacrarum Pandectarum teſtimoniis, nempe *Rom. III, 23, V, 9, 10, VI, 10, VIII, 32, 2 Cor. V, 15, 21,* liquere, hoc fieri, ſalva Dei juſtitia, haud potuiſſe. Quin imo etiam in foro humano probe diſtingui inter debita pecuniaria, quale ſervi nequam fuerit, & criminalia, qualia ſunt noſtra, quæ in Regem Regum parentes protoplaſti & nos ipſi commiſimus. Quod *Arminianos* attinet, potiſſimum hic agitur adverſus *Clericum*, quippe qui præclara Veteris Teſtamenti vaticinia de Chriſto vel obſcuriora reddit, vel in plane alium, quam habent, ſenſum detorquet. Cujusmodi ſunt *Job. XXXV, 10, 2 Sam. VII, 12 ſeq. 1 Paral. XVII, 11 ſeq. Jer. XXIII, 5, 6, XXXIII, 15 ſeq. Pſalm. VIII, 9, Devt. XVIII, 15, Pſalm. II, 7, LXXXIX, 27 ſeq. CX, Prov. XXX, 4,* ut reliqua prætereamus. Confutantur autem novæ iſtæ oraculorum Veteris Teſtamenti interpretationes tum ex nativa linguæ Hebrææ indole, tum ex data nobis a ſanctis Novi Teſtamenti Scriptoribus illorum expoſitione. Brevitatis ſtudio vel unicum afferamus exemplum. Opinatur *Clericus*, *2 Sam. VII* intelligi *Salomonem*. Sed monſtratur nobis, id nequaquam conſentire cum *v. 12*, & verbis hiſce: *Cum exacti erunt dies tui, & cubabis cum patribus tuis, excitabo poſt te ſemen tuum. Salomonem* autem jam natum fuiſſe vivo *Davide*, & ab eo Regem conſti-

tutum.

tutum. Cum autem Adverſarius inſtet, vocem בהעותו *cum perverſe egerit* hic *Davidis* filius, *v. 14*, aliud poſtulare, id enim nequaquam dici poſſe de Chriſto ſanctiſſimo; ſolvitur hoc dubium ex 2 *Cor. V, 21, eum, qui non noverat peccatum, Deus pro nobis peccatum fecit*: additurque epexegeſis, Servatorem noſtrum ſe ipſum feciſſe peccatum, hoc eſt, peccatum noſtrum ſibi imputaſſe: cum conjugatio *Hiphil* apud Hebræos pro *Hithpael* interdum uſurpetur, quod ulterius probatur. Eodem modo *Copernicanam* hypotheſin de ſolis quiete & terræ motu, a *Clerico* pro virili propugnatam, hic debellatam atque deſtructam cernimus. Dicta Sacrarum Literarum, quæ huc faciunt, omnia ex ipſis fontibus, & ſermonis nexu, locique circumſtantiis, exponuntur, atque fundamenti loco ponuntur; ad objectiones novas, tum ex Mathematicorum aliorum præſtantiſſimorum principiis, tum ex immota verbi divini veritate, reſpondetur ita, ut nullus dubio cuidam relinquatur locus. Controverſiæ de *Pictiſmo* motæ modeſte atque absque omni bili, exquiſitis etiam rationibus, examinantur & deciduntur. Præ ceteris legi merentur quæſtiones iſtæ: num fores gratiæ cuivis peccatori pateant, quamdiu vivit; an fidei juſtificanti, vel in actu, vel in ſtatu juſtificationis, præſentia ſint bona opera, vel etiam virtus & inclinatio bona opera faciendi; an Evangelium poſtulet bonorum operum neceſſitatem; quid de revocatione *Adami Berndii* exiſtimandum; an homo totaliter induratus amplius converti nequeat. Et, ut pateat, qua dexteritate nodi ſoluti ſint, paucis enarrare liceat, quid reſponſum ſit ad quæſtionem, an crebra pœnitentia relapſorum locum habeat, &, ſi vera ſit, ſemper remiſſionem peccatorum apud Deum conſequatur? Aſſeritur hoc primum clariſſimis Scripturæ dictis, *Luc. XVII, 3, 4, Hebr. III, 15, Ezech. XXXIII, 11, Eſ. LXV, 2, Neh. IX, 16 ſeq.* addito ſemper probationis nervo ac fundamento. Sic ex *Luc. XVII* tale formatur argumentum: *Quodſi nos ſumus mali, ſemper, quotidie, aſſidue, aſſiduiſſime, offenſeri offenſas condonare jubemur: quanto magis Deus, qui dives eſt miſericordia, peccata remittet ſerio pœnitenti, quotiescunque remiſſionem quærit!*

[Margin: Pag. 1002. (beside "batur. Eodem modo…"); 223. (beside "duntur. Præ ceteris…"); 314. (beside "res gratiæ…"); 573. (beside "ciendi; an Evangelium…"); 958. (beside "an homo totaliter…"); 924. (beside "quid reſponſum…")]

 Dein-

Deinde ad objectiones ex *Job. XXXIII, 28 ſeq.* & ex *Hebr. VI, 4, 5, 6,* formatas, aliasque, affertur, quod dubium ſatis tollit; inprimis, qui torquentur, exemplo peccatorum in Spiritum Sanctum ſic confirmantur: *Impœnitentiam continuam, dum Filium Dei crucifigunt, & oſtentui habent, uſque ad vitæ finem, unicam eſſe interitus & damnationis cauſam.* Tandem ex *Cypriano* egregium ſuppeditatur teſtimonium, quo doctrina noſtra vera communitur. Plura excerpere ex Libro, qui haud difficulter obtineri poteſt, ſuperſedemus: cetera Lector cognoſcit ex iis, quæ de *Parte I* harum *Eclogarum* diximus hujus *Supplementorum Tomi Sect. VII pag. 314 ſeq.*

LA GENESE EN LATIN ET FRANÇOIS, &c.

h. e.

GENESIS IN LATINUM AC GALLICUM ſermonem tranſlata, cum explicatione ſenſus literalis & ſpiritualis, depromta ex Sacra Scriptura & traditione.

Pariſiis, ſumtibus Petri Caroli Emery, filii, 1732, 12 maj. Alph. 1 pl. 10.

Autor conſilium cepit illuſtrandi literas diviniores ſuccincte & plane, tum ut ruditati legentium conſulat, tum ut animos ad veram transferat emendationem ac pietatem. Quem in finem circa primordia ſingulorum librorum ſummam & autorem enarrabit: complexum orationis primitivæ dabit Gallice & Latine ex Vulgata, notato, ſi quod exſtiterit, diſcrimine textus Hebraici in margine: Capiti cuilibet præmittet ſummam & ſenſus literalis, & accommodationis myſticæ: dividet Caput unumquodque in ſuas partes: partes ab uno inciſo ad alterum exponet conciſe & perſpicue: ob oculos ubique ponet fidem Eccleſiæ ſuæ, ibique receptam fidei analogiam: delectum omnibus concedet in rebus, haud plane a Deo revelatis. Hæc declarantur in Præfatione generali. Specialis ad *Geneſin* reſpicit, quam ſpeciminis loco jam Autor cum orbe

be

Digitized by Google

be erudito communicavit. In ea ſtatuit, translationem *Geneſeos*, qualis eſt in Vulgata, ex fonte Hebraico fuiſſe factam, reviſam poſtea a *S. Hieronymo.* Antequam præfari deſinit, ſocios ſibi eſſe ad laborem hunc profligandum monet, eosque rectioris conſilii, quod a Lectore expetit, capaces. Gratulamur Societati inſtitutum tam ſalubre, & nonnulla, loco ſpeciminis, ex præſenti Opere decerpimus, prænotantes, Chronologiam *Uſſerianam* hic fuiſſe adoptatam. Creationem reſpiciunt Socii, Pag. 2.
inſtar typi Synagogæ, quæ, ad ordinem ſuum adſtricta, habuit cœlum ſuum & terram, porro inſtar imaginis Eccleſiæ formatæ, ac tandem formandæ, *2 Petr. III, 12,* & *Apoc. XXI, 1, 2,* inprimis in unoquoque ad Chriſtum convertendo. Ad *Elohim bara* affertur Judæorum illa expoſitio, qua pluralem pro ſingulari poſitum volunt ad excellentiam loquentis ſignificandam, & hæc approbatur, quod miramur. Fundamentum Judaicæ iſti expoſitioni ſubeſt nullum, præterquam quod doctrinam de Trinitate ſic evertere Judæi ſtudent. Addunt Autores: *Fortaſſis nomen plurale & verbum ſingulare indicat tres perſonas in una eſſentia divina.* Porro per רוח אלהים deſignari putant aerem a Deo motum, vel vehementem ventum, per quem Spiritus Sanctus præſentiam ſuam oſtenderit. *Eliſa Gen. IX, 4,* habetur pro patre eorum, qui campos Elyſios in Inſulis fortunatis habitarint, vel *Elidem* in Peloponneſo. In Sodomitis per ſenſum myſticum, ducunt, ſeſe inveniſſe Judæos rebelles. *Joſephus* comparatur cum Chriſto, nec non *Iſaacus*, aliique. Qui flores ex Patribus collectos amant, & accommodationibus myſticis ſtudent, invenient hic omnino occaſionem proluendi labra, ſitimque reſtinguendi. Mallemus tamen, ſi quid nobis optare licet, haud negligi doctrinas proxime ex contextu fluentes, præcipue quæ per concluſiones logicas inde deduci poſſunt, & ad Articulos fidei roborandos, vel pietatem corroborandam, faciunt. Methodus hæc poriſmatica eſt longe utiliſſima. Cum quoque inter ſimilitudinem & ſenſum myſticum grande ſit diſcrimen; operæ pretium eſſet, ut quis de ſenſu myſtico ea traderet criteria, quæ ad convictionem ſufficerent. Neſcimus præterea, an Exegetæ gradus œconomiæ ante & poſt Chriſtum obviæ ſemper debite diſcernant.

Marginal page references: 4. 5. 7. 164. 289.

EXPO-

Digitized by Google

EXPOSITION DE LA DOCTRINE ORTHODOXE ſur le Myſtere de la Trinité, &c.

h. e.

EXPOSITIO DOCTRINÆ ORTHODOXÆ de Myſterio Trinitatis: una cum brevi Examine novi Syſtematis Cl. MATII.

Amſtelodami, apud Petr. Humbert, 1734, 8.
Plag. 12.

Duplicis hodie generis in lucem emittuntur libri. Sunt, qui hac erudita, qua vivimus, ætate digni, ſunt vero etiam, qui eadem indigni, jure meritoque judicantur. Ex illis, quorum Seculum noſtrum haud pudere debet, unus eſt præſens Libellus, mole quidem exiguus, at rerum pondere, & ratiocinandi acumine, dives. In præmiſſa Præfatiuncula Autor, quisquis ille ſit, eruditus, Cl. *Matium*, cujus novum de Sancta Trinitate Syſtema ſub examen revocaturus eſt, meritiſſimis ornat laudibus, eidemque declarat, ſe compoſita mente ad hanc cauſam cognoſcendam acceſſiſſe. Rem ipſam aggreſſus, de neceſſario rationis ac fidei in Myſteriis concentu generatim nonnihil præfatur, atque oſtendit, duplici hoc propoſitum ratione nos poſſe conſequi. Una eſt, ſi in Myſteriis poſſibilitatem atque exiſtentiam ſic planam faciamus, nihil ut repugnans atque abſurdum in iis ineſſe declaremus, modum vero poſſibilitatis, ipſamque eſſentiam, haud ſumamus explorandam: altera, ſi modum etiam & eſſentiam arcanarum, quæ Myſteria dicuntur, doctrinarum ſimul ſciſcitemur. Atque hanc ſecundam viam iniit Cl. *Matius* in Libro, *la Doctrine de la Trinité éclaircie* inſcripto; quandoquidem hoc inſtitutum ſuum ipſo hoc Voluminis indice nuntiavit. Perſuadet ſibi, hunc unum rationis cum fide omni ex parte conciliandæ reliquum eſſe modum. Autor itaque noſter hoc ſibi datum credidit, ut, quibusnam fundamentis hoc ſuperſtructum ſit ædificium, paulo curatius examinet. Ad duo igitur momenta ejus omnis redit conatus.

Primo

Digitized by Google

Primo quidem loco explanat orthodoxum de Sancta Trinitate dogma, & diſſipat objectiones Cl. *Matii*, quas eo excogitavit conſilio, ut novi exædificandi Syſtematis ſatis graves habere rationes videretur. Deinde novum hoc Syſtema per ſe ipſum contemplatur, & difficultates, quibus, circumſeptum eſt id, explicat. Utrique negotio *octo* deſtinata ſunt *Capita*.

Cap. I generalia ponit principia, &, veritates non omni ex parte claras ac evidentes fide noſtra ſacroſancta dignas eſſe, oſtendit. Credimus veritates facti quotidie. Ita & credere fas eſt miracula, Deo inſpirante, narrata. Veritates autem dogmaticæ, non plene evidentes, præcipuæ illæ ſunt res, quæ ad fidem pertinent. Natura plurima continet obſcura: multa quotidie credimus, non quoniam vidimus, ſed quoniam audivimus. Admittimus verba eorum, qui nobis in aliqua diſciplina doctiores ſunt, propterea quod nos tanto, quanto hi, non valemus acumine. Itaque Cl. *Matius Lib. cit. Tom. III pag. 146* in errore verſatus eſt, dum credere & comprehendere perinde putat eſſe. Credimus myſteria, ob nexum, qui eis cum aliis cognitis veritatibus intercedit, & quia teſtis & autor eorum nobis haud obſcurus eſt, licet modum ac rationem eorum, per captus noſtri imbecillitatem, haud plene comprehendamus. Obſcuritas objecti non diminuit evidentiam teſtimonii, nec noſtram tollit obligationem e medio, propoſitionem aliquam nobis quidem haud evidentem, at claris tamen verbis in divinis literis expreſſam, credendi. *Cap. II* hæc principia ad Myſterium Sanctæ Trinitatis accommodantur. Tum vero fides Orthodoxorum de hoc Myſterio exponitur. Scriptura confirmat manifeſte unitatem Dei, quam & ratio docet. Addit vero illa hoc etiam clare ſatis evidenterque: *tres hi, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, inter ſe diſtincti, ſunt Deus.* Senſus hujus propoſitionis, *ſunt in divinitate tres diſtinctiones*, ſeu *Perſonalitates*, cuivis patet: modus vero, quo diſtinctiones reales comparatæ ſint, omnem intellectus humani ſuperat virtutem. Syſtema ***Matianum*** non eſt ab orthodoxo, ſi rem ipſam putes, ſejunctum. Nihil, præter naturam diſtinctionis, quæ divinas inter Perſonas obtinet, iſtud eſt, quo *Matius* a

 rece-

Digitized by Google

recepta diſſidet doctrina. Exiſtimat enim, diſtinctionem *ſubſtantiæ a ſubſtantia* hic valere. *Cap. III* examinat argumentum, quod ex uſu loquendi duxit *Matius*. Vult ergo, Scripturam per Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum, tria deſignare entia aut ſubſtantias diſtinctas. At vero differt utique eorundem etiam notio terminorum, qui certas exprimunt qualitates, prout aut in Deum, aut in res conveniunt creatas. Sic ideæ unitatis & diſtinctionis, nec non modi & ſubſtantiæ, ſecundum ſimplicem ſuam ac genericam rationem, ſemper manent eædem, ſive de rebus creatis, ſive de rerum parente & conditore, adhibeantur. Verum rationem ſpecificam natura ſubjecti, quocum copulantur, variam eſſe jubet. Sic inter divinas Perſonas, perinde ut inter humanas, vera & realis eſt diſtinctio, identitati oppoſita: tria adſunt ſubjecta diſtincta, relationes, attributa, & operationes differentes. Idcirco vero hæc diſtinctio non eſt præciſe talis, qualis inter *Petrum*, *Jacobum*, & *Paulum*, datur. Hæc quidem eſt ſpecies alicujus diſtinctionis, quam haud capimus, & quæ ejusmodi eſſe debet, ut ne multiplicentur ſubſtantiæ. Viri divinitus eruditi, ad communem captum ſeſe accommodaturi, de diſtinctis tribus in Deo Perſonis non potuerunt aliter, atque fecerunt, loqui. Nec locutio, Perſona divina, ſic eſt periculi plena, ut a ſanctiori Theologia proſcribenda videatur. Scriptura etenim tribus illis, qui Deum conſtituunt unum, ea tribuit, quæ ex ordinario loquendi more tribuere perſonis ſolemus omnes. Hæc unica dicendi ratio eſt compendium omnium, quas de Deo Trinuno ſacræ prædicant literæ, notionum. Videtur nobis, quorum eſt, hoc ipſum recenſere Opuſculum, haud ab re, obſervare, & in divinis tabulis obviam, & antiquæ civitatis ſacræ autoritate corroboratam, ὑποςάσεως eſſe dictionem, quam Latini per perſonæ convertunt nomen. Evolv. *Hebr. I, 3.* Atque hanc in ſententiam vetus Eccleſia Judaica, qua puriorum erat partium, jam locuta eſt: namque R: *Bechai* tres in Deo commemorat הויות, hoc eſt, ὑπάρξεις, ὑποςάσεις, ſive *perſonas*, *Comment. in Leg. fol. 173 col. 3.* Eodem quoque ſenſu vocabulum πρόσωπον accipitur *Matth. XVIII, 10*, *2 Cor. IV, 6*, *coll. 2 Cor. I, 11*; ſicut & idem

idem R. *Becbai* tres in divina eſſentia פנים, *Lib. cit. fol. 174 col. 2*, annotavit. His iisdem vocibus priſcos civitatis Chriſtianæ Antiſtites, tum ante, tum poſt Concilium Nicænum, uſos, præterit neminem. Notionem vero ſanam & veram Patres Concilii Conſtantinopolitani I, quod fuit œcumenicum II, nec non Concilii Chalcedonenſis Patres, magis reddiderunt, quam antehac erat, fixam ac certam, omni e medio ſublata ambiguitate. *Cap. IV* differentiam explanat eſſentialem, quæ inter fidem Orthodoxorum ac Sabellianorum intercedit. Illi divinas inter Perſonas diſtinctionem agnoſcunt realem *a parte rei:* hi vero non niſi imaginarium aliquod *a parte mentis* admittunt diſcrimen. Dum *Cap. V* ideam voci, Perſonæ divinæ, adhærentem exponit, eadem illa, quam locutio modi divini declarat, eſſe dicitur: ſumto quidem termino, modus, in ſenſu generali & abſtracto, ad id omne, quod ſubſtantia haud eſt, deſignandum. Autor hoc ſibi flagitat dari, ſi res philoſophica ſit ratione eloquenda, non eſſe aliam Sacræ Scripturæ, & eorum, qui ſanorum præſcriptionem verborum ſequuntur, ſententiam. Pondera nobiscum, quemadmodum id, quod ponit, communiat. Si tres perſonæ, ait, divinæ non ſunt tres ſubſtantiæ, ſunt omnino tres modi; modus enim & ſubſtantia exhauriunt ideam entis; ſub hac univerſali idea non ſunt niſi hæc duo genera, quæ ſunt contradictorie oppoſita, nec aliud admittunt medium. Omne, quod eſt, aut ſeparatim exſiſtit, aut in ſubjecto aliquo, & qui negat, rem aliquam eſſe ſubſtantiam, is hoc ipſo eam affirmat eſſe modum. Ita rationes ſubduxit Scriptor eruditus, Cl. *Matii* Adverſarius. Monet inſuper, omnem finitatem, quæ in creatis modis ipſa natura inſit, a Deo removendam eſſe. Fatemur rios quidem & præ nobis ferimus, rem ipſam hunc in modum declarari poſſe, ut nimirum divinæ Perſonæ nihil ſint aliud, quam *unius ejusdemque numero eſſentiæ ac ſubſtantiæ* τρόποι ὑπάρξεως, *rationes,* ſeu *modi ſubſiſtendi non communicabiles.* Hoc addimus unum, Theologos, qui in verborum uſu non minus, quam in rerum explicatione, cauti eſſe cupiunt, iſtud nondum vocabulum in ſuam adſciviſſe civitatem. Neque nos abnuimus, in hac inprimis arcana doctrina verbis exprimenda ſingularem adhibendam

Digitized by Google

curam, ne quando divinas Perſonas in meros *cogitandi modos* commutando, in Sabellianiſmum, cum *Jo. Clerico*, & ceteris, ut vocantur, Modaliſtis, incidamus incauti. In *Cap. VI* novum Syſtema *Matianum* ex *Lib. cit. Tom. III pag. 6, 7*, recitatur, cujus in eo vertitur cardo. Placet Cl. *Matio*, Patrem eſſe puriſſimam Divinitatem; & Filium absque Spiritum Sanctum duas alias eſſe Perſonas, in quarum utraque binæ ſint naturæ: una divina, quæ in qualibet trium Perſonarum ſit eadem, & cujus hæ reſpectu unus ſint & idem Deus, eandem divinam habens eſſentiam, unicam quidem non ſpecie ſolum, ſed numero: altera natura finita & dependens, quæ cum illa divina natura eodem ſit unita modo, quo, ſecundum Orthodoxorum doctrinam, Jeſus Chriſtus & Homo & Deus ſit. Atque in hoc putat Syſtemate ſe fundamentum inveniſſe unitatis ac diſtinctionis, æqualitatis pariter & inæqualitatis ac ſubordinationis, divinis in Perſonis obviæ. Scriptor eruditus, qui ſe oppoſuit *Matio*, in *Cap. VII & VIII* hoc novum antiquat funditusque evertit Syſtema. Cujus objectiones, cum accurate cogitateque meditatæ ſint, plenius communicaremus, niſi noſtrum eſſet, brevitati ſtudere, ac ſalivam tantum curioſo movere Lectori.

ATOMISMUS AB INIUSTIS PERIPAteticorum cenſuris & impoſturis vindicatus; cum Appendice, veram gratiæ cœleſtis concordiam cum libertate creata ex limpidiſſimis Pnevmatologiæ modernæ principiis erutam proponente.

Sine impreſſionis loco, 1733, 8.
Alph. 1 pl. 8½.

Autor Opuſculi latere, quam inclareſcere, maluit. Quantum ex Præmonito ad Lectorem conſtat, ex numero Pontificiorum exiſtit ille, qui Scholaſticum jugum excutere ſuſtinuit, idemque ut alii quoque faciant, acriter ac promte ſuaſit. Interpretamur eum conatum tanquam ſaluti generis huma-

humani profuturum. In terris Noricis vivit, primusque perhibetur eſſe, qui in partibus Boicis tutamen Atomiſmi aperte in ſeſe ſuſcepit, cum præcipuis fidei, quam vocant Catholicam, myſteriis compoſuit, arctiſſimam ejus cum rebus Theologicis confœderationem patefecit, atque contra frequentes Peripateticorum inſultus fortiſſime protexit. Peripatetici ac Philoſophiæ Scholaſticæ cuſtodes, pro ſua, qua in ſcholis Pontificiorum pollent, autoritate, impediunt eclecticorum operum approbationem, licentiam, & impreſſionem. Editor ſummopere indoluit, ſtudioſam juventutem in Catholicorum, ſic vulgo appellatorum, Academiis aridarum quæſtionum glandibus, formalitatum quisquiliis, & abſtractionum fœno ac ſtramine, ſaginari, contemto pane triticeo, quem adeo illi liberaliter frangant Eclectici. Cauſam obtinet pudor ſedentium ad pulpita, qui aut a junioribus diſcere, aut ab aſſuetis recedere nolunt præpoſtere. Additur votum, ut moderatores Rerumpublicarum Peripatiſmum, ingeniorum peſtem, e finibus ſuis eliminent: religioſos a cathedris removeant, ni veritatis ductum malint repudiare: Sectas *Thomiſtarum*, *Scotiſtarum*, ac *Maoniſtarum*, radicitus aboleant, & ingenuam ſentiendi ac eclecticam philoſophandi libertatem cathedris reſtituant, exemplo Gallorum: imo tetricas Hiſpanorum ſpeculationes in Africam, unde per Arabes primo in Europam irrepſerint, ad Orani foſſas relegent: Theologiam ab aſſutis Scholaſticorum pannis vindicent. Memoratur & reprehenditur moleſtia ſcribendi in lectionibus publicis. Opus ipſum abit in *tres Partes*. *Prima* repræſentat Atomiſmum in compendio: *ſecunda* objectas diſſipat Peripateticorum nebulas: *tertia* exhibet Appendicem, quæ exponit veram gratiæ cum libertate concordiam. Atomiſmum in Norico oppugnarunt diverſi. Friſingæ A. 1721 excudi cœptum eſt Opuſculum, cui Autor immortuus, colophonem haud addidit. Ettalæ in Bavaria A. 1729 prodiit *Coronis biennii philoſophici*. Anglipoli exiit impreſſus A. 1730 *Lapis offenſionis Atomiſticæ motus*. Eodem anno Juvavii editus fuit *Umbo Peripateticus*. A. 1732 Ettalæ prodiit *Monomachia philoſophica*. Monachii exiit in auras A. 1733 *brevis*

Digitized by Google

diſcuſſio, ſitne Atomiſmo aditus ad Lyceum Monacenſe, nuper erectum, *aperiendus?* Hæc ex Proloquio Autoris innoteſcunt, conditoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ annotanda. Scripta iſthæc ſex Corpuſculariis, Atomiſmi patronis, fuerunt oppoſita. Res ad ſales ſatis acerbos jam fuit perducta, & ad objectiones, ab odio derivatas, pervenit. Multitudine præſtant in Norico Peripatetici ac Scholaſtici; ſed aerem non extimeſcunt Atomiſtæ, licet difficultatibus objectis pæne oppreſſi, præcipue ea, quæ a læſa orthodoxia deſumitur, nam hi *accidentia abſoluta* rejiciunt, quæ ob doctrinam de transſubſtantiatione tuendam videntur Scholaſticis retinenda.
Pag. 10. *Non eget*, obmolitur Autor, *fides fabulis, nec confictis ad Peripateticorum lubentiam entitatulis, nec adſcitis ex Africa portentis: etiam corpuſcularii*
12. *ſubmiſſo poplite Petrum venerantur, Vaticani culminis eminentiam ſuſpiciunt, Conciliorum canones ad apicem uſque*
19 ſeq. *recipiunt*. Dantur, Autore judice, elementa minima, unde creator omnia compoſuit, individua & primigenia, ſtamina quippe
28. molis ſenſibilis cujuscunque, phyſice ſimplicia, quia identitas
57 ſeq. requirit indiviſa & una. *Corpus* in Atomiſmo eſſentialiter hic definitur per *ſubſtantiam extenſam*; *ſpiritus* per *ſubſtantiam cogitantem*. Atomiſtæ hi proinde ſunt *Carteſiani*, non *Leibnitiani*: ac porro ſimplicibus ſubſtantiis corporalibus non de-
59. munt omnes partes metaphyſicas, licet phyſicas, hoc eſt, ſubſtan-
60. tiæ hæ non ſunt tales, & eædem, ſimul ac eis pars phyſica demitur. Subſtantia, metaphyſice conſiderata, hic determinatur per ens
65. poſſibile; phyſice ſumta definitur per ens, quod actu ſemper in rerum natura exiſtit. Poſſibilia ſibi ipſa exiſtentiam largiri
67. nequeunt. Unde Autor concludit, exiſtere creatorem omnipo-
68. tentem, intellectum vero divinum haud eſſe cauſam rerum poſſibilium, multo minus voluntatem, at duntaxat naturam divi-
69. nam, quatenus ea habeat rationem ideæ. Eſſentias rerum eſſe æternas, ſolide docetur *pag. 71 ſeq.* Subſtantia abſolute ſumta hic definitur per *ens ad ſe*, vel *intra ſe, ſubſiſtens*; accidens
81. vero per *ens ad aliud*. Corporibus denegat vim omnem primitivam, eis attribuens indolem per ſe inertem. Simplicia, judice Noſtro, omni extenſione non carent, ſi finita intelligas.
84. Quare? quia timet, ne alias nulla corpora extenſa poſſint exiſtere.

Digitized by Google

ſtere. Recentior autem Philoſophia ponit ſimplicia ejusmodi invicem diverſa, ideoque extra ſeſe mutuo poſita, ut objectioni illi occurrat. De ſpiritibus, de motu, de loco, porro Autor diſſerit haud pauca. *De animabus brutorum* copioſe exponit Pag. 235 ſeq.
ſententiam, easque habet pro *ſpiritibus* infimæ naturæ contra *Carteſianos* ac *Peripateticos*, quia illæ objectum ſenſibile extra poſitum cognoſcunt, & ſeſe movent ad certum cognitionis gradum. Pronuntiat porro idem, animas haſce, officio ſuo fun- 243.
ctas, in nihilum a Deo redigi, novasque in dies creari. Monebunt alii, mundum in dies ita converti in miraculorum ſegetem, & quantitatem virium motricium mundi ita fieri vagam ac inconſtantem. Flectit Autor deinde orationem ad animas hominum, ad angelos bonos & malos, ubi multa admiſcentur 281 ſeq.
ex Theologia Scholaſtica, ad propagationem peccati originalis, ad conceptionem immaculatam Mariæ, virginis beatiſſimæ, & 284.
argumenta connexa. Cum Peripatetici e Theologia Scholaſtica 286 ſeq.
potiſſimum jacula in Atomiſtas intorſerint, *Parte altera* Autor objectiones ſolicite removet, iens fere per ſingula fidei capita. Cauſam diſſenſionis circa doctrinam de gratia, quæ *Thomiſtas* & *Moliniſtas* diſtinet, Noſter promte in Philoſophiæ Peripate- 401.
ticæ Pſychologiam inſulſam rejicit. Ipſe inter utriusque ſententiæ divortia putat reſtare mediam viam, quam late longeque exponit. A libertate Dei exorditur: rejicit Syſtema *Thomiſticum*, 404.
tanquam contradictione laborans: repudiat *repugnans Syſtema* 410 ſeq.
Janſeniſticum, quod gratiam ſufficientem haud diſtinguit ab efficaci: *claudicare* pronuntiat Syſtema *Moliniſticum* ac *ſen-* 413 ſeq.
tentia media, quam Evangelici quoque approbant. Noſter 443 ſeq.
gratiam ſufficientem ab efficaci ſatis accurate dignoſcit, ac *Molinæ* ſententiam de ſcientia media, huc applicatam, *Pelagianiſmi* coarguit. Si quid tamen videmus & judicamus, Autor gratiam efficacem deducit ab *imperio efficaci, quo Deus jam ab æterno,* 445.
abſolute, ſaltem ex parte ſubjecti, voluit, ut cum hoc actu primo proximo creata voluntas operetur, vel potius eidem ſuam proſecutionem adjungat. At ita efficax gratia deducitur a ſola bonitate Dei efficienti, quæ in paucos redundat, plurimosque præterit, licet ſint prorſus immerentes. Num difficultas hoc pacto ſit ſublata, id arbitrentur alii.

GOTT-

Digitized by Google

GOTTLIEBI FRIDERICI HAGEN, ORDIN. Philoſ. in Acad. Halenſ. Adjuncti, Meditationes Philoſophicæ de Methodo Mathematica; cum Præfatione Illuſtris CHRISTIANI WOLFII, de Acumine intellectus, Mathematum tractatione comparando.

Norimbergæ, ſumtibus Joannis Stein, 1734, 8. Alph. 2 pl. 11.

Cl. Autor, qui inſigne eruditionis ſuæ philoſophicæ ſpecimen hic in lucem emiſit, munia ſua partesque delectas egregie pertractavit, nilque fecit reliqui, ut ſingulas ſcopi propoſiti partes explicaret, varias novas regulas atque Annotationes adderet, ſelectisque exemplis propoſitiones determinatas illuſtraret. Liber ipſe diſpeſcitur in *Capita XIV*, quorum *I* exponit Methodum, ejusque ſpecies, *II* Methodum Mathematicam, *III* Experientias, *IV* Definitiones, *V* Hypotheſes, *VI* Axiomata, *VII* Poſtulata, *VIII* Theoremata, *IX* Problemata, *X* Lemmata, *XI* Conſectaria, *XII* Scholia, *XIII* Diviſionem, *XIV* Stilum, eumque inprimis Philoſopho dignum. Gratulamur Viro Cl. orbique literato de parte Logices tam explanata. Videbunt exinde juſti rerum arbitri, quam commode & facile methodus, Mathematicis amica, ad ſingulas diſciplinas adaptari ac transferri queat, immeritoque Mathematibus propria credatur. Formula Dedicationis ad Viros maximos, Academiæ Fridericianæ ſidera immortalia, ***Juſtum Henningum Bœhmerum***, & ***Fridericum Hoffmannum***, fuit directa. Ill. *Wolfius* in Præfatione præfixa ſolide, qua ratione Mathemata ſint tractanda, ut acumen intellectus promoveant & perficiant, docet. Ordine enim & methodo demum debita hic ſcopus obtinetur, cujus rei ſpecimen oculatum haud unum ipſe Vir Ill. edidit, idque luculentiſſimum. Autoris Præfatio inſtitutum & ſcopum nitide diſtincteque complectitur. Liber ipſe legendus eſt ob multijugam utilitatem, lucemque Philoſophiæ *Wolfianæ* paſſim affuſam. Scriptores de rebus allatis plerumque afferuntur haud pauci. Tractatio ipſa methodum ſervat Mathematicam, ideoque & præceptis & exemplo docet. Quid igitur ſupereſt, quam ut Lectorem ad Opuſculum hoc, accurate & utiliter elaboratum, remittamus, ſpondentes, fore, ut lectionis ferat fructus longe exoptatiſſimos?

) o (

Digitized by Google

AD
NOVA ACTA
ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. I Sectio IX.

THESAURUS NOVUS THEOLOGICO-PHIlologicus, ſive Sylloge Diſſertationum Exegeticarum, ad ſelectiora atque inſigniora Veteris & Novi Inſtrumenti loca a Theologis Proteſtantibus, maximam partem in Germania, diverſis temporibus ſeparatim editarum, nunc vero ſecundum ſeriem Librorum, Capitum & commatum digeſtarum, junctimque recuſarum, additis Indicibus neceſſariis, ex muſeo THEODORI HASÆI & CONRADI IKENII, Doctorum in illuſtri Schola & Eccleſia Bremenſi.

Tomi II.

Lugduni Batavorum, apud Theodorum Haak, & Samuelem Luchtmans, atque Amſtelodami, apud Adrianum Wor, & hæredes G. onder de Linden, 1732, fol.

Tomus I Alph. 6 pl. 4, Tomus II Alph. 6 pl. 6.

Cum experientia ſatis ſuperque teſtetur, optimas quasque Diſſertationes propter exiguum exemplarium typis exſcri-

Digitized by Google

ſcriptorum numerum breviſſimo temporis intervallo ita evaneſcere, ut poſt aliquot annos fruſtra in tabernis librariis quærantur; bene omnino ac ſapienter illi egiſſe cenſendi ſunt, qui ſelectas Diſputationes in unum Volumen collectas orbi erudito & poſteritati exhibuerunt. Qua quidem in parte jam laudem & gratiam ab eruditis retulerunt *Crenius*, *Grævius*, *Rhenferdus*, *Honertus*, *Menthenius*, alii; nec dubium eſt ullum, quin eandem gratiam a rerum peritis inierint, eandemque gloriam conſecuturi ſint Viri Celeberrimi; quibus hanc *Syllogen Diſſertationum* debemus. Inprimis autem Cl. *Ikenio* gratias habebunt omnes, quibus elegantior literatura non ſordet, quod, arduum hoc & moleſtum opus, Cel. *Theodoro Haſæo* eidem immortuo, ad finem feliciter perduxerit. Id vero ſibi hic negotii datum eſſe crediderunt Cl. Collectores, ut ex immenſa Diſſertationum Exegeticarum copia eas ſeligerent, & in unum corpus congererent, quæ lectu eſſent digniores, quæque Lectorem ſuum doctiorem remitterent, ſepoſitis tamen illis, quæ una cum aliis integris jam Voluminibus editæ aut recuſæ eſſent, quæve alterutrius Eccleſiæ dogmata acriori ſtilo perſtringerent. Nos hic Lectoribus non ingratum fore exiſtimamus, ſi integrum Diſſertationum Syllabum, quæ in utroque *Tomo* habentur, noſtris *Actis* inſeruerimus. Itaque *Tomo I* hæ leguntur:

Pag. 1. *Jo. Meyeri* Diſſ. Critico-Theologica de vero ſenſu תקון סופרים, quæ vulgo dicitur correctio ſcribarum in octo & decem Scripturæ dictionibus adhibita, quas alii a Judæis corruptas, alii mutatas, alii aliter ſcriptas, aliterque lectas, alii mendas Amanuenſium incuria illapſas, alii plures, alii pauciores, eas eſſe putant;

19. *Jo. Gothofr. Werchau* de Ablatione ſcribarum;

27. *Jo. Andreæ Danzii* Sinceritas Scripturæ Veteris Teſtamenti prævalente Keri vacillans, præmiſſa ad explorandos eruditorum animos mox ſecuturæ Sinceritati Scripturæ Veteris Teſtamenti Maſora throno mota triumphanti;

53. Ejusdem ſinceritas Scripturæ Veteris Teſtamenti ſuſpicione erroris in Decade exemplorum *Abarbaneli* ab aſſeclis incuſatorum abſterſa, eluctans;

68. *Franciſci Tſepergi* Diſſ. Philol. Theol. de Avthentia ſelectiorum Cethibim, Pars prior, in

in qua nonnulla Cethibim ſecundum idiotiſmos Arabum expli-
cantur, Præſ. *Albert. Schultens*; Ejusdem pars poſterior, in qua Pag. 84.
nonnulla Cethibim ex lingua Arabum explicantur, eodem Præſ.
Theodor. Daſſovius de emphaſi ſacrarum vocum ex Vetere Hi- 89.
ſtoria Hebraica repetenda; Ejusdem Diſſertatio II & III; 97.
Albertus zum Felde de Enallages, præſertim temporum, 102.
in Sacris Literis uſu; *Ægidius Strauchius* de ætate mundi; 107.
Jo. Andr. Danzii אלהים את אלהים נועץ divina inter 117.
coæquales de condendo primo homine deliberatio; *Chriſtiani* 123.
Pfuezneri ὀνοματοθεσία animalium Adamitica; *Jo. Joach.* 139.
Schræderus de Lamechio homicida, ejusque vindicta; *Theod.* 145.
Haſai Specimen Theologicum de oraculo Lamechi, novis qui-
busdam acceſſionibus auctum; *Bartholdus Haen* de natura 150.
fœderis Noachici, Præſ. *Camp. Vitringa*; M. *Philippi Olearii* 161.
Diſp. de *Chamo* maledicto. M. *Jo. Herm. von Elswich* Mel- 168.
chiſedecus ab injuria *Petri Jurieu* defenſus, Præſ. *Jo. Chriſt.*
Wichmanshauſen; Ejusdem Melchiſedecus ab *Henrico Hulſio* 175.
minus feliciter in Henocho detectus; *Jo. Andr. Schmidii* ora- 183.
culum a *Rebecca* conſultum; *Jo. Frid. Miegius* de ſcala Ja- 188.
cobi; M. *Samuel Corylus*, alias *Nitſchman*, de corylo Jacobi; 195.
Ægidius Strauch de ſepulchro Rachelis; *Jo. Joach. Schræde-* 201.
rus de voce אברך Abhreh; *Jo. Caſp. Krauſe* de ſcypho 207.
Joſephi; *Jo. Adolph. Müller* de paſtore Ægyptiis inviſo; *Jo-* 211.
bi Ludolfi Dux Judæorum ſublatus; M. *Jo. Dieemannus* 214. 220.
de legislatore a medio pedum Judæ ante adventum Chriſti
non recedente; *Georg. Wolfgang. Burgeri* Schilo nodis ſolu- 228.
tus, hoc eſt, ſenſus loci Claſſici, *Gen. XLIX, 13*, reſtitutus, Præſ. 237.
Guſt. Georg. Zeltnero; *Samuel Scheurer* de nomine Moſis; M. 247.
Wolfg. Caſp. Treppanneger de miſſione Moſis per chirogra-
phum deſiderata; *Herm. Bern. Gedæi* de inſtrumento cir- 255.
cumciſionis a Zippora & Joſua adhibito; *Ægidius Strau-* 259.
chius de anno nativitatis Abrahami, vocationis ejusdem &
CCCCXXX annis manſionis Iſraelitarum in Ægypto; *Petri* 263.
Goldſchmidii nova demonſtratio tranſitus populi Iſraelitici per
mare rubrum; *Jo. Ludov. Stumpfius* de diviſione rubri maris 269.
miraculoſa; *Jo. Guil. Baieri* quæſtio: an tempore tranſitus 274.

Digitized by Google

Iſraelitarum per mare rubrum fuerit ordinarius refluxus ſive
Pag. 292. detumeſcentia; M. *Frid. Bened. Kettner* de ſanguine fœderis;
300. *Dav. Miln* de cornibus altaris exterioris, Præſ. *Jo. Jac. Quandt;*
304. M. *Jo. Frid. Michaelis* de tabulis fœderis prioribus, præmiſ-
ſa Commentatione de tabulis quibusdam veterum, Præſ. *Jo.*
309. *Chriſt. Wichmanshauſen;* Idem de tabulis fœderis poſterio-
329. ribus; *Jo. Meyeri* reſponſum ad quæſtionem matrimonialem:
362. an viduæ licitum ſit &c.; *Sam. Andreæ* de adultero nunquam
379. lege divina impunito; *Jo. Conr. Hottingerus* de benedictione
386. Sacerdotali; *Chriſtian. Ludovici* de Spiritu Moſis in LXX
393. Seniores poſito; *Jo. Frid. Miegius* de ſtella & ſceptro Bi-
400. leamico; *Theodor. Haſæus* de Propheta promiſſo contra *Dan.*
423. *Hugueninum*, Præſ. *Lud. Chriſt. Miegio;* *Jacob Elsner* de lo-
438. co vexato *Devt. XXIX, 15;* M. *Ern. Frider. Cobii* Aſer metal-
445. lifoſſor, Præſ. *Jo. Chriſtoph. Wichmanshauſen;* M. *Chriſtian.*
Dav. Seyffertus de Scriptore Libri Joſuæ, Præſ. *Jo. Georg.*
449. *Abicht;* R. *Eſaiæ* Commentarius in Joſuam ex Cod. MS. Bi-
bliothecæ Senatus Lipſienſis deſcriptus, & verſione & notis il-
luſtratus, Præſ. D. *Jo. Georg. Abicht*, Reſp. *Jo. Adam Steinmez;*
471. M. *Hieronym. Gieſzan* de Rachab meretrice, Præſ. D. *Jo.*
474. *Georg. Abicht;* *Jo. Georg. Abicht* de tranſitu Iſraelitarum per
487. Jordanem; *Jo. Phil. Seſeman* de cultris ſaxeis in circumci-
ſione a Joſua denuo inſtituta uſurpatis, Præſ. *Jo. Georg. Abicht;*
491. *Jo. Henr. Herbſt* de duce Exercitus Domini Joſuæ apparente,
497. Præſ. *Jo. Georg. Abicht;* *Jo. Georg. Abicht* de lapſu mu-
503. rorum Hierichuntinorum miraculoſo; *Jo. Godofr. Wer-*
509. *chau* de ſtatione ſolis; *Jo. Zach. Hilliger* de libro recti,
516. *vom Buch der Redlichen*, eodem Præſide; *Sigism. Andr. Flachs*
de reſtituendis duobus verſibus *Joſ. XXI*, in quibusdam Codici-
535. bus Ebræis omiſſis, eodem Præſide; *Ægidius Strauchius* de
545. ænigmate Simſonis; *Godofr. Tage* de vulpibus Simſonæis,
553. Præſ. *Brandano Henr. Gebhardo;* *Brandanus Henr. Gebhar-*
dus de Simſonæa maxilla, & corpore Adami lucido contra Ob-
561. ſervatores Halenſes; M. *Jo. Jac. Seiferheld* de maxilla aſini; M.
569. 578. *Jo. Chriſtoph. Ortlob* Fons Simſonis prope maxillam; Ejusdem
587. Samuel Judex & Propheta, non Pontifex aut Sacerdos; *Georg.*
Valen-

Digitized by Google

Valentin Schmidt de proverbio: num quid Saul inter Pro-
phetas, Præſ. *Jo. Andr. Schmidio;* *Jo. Chriſtoph. Wolfius* de Pag.594.
apparatu Philiſtæorum bellico; *Jo. Chriſt. Wernerus* de Davi- 599.
dis xenio, Sauli, Iſraelitarum Regi, oblato, maxime autem de ve-
ro harum vocum חמור לחם ſenſu; M. *Jo. Chriſtoph. Ortlob* 611.
Davidis delirium coram Achis; M. *Jo. Gerh. Meyer* de faſci- 616.
culo vitæ, Præſ. *Jo. Chriſt. Wichmanshauſen;* *Rudolphi Gri-* 624.
ſchow Samuel perſonatus, Præſ. *Ægidio Strauchio;* *Jo. Chriſtoph.* 632.
Harenbergius de בעלת אוב Pythoniſſa Endorea; *Jo.* 639.
Chriſtoph. Ortlob de pacto Davidis & Abneri contra Isboſethum
illicito; M. *Ludolph. Frider. Weiſſe* de cœcis & claudis Jebu- 651.
ſæorum; Davidis in Ammonitas divictos mitigata crudelitas,
ceu ſpecimen ſinceritatis Scripturæ Maſora throno mota tri-
umphantis, e כתיב ſervato, verbisque 2 *Sam. XII, 31*, absque
præjudicio verſis, aſſerta a *Jo. Andr. Danzio;* M. *Chriſtian.* 658. 664.
Gottl. Schwarzii de morte Achitophelis Diſputationes duæ;
Jo. Chriſtoph. Erdmanni monumentum Abſolomi, Præſ. *Jo.* 676.
Andr. Schmidio; *Jo. Jac. Fleiſchmann* de filiis Michal ſte- 685.
rilis, Præſ. *Guſt. Georg. Zeltnero;* M. *Simon Bened. Tympe* 692.
verba Davidis ultima; *Georgius Stiſſer* de proceſſu Salomo- 696.
nis contra Simei; M. *Laurentius Müller* de origine Regni 713.
Damaſceni tempore Iſraelitarum; *Frid. Chriſtoph. Willichius* 721.
de Orebhim Eliæ nutritoribus, naturalesne corvi an homines
intelligantur; M. *Mauritius Caſtens* de meretricibus currum 728.
Achab abluentibus; *Jo. Mülleri* Eliſæus ad Muſices ſonum 732.
Propheta, Præſ. *J. A. Schmidio;* *Erdman. Gothofr. Camentius* 739.
de aquæductibus Hiskiæ; *Jo. Wanckelius* de Aſſvero, Eſtheræ 746.
marito; M. *Gothofr. Wagner* de myſtico Hiſtoriæ Jobeæ ſen- 761.
ſu, Præſ. *Jo. Schmidio;* M. *Jo. Frider. Wichmanshauſen* de 767.
maledictoribus diei a Jobo in ſubſidium evocatis; Diſſertationes
duæ *Samuelis Andreæ* de jubilatione impiorum & gaudio hy- 779.
pocritarum; *Cornelii Haſæi* pietatis ad omnia utilitas ex Eli- 787.
phaſi, Themanitæ, oratione paracletica demonſtrata; *Jo.* 795.
Guil. Baierus de Sapphyro Scripturæ Sacræ; M. *Jo. Hilperti* 798.
Diſputatio Ebræo-Philoſophica adverſus Judæos ad *Pſ. II, 6, 7.*
Jo. Meyerus de ſceptro Meſſiæ, Præſ. *Jac. Altingio;* *Lud. Chriſt.* 802. 809.

Miegius de perſpicuitate & univerſalitate inſtitutionis natura-
Pag.814.819. lis; *Jo. Fauſtii* Exercit. Theol. ad *Pſ. XXXIV*; *Theoderus*
823. 825. *Daſſovius* de luſtratione Ebræorum; *Jo. Engelhard Steuber*
830. de ligatione feſtivorum ad cornua altaris; *Conradus Ikenius*
840. de lilio Saronitico, emblemate ſponſæ; *Chriſtian. Ziegra* de
peccatorum coccineorum albedine, Præſ. *Jo. Georg. Abicht*;
852. *Chriſtian Gottbelf Blumberg* de עכבים, Præſ. M. *Poly-*
857. *carpo Lyſero*; Ejusdem Diſſertatio de שהרינים & שביסים;
865. *Jo. Georg. Abicht* de Domino Eſaiæ viſo & triſagio celebra-
873. to; *Jo. Henr. Schrammius* de pace Eccleſiæ Novi Teſtamen-
ti ultimo tempore adumbrata per concordiam manſueta in-
883. ter & fera animalia ſtabiliendam; *Matthæi Hilleri* Commen-
890. tarius in *Caput XVIII Eſaiæ*; *Jo. Henr. Hottingerus* de
899. ſervo Dei electo; M. *Jo. Phil. Pfeiffer* de Chriſto vero Deo;
906. *Jo. Chriſtoph. Wichmanshauſen* de viæ & tremoris calice; *Sam.*
911. *Andreæ* Diſquiſitio de paſſionibus Meſſiæ, earumque exitu &
921. ſuccedente gloria; *Chriſtoph. Henr. Pfaffreuter* de victore
929. Idumæorum; *Guſtav. Georg. Zeltner* de Gad & Meni Ju-
936. dæorum hodiernis Diis; *Jo. Georg. Abicht* de ſuppliciis Rei-
949. publicæ Judaicæ ſub ſymbolis revelatis; M. *Iſrael Traugott*
955. *Garmannus* de poculo conſolationum; *Jo. a Behm* Diſcuſſio
termini a quo & ad quem ſeptuaginta annorum Babylonicæ
959. captivitatis vel ſervitutis. *Henr. Opitii* Diſſertatio, qua no-
vum illud in terra, vir circumdatus a fœmina, expenditur;
963. M. *Jo. Chriſt. Hebenſtreit* de *βάκχοις* ad illuſtrandum זמורה
972. *Ezech. VIII, 17*; *Henr. Guil. Trumphius* de pulvillis & peplis
988. Prophetiſſarum; *Chriſtoph. Maierus* de ſtatua Nebucadneza-
998. ris, Præſ. *Jo. Andr. Schmidio*; *Phil. Jo. Tileman* dicti *Schenck*
1009. de temporum mutatione; *Everhardi ab Hamel* Diſſertatio,
an ſperanda ſuperſit inſignis quædam Judæorum converſio,
1028. Præſ. *Dav. Clodio*; M. *Iſrael Traugott Garmannus* de pane
1035. lugentium; *Jo. Chriſtoph. Wolfii* juvenci labiorum loco *Hoſ.*
1044. *XIV, 3*, non ita pridem ſolicitato vindicati; *Lud. Chriſt. Mie-*
gii de fatis tabernaculi Davidici Diſſertationes duæ; *Cor-*
1061. *nelii Haſæi* Diſſertatio, qua prophetia Obadjah analyſi & co-
1064. rollariis illuſtratur; M. *Jo. Georg. Abichti* Jona fugiens; *Jo.*
Frid.

Digitized by Google

Frid. Miegius de gloria templi ſecundi; *Lud. Chriſtian. Mie-* Pag. 1071.
gius de venturo poſt commotiones externas & internas deſide- 1076.
rio gentium; *Jo. Hilpertus* de gloria templi poſterioris; *Jac.* 1086.
Valentin. Herold מקלות נעם וחבלים, hoc eſt, *die Stæ-* 1092.
be ſanft und wehe, Præſ. *Jo. Georg. Abicht*; *Jo. Chriſtoph.* 1101.
Wichmanshauſen de planctu Hadadrimmon; *Theodori Daſſovii* 1111.
Diſſertatio, qua Miſſam *Malach. I, 11*, non indicari docetur.

Tomus II ſequentes continet Diſſertationes; *Georg. Jo.* Tom. II.
Hencke de uſu LXX Interpretum in Novo Teſtamento, Præſ. Pag. 1.
Jo. Henr. Michaelis; Idem de uſu Librorum Apocryphorum 15.
Veteris Teſtamenti in Novo Teſtamento; *Frider. Quirini* 31.
Gregorii de temperamentis Scriptorum Novi Teſtamenti
Diſſertationes duæ; Idem de uſu doctrinæ de temperamentis A- 48.
poſtolorum, Præſ. *Gothofr. Olcario*; *Guſtav. Phil. Mœle* de lin- 57.
gua avthentica, ſive originali Novi Teſtamenti, & præcipue
Evangelii Matthæi, Præſ. *Jo. Chriſt. Wagenſeilio*; *Balth. Stol-* 69.
bergii Exercitatio ad *Matth. I*; *Jo. Jac. Hottingeri* de Ge- 73.
nealogia Chriſti Diſſertationes duæ; *Franciſc. Baringius* de 97.
παραδειγματισμῷ ſponſæ adulteræ; *Jo. Henr. Krauſii* de 106.
loco Chriſti natalitio in urbe Bethlehem; M. *Laur. Bened.* 111.
Triebel de Magis poſt Jeſum in templo repræſentatum adve-
nientibus; *Jo. Frid. Miegius* de ſtella a Magis conſpecta; *Pau-* 118. 122.
lus Rabe de victu Joannis, Baptiſtæ; Idem de amictu Joannis, 131.
Baptiſtæ; D. *Jo. Dan. Majoris* ſcrutinium Satanicæ Coſmo- 141.
dixeos. *Andreæ Gothofredi Ammon* tentator Satanas confuta- 159.
tus divinitus a Domino noſtro Jeſu Chriſto in conflictu; D.
Jo. Dan. Major de myrrha, locuſtis, jejunio Chriſti, Chriſto 174.
Medico, lunaticis, paralyticis, & ſale; *Jo. Schaller* de Βαττο- 183.
λογίᾳ Ethnica in precibus frequentata; *Georg. Guil. Kirch-* 189.
maierus de pane ἐπιουσίῳ; *Jo. Conr. Wakius* de curatione 194.
Chriſti Sabbathica, Præſ. *Jo. Andr. Danzio*; *Petrus Zornius* 212.
de verbo otioſo; *Franciſcus Baringius* de ceto Jonæ; Ejus- 217.
dem Diſputatio, qua tres dies & tres noctes commorationis 220.
Chriſti in corde terræ menſurantur; Idem de corde terræ; 224.
Jo. Henr. Schrammius de operariis in vinea; *Jo. Frid. Mie-* 228.
gius de argumento, quo Chriſtus reſurrectionem mortuorum 235.
adver-

Pag. 242. adverſus Sadducæos propugnavit; *Jo. Chriſtoph. Harenbergii* nervus demonſtrationis, convictionis & refutationis a Chriſto
248. in Sadducæos ſuſceptæ; M. *Mauritius Caſtens* de Zacharia,
258. Barachiæ filio; *Auguſt. Tittelius* de Pſeudo-Meſſiis, cadave-
272. re &c. *Guſtav. Georg. Zeltner* de Aſtro Judæis ominoſo, ſive
282. ſigno filii hominis dudum exhibito; *Sigism. Andr. Flachs* de
288. caſu ſtellarum in fine mundi, Præſ. *Jo. Cypriano; Andr. Lud. Kœnigsmannus* de judicio Regis Chriſti adverſus rebelles Ju-
300. dæos; *Georg. Auguſt. Pancomii*, i. e. *Guſtav. Georg. Zeltneri* de ſervi negligentis dichotomia per cultrum ad *Gothofredum*
304. *Olearium* Epiſtola; *Jo. Warneccius* de ſuſpendio Judæ;
309. *Chriſtoph. Schlegel* enodatio *Matth. XXVII, 3-11. Chriſtianus*
343. *Thomaſius* de injuſto Pilati judicio, Præſ. *Frid. Tob. Mœbio;*
352. *Jo. Henr. Hottingerus* de ritu dimittendi reum in feſto Paſcha-
364. tos; *Sigismundi Kiesling* labor ſolis laborante ſole juſtitiæ,
369. Præſ. *J. A. Schmidio; Caſp. Poſnerus* de ſingularibus ac mirandis quibusdam, quæ morte Chriſti in natura acciderunt,
381. utrum a natura fuerint? M. *Jo. Eliæ Hederi* Commentatio in locum *Marc. III, 20-22*, & ſcrutinium loci *Gen. IV, 7.*
405. *Jo: Wilhelm. Gollingius* de Speculatoribus veterum Romano-
413. rum, Præſ. *Chriſtian. Gottlieb. Schwarzio; Andreas Buttig* de emphaſi verbi σπλαγχνίζομαι, Præſ. *Chriſtian. Schœttgenio;*
417. M. *Jo. Chriſtoph. Gœsgenius* de ficu maledicta; *David Hoff-*
424. *mann* de Cenſu Romanorum primo, Præſ. *Jo. Guil. Jano;*
434. *Bartholom. Chriſt. Richard* de cenſu Auguſti univerſe indicto;
439. ἡ φάτνη ex variis locis diſquiſitioni ſubjecta a *Joanne Ta-*
443. *bing; Auguſt. Theodor. Hofkunz* de ἀνθρωποθυσίᾳ Pilati;
447. M. *Jo. Conr. Wakii* Μαμωνᾶς τῆς ἀδικίας; *Andr. Lud.*
461. *Kœnigsmanni* paradaxon de divite epulone a Chriſto immiſericordiæ non accuſato, & de ejus orationis vero ſcopo & argu-
470. mento; *Franciſc. Baringius* de præcone ex mortuis; *Jo. Ta-*
473. 476. *bing* de hydriis in Cana Galilææ; *Jo. Conr. Hottingerus* de
486. piſcina Betheſda; *David Ebersbach* de miraculo piſcinæ Be-
494. theſdæ, Præſ. *Gothofr. Oleario*; M. *Jo. Wilh. Hilliger* de ſcri-
501. ptione Chriſti in terram; *Andr. Lud. Kœnigsmanni* curata Inquiſitio in ſcopum & ſenſum parabolæ de malis paſtoribus, Præſ.

Digitized by Google

Præſ. *Henr. Muhlio*; *Jo. Guil. Baierus* de verbis Chriſti, Pag. 521.
πάντες ὅσοι πρὸ ἐμοῦ; *Chriſtian. Auguſt. Hauſenii* Vatici- 525.
nium Cajaphæ; *Jo. Sibranda* de ſtatu provinciæ ſub Procu- 529.
ratoribus;veraque interpretatione *Jo. XVIII, 31*; *Jo. Chriſtoph.* 538.
Harenbergii demonſtratio,Chriſtum eadem die naturali Judaica,
qua in crucem actus eſt, cum reliquis Judæis comediſſe agnum
paſchalem, cum reliquo illius apparatu ex MSto; *Cornelii Ha-* 549.
ſæi Aphoriſmi hiſtoriam paſſionum Chriſti in palatio Caja-
phæ illuſtrantes; *Guſt. Georg. Zeltneri* horologium Joannis; 552.
Ejusdem horologium Caiphæ; Ejusdem horologium Pilati; 558. 564.
Jo. Chriſtoph. Harenbergii miraculum Pentecoſtale expenſum 569.
& vindicatum; *Samuelis Andreæ* ὁ τῆς πειθαρχίας ὅρος, 595.
ſive de limitibus obſequii humani; *Jo. Guil. Baierus* de cœ- 604.
citate Pauli; *Bernard. Duyſing* de cœleſti viſione *Act. X, 6-16*; 610.
Jac. Elsneri vindiciæ *Act. XIII, 8*; *Chriſt. Frid. Bœrneri* acta 620. 625.
Barnabæ & Pauli Lycaonica; *Paulus Erneſtus Jablonski* de 639.
lingua Lycaonica. M. *Jo. Jac. Pfizerus* de ἀποθεώσει Pauli 648.
& Barnabæ a Lyſtrenſibus fruſtra tentata; *Jo. Frid. Gublin-* 657.
gius de lingua Pauli Lycaonica a Pelaſgis Græcis orta; *Gothofr.* 661.
Olearius de geſtis Pauli in urbe Athenienſium; *Jo. Lud. Schloſ-* 669.
ſer Annotata quædam Philologica ad geſta Pauli in urbe Athe-
nienſium; M. *Jo. Schedii* Areopagus, vetuſtiſſimum Athena- 674.
rum & totius Græciæ tribunal; *Jo. Jac. Pfizeri* Exercitium, 691.
quo *Apollo* doctor Apoſtolicus delineatur; *Sigiſm. Jac. Apini* 701.
Schediaſma Academicum de duplici Baptiſmo diſcipulorum
Epheſinorum; *Jo. Chriſtoph. Ortlob* περίεργα Ἐφεσίων, ſive 705.
de Epheſiorum libris curioſis combuſtis; M. *Jo. Phil. Pfeiffer* 714.
de verbis *Act. XXIII, 8*; *Jac. Haſæus* de navibus Alexandrinis 717.
Apoſtolum in Italiam deferentibus; M. *Petr. Adolphi Boyſen* 727.
Eclogæ Archæologicæ ad difficile Pauli iter; *Jo. Frid. Wan-* 733.
dalinus de Melita Pauli; *Jo. Chriſt. Herzog* de interpunctio- 743.
num poſitu in Epiſtolæ ad Romanos ſelectioribus locis, cum bre-
vi totius Epiſtolæ nexu; *Lud. Chriſtian. Miegius* de normæ 748.
propheticæ *Parte III*; *Campegii Vitringa* Exercitatio ad *1 Cor.* 757.
I, 6; M. *Chriſtian. Ludovici* doctrinæ traditæ probatio per 763.
ignem Eccleſiæ doctoribus expectanda; *Jo. Arnoldi* Diatriba 780.

Digitized by Google

Pag. 793. judicio Sanctorum in mundum & in Angelos; *M. Gabriel*
810. *Groddeck* de Judæis præputium attrahentibus; *Michael Roſ-*
ſallus de ſententia Pauli *1 Cor. VII, 12-17; Gothofr. Olearius* de
820. Κοινωνίᾳ cum Chriſto & dæmoniis; *Guſtav. Georg. Zeltner*
829. de munimento capitis fœminei contra Angelos; *Jo. Chriſtoph.*
Harenbergius de ſpecularibus veterum, Præſ. *Jo. Oldermanno;*
836. *Guſtav. Georg. Zeltnerus* de ſubjectione Chriſti glorioſa; *Se-*
851. *verinus Lintrupius* de Θηριομαχίᾳ Paulina; M. *Frid. Caſp.*
875. *Hagen* de Θηριομαχίᾳ Pauli; *Antonius Legerus* de ana-
879. themate Maranatha, Præſ. *Stephano le Moyne;* M. *Jo.*
883. *Chriſtoph. Gulitii* τὸ βαρὺ καὶ ἰσχυρὸν Paulinum, Præſ. *Jo.*
891. *Guil. Bergero*; *Guſtav. Georg. Zeltnerus* crux Pauli, crux Exe-
895. getarum; *Wilhelmus Zeſchius* de ſtimulo carni infixo, & an-
905. gelo Satanæ. *Chriſtianus Ravius* de adventuali plenitudine
temporis Jeſu Chriſti in carnem a priori deducta ex hiſtoria
918. anni diluvialis; *Jo. Chriſt. Dares* de pariete intergerino per
935. Chriſtum deſtructo; M. *Jo. Zach. Hilliger* de Pſalmorum, hy-
946. mnorum, atque odarum ſacrarum diſcrimine; *Jo. Conr. Kesle-*
ri Obſervationes Philologicæ quædam in Epiſtolam Pauli ad
951. Philippenſes; *Gothofr. Olearii* Analyſis Logica Epiſtolæ ad E-
964. bræos cum Obſervationibus Philologicis; *Jo. Rod. Sachlini*
Diſſertatio, quomodo & quo ſenſu Salvator noſter Jeſus Chri-
ſtus Paulo dicatur: Ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας
968. ἡμῶν; *Jo. Jac. Pfizerus* de congregatione non deſerenda; *Lud.*
973. *Chriſtian. Miegii* ſpes patriæ cœleſtis fidelibus Novi Teſtamen-
976. ti aſſerta; *Alb. Joach. Krakewiz* novum Philologiæ ſpecimen,
exhibens harmoniam Pauli & Moſis ad *Gen. XLVIII,* & *Ebr. XI,*
982. *21; Campegius Vitringa* de argumento Epiſtolarum Petri po-
991. ſterioris & Judæ Catholicorum; *Sam. Andreæ* Diſquiſitio de
999. corde condemnante; *Gothofr. Olearius* de probatione ſpiri-
1008. tuum, recentioribus potiſſimum quibusdam oppoſita; Idem
1016. de Angelis deſertoribus & captivis; *Jo. Guil. Janus* de Ni-
1027. colaitis ex Hæreticorum Catalogo expungendis; *Jo. Jac. Hal-*
1033. *ler* Μάννα κεκρυμμένον; *Jac. Frid. Hollenhagen* de ſeptem
Eccleſiis Aſiæ in divina Apocalypſi memoratis, earumque oc-
1042. caſione, & exilio Joannis; *Jo. Chriſtoph. Romig* de Chilias-

mo

Digitized by Google

mo præſenti, in quo D. G. vivimus, Præſ. *Georg. Guſtav. Zeltnero*; Accedunt denique *Indices tres*, quorum *primus* objectum, ſive res atque dictiones Latinas, continet, locosque Sacri Codicis, qui in utroque *Tomo* exponuntur, illuſtrantur, enucleantur; *alter* vocabula Græca, formulasque loquendi, & alia ipſis cognata, complectitur; *tertius* denique voces orientales, aptasque verborum conſtructiones, ac reliqua eo ſpectantia, paſſim recenſet. Atque hanc quidem *Syllogen Diſſertationum Exegeticarum* tanto gratiorem fore ſacrarum literarum cupidis ſperamus, quod non ſolum Diſſertationes contineat, quæ ex nexu verborum, ſcopo, aliis Scripturæ locis, legitima ratiocinatione mentem Scriptoris colligunt, verum etiam ejus generis Commentationes exhibeat, quæ ſenſum ex interiori linguæ genio, aliarum affinium collatione, teſtimoniis Rabbinorum, antiquioribus interpretationibus, eruunt & illuſtrant, tum quoque recentiores Virorum doctorum, qui idem argumentum tetigerunt, obſervationes ſolicite afferunt. Ceterum non poſſumus Reipublicæ Literariæ cauſa ex animo non precari, ut, quod jam ſub manibus eſt, Opus alterum, illuſtrandis Antiquitatibus Judaicis unice deſtinatum, primo quoque tempore in lucem publicam prodeat eadem, quæ *Sylloge* hæc, eruditorum puncta ſine ulla dubitatione laturum.

MEMOIRES DU SIEUR JEAN MACKY, ECUYER, &c.

h. e.

MEMORIÆ DOMINI JOANNIS MACKII, EQUITIS, complectentes præcipue Proſopographias Procerum Angliæ, regnantibus Guilielmo III & Anna I delineatæ juſſu Sereniſſimæ Electricis Hanoveranæ, Sophiæ, atque ex Avtographo Autoris publici juris factæ; ex Anglico idiomate in Gallicum verſæ.

Hagæ Comitum, apud P. Goſſe & J. Neaulme, 1733, 12 maj.

Plag. 10.

Digitized by Google

Non una hic libellus complectitur, Sereniſſimo Principi Walliæ inſcriptus, quæ Lectoribus eum commendare, ſi ſtudio recentioris Hiſtoriæ penitius cognoſcendæ ducantur, poterunt. Primo quidem loco, ne ignorent, quocum ſibi res ſit, offert ſe Commentatio brevis, qua *Jo. Mackius*, cujus nomen titulus libelli præ ſe fert, quibus ſibi meritis magnam Britanniam devinxerit, exponit. Omnia eo redeunt, ut pateat, lynceum eum fuiſſe in rimandis conſiliis & machinationibus clandeſtinis, quibus poſt exilium *Jacobi II*, regnique adminiſtrationem a *Guilielmo*, genero ejus, ſuſceptam, Anglia una cum Scotia Hiberniaque patuit, magnique ejus dexteritatem feciſſe *Guilielmum*, Regem, Proceresque, & ad exploranda ea, quæ noſſe illorum intererat, adhibuiſſe non irrito ſucceſſu; *Annam*, Reginam, ejusque adminiſtros, opera ejus non minus utendum putaſſe, ſed favore eorum excidiſſe bonum virum, cum clandeſtinum *Matthæi*, Prioris, *Menagerii*, & *Gauterii*, Abbatis, adventum in Angliam divulgaſſet: duriori inde ſorte conflictatum, paulo benigniora ſenſiſſe fata, Rege *Georgio* Magnæ Britanniæ gubernaculis admoto, & navatam Anglis per triginta annorum ſpatium operam ſimili de iis bene merendi ſtudio perrexiſſe, dum A. 1726 Roterodami e vivis excederet. Nemini ſane perſpecta luculentius fuiſſe conſilia totamque vivendi rationem, qua *Jacobus II* in Gallia uſus eſt, patet ex libello exiguæ molis, ſed bonæ frugis pleniſſimo, quem jam anno ſuperioris Seculi nonageſimo ſexto edidit, tam avide exceptum a lectoribus, ut triginta exemplorum millia vendiderit, qui ſuis eum ſumtibus excudit, *Richardus Baldwinus*. Titulum præfert: *Tableau de la Cour de S. Germain*, hoc eſt, *Deſcriptio Aulæ Fani Sancti Germani ab Anno 1690 uſque ad 1695, una cum narratione, qua docetur, quo pacto Proteſtantium religioni addicti ibi excipiantur, oblata iis, qui novis in Anglia rebus ſtudent*, totusque eo ſpectat, ut intelligatur, exiguam Proteſtantium, qui ejus partes ſecuti in Galliam ſeceſſere, rationem fuiſſe habitam. Is libellus, Commentationi huic præliminari ſubjectus, vel unus ei pretium inſigne conciliat: tantum ille in propugnanda meliori cauſa quondam in Magna Britannia ponderis habuit, ac tam vivis depingit coloribus *Jacobi II* ingenium,

Digitized by Google

nium, mores, atque odium, quo ab iis, qui Proteſtantium religioni nomen dederant, utcunque fide & obſequio nulli Romanenſium cedentibus, abhorruit.

Sequuntur jam, quæ haud dubie potiorem libelli hujus partem efficiunt, Proſopographiæ Procerum Aulæ Britanniæ regnantibus *Guilielmo* atque *Anna*, quorum quatuor ſe claſſes offerunt. Prima, quæ, facto a Sereniſſimo Principe *Georgio* initio, in *Gilberto*, Epiſcopo Salisburienſi, deſinit, eſt Procerum Angliæ, quorum CXIII nunc uberius paulo, nunc ſtrictius, deſcribuntur. Altera eſt Oratorum, ab Anglis ad alios Principes resque publicas miſſorum, quorum ſunt omnino tredecim. Tertia Præfectorum militarium, qui ſive terra ſtipendia meruerunt, ſive mari, quorum viginti atque unus numerantur. Quartam conficiunt Proſopographiæ Procerum Scotiæ, numero undequinquaginta. Eas omnes *Mackius* quondam *Sophiæ*, Electricis Hanoveranæ, juſſu literis conſignavit, eique obtulit. Plerasque earum *Gilb. Burnetum*, Præſulem Salisburienſem, ſecundæ & tertiæ Parti Hiſtoriæ ſui temporis inſeruiſſe, Præfatio hujus libelli docet. Illius Hiſtoriæ cum prima tantum Pars typis expreſſa proſtet, (hæc ex Præfatione, quam modo diximus, adducimus,) mirum utique, ceteras nondum adſpexiſſe lucem, cum ſanciverit teſtamenti tabulis a ſe conditis Vir Celeberrimus, ut ſex ab obitu ſuo annis prætetlapſis tota ederetur. Sed hujus moræ rationem reddere *Thomam* filium poſſe, ſi vellet, eadem Præfatio innuit. Quoquo modo res habet, nos certiores jam facimus Lectores noſtros, prodiiſſe haud ita pridem Londini Operis *Burnetiani Tomum ſecundum*, brevi in *Actis* noſtris plenius commemorandum, rogamusque hac occaſione heredes *Burnetianos*, ne diutius Reipublicæ Literariæ invideant Partes reliquas Operis, quod Præſul optimus luci totum deſtinavit, & unde recentiſſima Hiſtoria haud immerito plurimum lucis ſibi non tam pollicetur, quam certiſſime expectat. Mentione autem *Burneti* ſemel facta, quid prohibet, quo minus elogium ejus, ſpeciminis cauſa, ſubjiciamus?

Gilbertus, *Epiſcopus Salisburienſis, ſatus eſt gente apud Scotos florentiſſima* Burnetorum. *Parentem habuit* Cremontum,

Digitized by Google

ex Procerum ordine. Geſſit Profeſſoris partes in Glasgoenſi Academia, fuitque a ſacris domeſticis Duci Hamiltonio; cujus familiæ ut animum probaret ſuum, literarum monumentis conſignavit Commentarios rerum a poſtremis duobus Ducibus ejus nominis geſtarum. Sed amore neptis Hamiltonianæ, *filiæ Comitis Caſſilis, irretitus, cum celari res non poſſet, in Angliam ſe recepit, matrimonioque ea ſibi juncta, partibus, quas adbuc ſequendas duxerat, nuntium miſit, totumque ſe addixit* Lauderdalio *Duci, qui munus ei Sacerdotis in Sacello Regio (Capellanos vulgo appellant,) procuravit, quo vero ſe abdicare coactus eſt, atque ex Anglia auſugere, quod nimiopere pro cathedra invectus eſſet in Papicolas, quorum tum autoritas invaleſcere in Anglia cœperat. Itinere igitur in Italiam ſuſcepto, aliquot ibi annis ſubſtitit, ejusque per modum literarum familiarium edidit Deſcriptionem. Alteram deinde in Belgio fœderato uxorem duxit, ac, facie rerum in Anglia mutata, cum* Guilielmo, *Rege, in patriam redux, Præſulis Salisburienſis partes capeſſivit. Æqualium ei nemo eloquentia par facile poni poteſt. Ex illius Hiſtoria Reformationis, & Explicatione undequadraginta Articulorum fidei, inſignis ejus doctrina ſatis perſpicitur. Sed plures alii, quos edidit, libri prudentiæ & moderationis laudem ei dubiam reddunt. Plurium a ſe Anglorum animos abalienavit, modo a Non-Conformiſtarum ſtando partibus, modo in alia omnia eundo: nihilominus in Curia Parliamenti ſuperiori patriæ meliorique cauſæ plurimum inſervit, Conſtitutionemque, ut Civilem, ita & Eccleſiaſticam, adverſus eorum, qui utramque ſubvertere conantur, machinationes ſtrenue propugnat. Cum ad* Annam *Regni adminiſtratio devolveretur, primus ei Regis* Guilielmi *nuntiavit mortem, eamque Reginam ſalutavit; ademtum ei tamen conclave in Regia eſt, quo utebatur antea, quemadmodum & alia minus honorifica ſecuta ſunt, quæ concoquere eum oportuit. Vir eſt robuſtus, cujus ex vultu animus intrepidus pellucet: annum agit circiter quinquageſimum.*

Ex hoc Elogio de ceteris facile ſententiam ferent Lectores, tametſi, omnia eadem diligentia concinnata eſſe, nemo dixerit. Magna fere in depingendis Virorum illuſtrium ingeniis & mo-

ribus

ribus cum libertate utatur, ita tamen ſibi perpetuo temperat, ut illa in maledicentiam ne degeneret, tametſi in proculcatæ religionis crimine Anglis ſuis objiciendo aliquando paulo pluſculum ſibi fort-ſſe indulget.

Sed, quæ adhuc percenſuimus, libello huic veluti propria cenſeri poſſunt. Non idem dixeris de iis, quæ ſubjiciuntur. Quanquam enim jure hic ſuo locum inveniunt binæ literæ *Sophiæ*, Electricis Hanoveranæ, ad *Jo. Mackium*, quibus ſtudium ejus de ſe prædicat; idem tamen affirmari non poteſt de teſtamenti tabulis Præſulis Salisburienſis, *Gilb. Burneti*, quæ una cum Epitaphio ejus adjectæ comparent. Multo minus hic quærent Theologi caſus conſcientiæ, quos Operi Hiſtoriarum ſui temporis, teſte *Echardo*, Archi-Diacono, ab Autore inſertos, gener ejus, *R. Weſt*, reſecandos putavit, unde excerptos eos ex ſchedis *Burnetianis* Editor huc transferendi conſilium cepit. In iis inquirit *Burnetus* primo, an idoneum divortio aut polygamiæ fundamentum præbeat ſterilitas uxoris, & ſecundo, an, qui polygamiam ſub Evangelii œconomia legitimam reddat, caſus inveniri poſſit. Ad utrumque affirmando reſpondere nullus dubitat, ſed, an rationes, quas affert, ſatis dignæ ſint ingenio tanti Præſulis, alii viderint.

MEMOIRES DE LA COUR D'ESPAGNE, &c.

h. e.

MEMORIÆ AULÆ HISPANICÆ AB ANNO 1679 uſque ad A. 1681, unde patet, quid Joannes Auſtriacus & Dux Medina-Celenſis, cum ſummæ rerum præeſſent, geſſerint, ſimulque alia ad Imperium Hiſpanicum pertinentia cognoſcuntur.

Lutetiæ Pariſiorum, apud Jo. Fr. Joſſe, 1733, 12.
Plag. 16.

Memoriis Memorias, vel, ut rectius loquamur, Commentariis Commentarios ſubjungimus, ſed alterius prorſus generis, qui continenti unius argumenti enarratione, non interrupta

rupta variarum rerum congerie conſtant, atque adeo titulo, quem præferunt, convenientius haud paulo, quam ſuperiores, utuntur. Autori, qui quis fuerit, non ſatis liquet, propoſitum eſt, docere, quænam Aulæ Hiſpanicæ facies ab anno inde undeoctogeſimo, ejusque Menſe Junio, ſuperioris Seculi, uſque ad octogeſimum primum, ejusque Menſem Majum, fuerit, quæ regiminis indoles ac natura, qui primarii rerum gerendarum adminiſtri, quidque brevi hoc temporis intervallo domi forisque Hiſpani geſſerint. Sub initium comparat ſtatum Hiſpaniæ, qualem ante quindecim annos, biennii ibi ſpatio commoratus, deprehenderat, & adminiſtris ſummis & opibus florentem, cum eo, qui poſtea obtinuit, veteris Hiſpaniæ, ſive Proceres ſpectes, ſive reliquos homines privatos, exiguas reliquias ſervante, eamque ipſam Regni florentiſſimi in pejus mutationem præbuiſſe anſam docet hos Commentarios conſcribendi, quibus nihil aliud ſe profitetur ſpectaſſe, quam ut pateat luculenter, quo pacto a priſtino ſplendore ſuo deſciverit Hiſpania, atque ita degenerarit, ut, niſi ſigillatim exponantur omnia, fidem adhibituri Lectores id affirmanti nullam videantur. Hinc, poſt brevem Regiæ Madritenſis Procerumque Aulæ deſcriptionem, *Joannis Auſtriaci*, nothi *Philippi IV*, qui, *Carolo II* Rege, ab anno inde ſeptuageſimo ſeptimo Seculi præterlapſi ſummam rerum in Hiſpania adminiſtravit, noviſſima exponuntur. Is ut d. 15 Cal. Octobr. A. 1679 deceſſit, ita facile intelligitur, non adeo multis agi hic de eo potuiſſe. Digna tamen vel pauca illa, quæ a Lectoribus vitæ ejus cognoſcendæ ſtudioſis curatius expendantur. Sequuntur inde reditus *Mariæ Annæ*, Reginæ matris, a *Joanne* notho, quem diximus, aula expulſæ, adventus conjugis novæ *Caroli II*, filiæ Ducis Aurelianenſis, *Mariæ Ludovicæ*, creatio adminiſtri novi primarii, Ducis Medinacelenſis, quæque inde geſta ſunt uſque ad anni poſt Seculum decimum ſextum octogeſimi primi menſem Majum. Narrationem hanc, quæ tota eo collineat, ut appareat, ſtatum publicum fuiſſe tum longe teterrimæ conditionis in Hiſpania, & non una notatu digna complectentem, excipit deſcriptio Conſiliorum Hiſpaniæ, nempe 1) ſummi, quod Conſilium Status appellant,

pellant, 2) Bellici, 3) Caſtilienſis, 4) Inquiſitionis, 5) Ordinum Equeſtrium, 6) Arragonici, 7) Expeditionum contra infideles ſuſcipiendarum, 8) Italici, 9) Flandrici, 10) redituum, 11) Indici.

ΑΠΑΣΤΕΡΩΣΙΣ, *SIVE IN ASTRUM CONverſio, Elegia, D. EMANUELE MARTINO, Decano Alonenſi, Autore; in qua arcam, vicennalium peregrinationum comitem, itinerum attritu & vetuſtate fatiſcentem, quadam veluti conſecratione collocat; Clariſſimo Viro, J. U. D. D. D. PHILIPPO BULIPHONI, olim in Neapolitano foro cauſarum Patrono, ac poſtmodum in Alonenſi tractu Regii Ærarii Præfecto vigilantiſſimo atque integerrimo, inſcripta. Acceſſerunt nonnullæ eorundem Epiſtolæ, ad idem argumentum ſpectantes.*

Mantuæ Carpetanorum, ex typographia Nicolai Rodriguez Francos, 1722, 4.

Plag. 10.

Emanuel Martinus, Decanus Alonenſis, cum aliquando in ſeceſſu ſuo ruſticationi vacaret, animi cauſa elegantiſſimam hanc Elegiam condidit, qua arcam ſuam, omnium per viginti annos itinerum comitem, nunc autem vetuſtate tantum non collapſam, inter aſtra refert, eodemque modo itinerum ſuorum terra marique ſuſceptorum rationes enarrat. Quæ quoniam *Philippo Buliphoni*, in Alonenſi tractu Regii Ærarii Præfecto, inſcripta ab Autore, propter veterem neceſſitudinem, & miſſa fuit Elegia, hic ipſe fratrem ſuum, *Cæſarem Buliphonem*, incitavit, ut eandem ſuis curis ederet, ut in plurium manus lepidum ejusmodi Carmen veniret. Paruit ille, ſed ſimul varias utriusque hujus Viri Epiſtolas, quæ ad Elegiæ argumentum pertinere, ſenſumque intellectu faciliorem reddere, videbantur, duas etiam *Joannis Interiani de Ayala*, Theologi Salmaticenſis, ut Opuſculum locupletius eſſet pleniusque, expromſit, & Præfatione ſat copioſa, qua de Autoris vita librisque adhuc ineditis maximam partem agit, ornavit. Nos operæ pretium fore exiſtimamus, ſi, cum non ubique

 exſtet

Digitized by Google

exſtet doctorum ex Hiſpanis virorum memoria, ejus ſumma a nobis breviter excerpatur. *Martinus* itaque ille natus eſt Oropeſiæ, parvo oppidulo in Edetanis, magnamque ingenii aciem & vim nactus, ſumma celeritate in omnibus artibus ſcientiisque profecit, &, vix inita adoleſcentia, cupide incenſus deſiderio humanioris atque abſtruſioris diſciplinæ, Græcarumque literarum, Romam perrexit, & in Bibliothecis per multos annos abditus fuit, inprimis autem Cardinali *Aguirrio* adhæſit, & a Bibliotheca poſtmodum fuit, eidemque, eo tempore propter valetudinis incommoda ſtudiorum labori ferendo non pari, in Veteri Bibliotheca *Nicolai Antonii*, & nova Conciliorum Hiſpanenſium, novique orbis Sylloge illuſtranda ac typis mandanda egregiam operam navavit, ſimulque facultatem nactus eſt, Notas addendi ipſius Cardinalis nomine, ubicunque libuiſſet. Acceptiſſimus etiam fuit *Innocentio XII*, Pontifici Maximo, Cardinalibusque *Noriſio*, *Caſanata*, & *Carpinio*, qui ab eodem *Innocentio* impetrarunt, ut, quod illuſtrius pinguiusque Sacerdotium in Hiſpania primo quoque tempore vacaret, *Martino* tribueretur: qui ſubinde, Alonenſis Decanatus munere, quod unicum ea tempeſtate vacare obtigerat, cohoneſtatus, in Hiſpaniam revertit. Sed triennium tantum Alonæ commoratus, Romanæ Curiæ indulgentia, propter majorem valetudinem, qua id temporis laborabat, coadjutorem ſibi alium eruditum virum cooptavit, atque, Valentiæ primum laribus conſtitutis, a *Ludovicola Cerda*, Metimnæ Cœlitenſium Duce, magnis flagitationibus Mantuam Carpetanorum arceſſitus eſt, ut illi eſſet a Bibliotheca. Non ſolum vero Romam denuo profectus eſt, ſed variis etiam occaſionibus illuſtriores Hiſpaniæ provincias peragravit, &, quemadmodum fere totus fuit in omnis vetuſtatis veſtigiis priſcorumque temporum monumentis perſcrutandis veſtigandisque; Numismatibus præterea & ſcriptis Codicibus eruendis & aucupandis, ut plerisque de rebus luculentiſſimas Diſſertationes conſcripſerit, ita mirifice ſuum muſeum ejusmodi opibus auxit. Inter alia iis itineribus debetur eruditiſſima Diſſertatio *de Theatro Saguntino*, quæ in præſtantiſſimo Antiquitatis explicatæ Opere *Monteſalconiano* exſtat. In pluteis vero Doctiſſ. Viri adhuc aſſer-

aſſervantur Verſio quatuor Voluminum *Euſtathii* Commentariorum in *Homerum,* affecta quidem, ſed nondum ad umbilicum perducta plane, propterea quod Autor ex *Montefalconio* intellexerat, ab alio quodam Gallo docto viro idem Opus jam abſolutum fuiſſe, ac brevi editum iri ; *Phlegontis, Adriani* Imperatoris liberti, Olympiadarum hiſtoriæ Epitome, Latine verſa, Notisque illuſtrata ; Notæ in *Theocritum*, & *Ariſtophanis* Comœdias ; Tractatus de animi affectionibus, ad Stoicorum ſententiam ; magnum Etymologiarum Latinæ linguæ Volumen ; Satyromaſtix, ſive Notæ Criticæ in *Q. Sectani* Satyras, Collectio Inſcriptionum antiquarum ad quingentas, *Grutero, Reineſio, Fabretto* prætermiſſarum ; ingens Volumen Epiſtolarum Latinarum ; item Carminum Græcorum Latinorum, Italicorum, Hiſpanenſium. Ut vero omnem prope linguarum, Græcæ inprimis & Latinæ, humanitatis, Hiſtoriarum, Antiquitatum, Critices, aliarumque artium, notitiam funditus exhauſiſſe Vir ille commemoratur ; ita cum uterque *Bulipho*, tum *Interianus de Ayala*, reliquique libri Cenſores, in ejusdem præcipue utroque Latinæ orationis genere propter caſtimoniam & elegantiam laudando & extollendo inter ſe velut certare videntur. Quin imo Theologus ille Salmanticenſis emeritus Apollinem & Mercurium orat, ut *Martinum* ſalvum & ſoſpitem diu conſervent, prædicitque, fore, ut hic illorum aliquando forſan conciliis interſit:

Conſcripturus Epiſtolas Deorum,
Dignas, quæ ſuperis cadant ab aſtris.

Neque tamen hujus ſolum, ſed reliquorum etiam ad unum omnium, quorum literæ in Faſciculo hoc continentur, dictionem Latinam terſam eſſe & comtam, candide teſtamur. Ut adeo pateat, quamvis, quod iidem dolent, jaceant in Hiſpania manſuetiores literæ, ſupereſſe tamen nonnullos, per quos iisdem ſuum decus ſuumque pretium conſtet. Quæ cauſa etiam nos movit, ut rarius hoc exemplum Annalium noſtrorum memoriæ mandaremus. Unum vero non placet, ſtili ſcilicet, quem vocant, ethnicismus, frequens & ubique obvius in omnium oratione, eorum quoque, qui ſacro ordini adſcribuntur. Sed, ut ad elegantiam redeamus, de ea recto exiſtimaſſe

nobis videtur *Philippus Bulipho*, quando, *in hiſce*, inquit, *verſibus bene te ipſum ſuperaſti. Ea eſt enim ſuaviſſimi Carminis ſponte ſua fluens facilitas, ac vernacula elegantia, ut omnes Veneres Cupidinesque, omnes denique jocos & lepores, tibi in ea ſcribenda affuiſſe cenſeam.* Ut vero ſitim Lectorum, qui has delicias amant, aliquantum reſtinguamus, damus ſpeciminis loco ejus initium:

Arca rigens clavis, & pelle Libyſtidis urſæ,
Arca mea facilis tu comes una viæ,
Heu! miſeranda jaces, attritu & pulvere fœda,
Proſcinditque tuum plurima rima latus.
Compages etenim jam nullo inſignis honore,
Prodita villoſo tergore putris hiat.
Nec compacta manent, crebroque foramine ſordent
Ipſa ruinoſo lintea ſarta ſinu.
Quin etiam ferrum decrevit tempore, & ipſa
Decipit incautas anſa caduca manus.
Denique jam reddis ſordentem pulvere veſtem
Excipis & pluvium pervia tota Jovem.
Bis denas hiemes, variis erroribus acta,
Duraſti, arcanis fida miniſtra meis.
Per freta, per ſcopulos, per inhoſpita marmora ponti,
Trajectusque vagos prætereuntis aquæ;
Per nemora umbroſa, & præruptos cautibus Alpes,
Quicquid & obſtrepera tunditur uſque rota,
Hæſiſti domino, non fracta laboribus unquam,
Aut onus obtrectans fune ligata gravi. &c.

Poſtquam toto Carmine varia illa itinera, eorumque pericula, copioſe accurateque perſecutus, cohibitoque itinerum futurorum amore, arcæ ſuæ bene precatus eſt, eandem inter aſtra refert his verbis:

Utque exantlati referas majora laboris
Præmia, fixa polo nobile ſidus eris.
Jamque appellabit te Graja carina Ciboton,
Tu ſolers arcam nauta Latine voca.

Te

Te exoriente hilares ſulcabunt alta carinæ,
Et linquet clauſas navita tutus aquas.
Placabis fluctus tempeſtateſque ſonantes,
Et dabis Alcyones ſtella benigna dies.
Ipſa viatori ſplendebis lumen amicum,
Atque is ſecurum te duce carpet iter.

In Epiſtolis adjectis pauca exſtant, quæ huc referri digna videantur. *Pag. 30 Gravina*, clariſſimus ille Romanorum Jureconſultus, una & Philoſophiæ & loculis deditus eſſe, & pecunia adeo pollere, commemoratur, ut vel ipſum *Craſſum* provocare queat divitiis. *Pag. 38* laudanda utique Hiſpani de Tragœdiarum dictione eſt ſententia, qua eam apertam, non humilem, non inopem, ſed quæ dignos & proprios cuique perſonæ mores exprimat, præterea ſuis locis probe exſculptam & exornatam ſententiis, neque tamen a naturalis ſermonis lege, atque a recta ipſius naturæ imitatione, adeo alienam, diſertis his verbis requirit, neque ita neceſſe eſſe ait, in iis principes viros inflatis buccis loqui altitonantia verba, ſeu potius fulmina verborum, cum utique diſcrimen aliquod intercedat inter extemporalem optimatum orationem, & illam, quæ longo ſtudio, cura, ac labore, in foro, aut in roſtris, vel in Senatu, ab Oratoribus exhibetur. *Pag. 43* inſcitia cum faſtu conjuncta Præneſtini cujusdam Antiquarii, ut id genus hominum in Italia vocari ſolet, recitatis lepidis aliquot ejus exemplis, ſalſe deridetur. *Pag. 44* refertur, ſigma illud ſalcatum, ſive lunata forma, inter characteres Græcos, per Muſaicum pavimentum templi Præneſtini, a *Sulla* exſtructi, ſparſos, occurrere, atque hoc intemeratæ fidei teſtimonio jugulari opiniones Criticorum quorundam, qui illud ſigma circa *Antoninorum* tempora in Occidentem primum invectum putant, alii vero retrahunt ad *Auguſti* ævum. *Pag. 46* narratur, inter veteris Tuſculi reliquias eſſe ædificium quoddam nobile, ac vel ſemirutum, majeſtatem quandam præ ſe ferens, quod fuiſſe *Ciceronis* villam, fama eſt. *Pag. 56* inſignis Typographorum Hiſpanenſium in libris, præcipue Latinis, multoque magis, ſi Græca admixta ſunt, im-

Digitized by Google

primendis inſcitia notatur. Atque ejus rei vel ipſe hic libellus teſtis eſt, cujus præcipue verba Græca, quamvis non adeo multa, hinc inde in mendis cubant.

JOANNIS CHECCOTII, S. S. VICENTINÆ Eccleſiæ Presbyteri, Canonici, atque Theologi, de Hiſtoria Eccleſiaſtica Diſſertatio, habita in illuſtri Gymnaſio Patavino.

Venetiis, apud Chriſtophorum Zane, 1727, 4 maj.
Plag. 19.

Idem, ni fallimur, *Checcotius* eſt, cujus Epiſtolam Apologeticam *Jo. Georg. Triſſini* in Diario Italico, *Giornale de' Letterati, Tom. XXXII Art. VIII pag. 229* memorat affixam libro, cui titulus: *La Coltivazione di Luigi Alamanni, e le Api di Giovanni Rucellai, &c.* Patav. 1718, 4.
Pag. 4. Iſte Vir Pl. Rev. primus eſt, quem Senatus inclytæ Reipublicæ Venetæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam in celeberrimo Patavino Gymnaſio ſolam docere juſſit. Hoc
5. equidem negotii datum erat *Franciſco Alexandro Burgos*, ex Ordine Minorum Conventuali, ut, qui in illa celeberrima alma Metaphyſicam doceret, prælectionum ſuarum argumentum ita diſtribueret, ut per duas anni ſcholaſtici partes Eccleſiaſtica Hiſtoria, tertia vero Metaphyſica ſcientia exponeretur. Avocabatur inde A. 1726 *Burgos* ad Epiſcopatum Catinenſem, quo vix inito, vita excedebat. *Burgoſio* in munere Patavino ſuccedebat Vir Pl. Rev. *Checcotius*, imo conſtituebatur, ut omnem ſuam operam in Hiſtoria Eccleſiaſtica unice collocaret. Eam novam provinciam ut rite & more majorum or-
27. diretur, recitavit d. 16 Cal. Febr. A. 1727 hanc de Hiſtoria Eccleſiaſtica Orationem, quam pleniorem typis commiſit, iis, quæ inde a *pag. 27* leguntur, additis. Ob adverſam valetudinem Autoris dum in nonum fere menſem premitur Oratio, variæ fuerunt natæ Obſervationes, quæ ut potiora veterum loca, ita præcipue ſacra oracula, referunt, ac in ima cera cujusque paginæ leguntur. Præſedit autem in hac inauguratione *Domini-*

cus

Digitized by Google

cus Ruzinus, Prætor Patavinæ urbis. Dedicatum Opus eſt Ill. atque Excell. Triumviris, *Carolo Ruzino*, & *Aloyſio Piſano*, Equitibus ac D. Marci Procuratoribus, itemque *Jo. Petr. Paſchalio*, qui cum præcedente Reformatores Studiorum Patavii illo tempore agebant. In ipſa ergo Oratione, præmiſſis quibusdam generalioribus, primo loco diſſeritur, *per quaenam ſtudia ante Hiſtoriam ei conſcribendæ via quaſi conſtrata apud* Pag. 7 ſeq.
Hebræos fuerit, inde quibus de cauſis & quando, quibusque auſpiciis Hiſtoria orta, quem denique in Judaicæ Philoſophiæ ordine locum habuerit. Ne autem neſcias, quæ Noſtro de Hiſtoria Eccleſiaſtica ſit ſententia, en! accipe ejusdem definitionem: *Eccleſiaſtica Hiſtoria eſt fæderis a Deo cum Abra-* 19.
hamo in electo ſemine initi, hoc eſt, veriſſimæ ac vetuſtiſſimæ Theologiæ per multos doctrinæ ac legum & cerimoniarum gradus, plurimasque rerum geſtarum facies, nunquam ad hanc uſque diem intermiſſa confirmatio. Loquendi ratio, qua ſingula hæc executus eſt, non una ex multis, adeo luxuriat allegoriis, ſummaque cum ſolicitudine veterum ſcrinia excuſſiſſe videtur, ne qua vox excideret, quam non ſive ſacer, ſive profanus aliquis Autor præiret; quam in rem ipſa loca, unde ſua deſumſit, adducere, eaque illuſtrare, ipſum non tædet. Nobis ſufficiat, ex eruditionis, qua Diſſertatio hæc abundat, farragine ea veluti digito monſtrare, quæ potiſſimum oculos noſtros feriunt. *Luc. XXII, 53*, ἡ ἐξȣσία τȣ͂ σκότȣ ad te- 28.
nebras Ægyptiorum, cum Hebræi Paſcha celebraturi eſſent, reſpicit ex mente Oratoris noſtri; eidemque משא *Eſ. XIII, 1*, 32.
rectius per *acceptionem* exprimitur; *Baal* & *Lar* cenſetur 53.
idem; ad illuſtrandum *Judic. VI, 18 ſeq.* multa docte affert. 58.
Ex *Eſ. LIII, 9*, ואת עשיר במתיו ויתן את רשעים קברו 62.
hunc ſenſum conficit: *Et dabit Deus impios in exequias & funus ejus, & divites multos pro morte ejus*, vel etiam: *multas victimas pro morte ejus.* Quam verborum vim ut adſtruat, varias affert Criticorum ex penu depromtas Obſervationes, huncque locum interpretandum putat ex antiquiſſimo ritu gentium orientalium, quo ad magnorum Ducum tumulos honoris cauſa captivos ex hoſtibus jugulabant, de quo

ritu

Digitized by Google

ritu longe plura aliquot Diſſertationibus de Ἀνθρωποθυσία in
commune apud nos poſuit Cl. *Paulus Daniel Longolius*, bre-
vique ſimul integro Commentario ſiſtet. Nec minorem He-
Pag. 64 ſeq. braicam Græcamque doctrinam prodit in interpretandis *Rom.*
69 ſeq. *VIII, 3*, & *1 Petr. I, 11.* Componit *Eſ. X, 17*, cum *Exod. X, 23.*
72. Vocem נסרוח ortam cenſet ex נין, *filius*, & סרוחים,
80. *diademata*, quaſi נין סרוח, *filius diadematis*, qui nihil
110 ſeq. aliud, quam *Baal*, ſit. Acceſſerunt Operi in calce locus
112 ſeq. ex *Irenæi Lib. I Cap. IV*, itemque peculiares Diſſertationes in
121 ſeq. *Herodoti Lib. II Cap. CXLI*, & *Actor. III, 19 ſeq.* de ἀποκα-
ταστάσει. Ceterum quod in Noſtro maxime laudemus, eſt ſin-
gularis modeſtia, præcipue ſi qua de iis, qui aliis religionibus
addicti ſunt, cenſura. Dolemus autem ſupinam typothetarum
negligentiam, qua potiſſimum Hebraicæ voces ad modum ma-
le fuerunt habitæ, quæ menda ſi indicanda, illorum numerum,
quæ ultima dat pagina, multum ſuperarent.

C. PLINII SECUNDI HISTORIÆ NATUralis ad Titum, Imperatorem, Præfatio. Ex MSS. & veteri editione recenſuit, & Notis illuſtravit DAVID DURANDUS.

Londini, apud Guilielmum Innys, 1728, 8.
Plag. $5\frac{1}{2}$.

Cum Cl. *Durandus* in Bibliotheca Societatis Regiæ Londinenſis Codicem reperiſſet MStum, qui Præfationem *Plinii* Hiſtoriæ Naturali præmiſſam variis in locis non aliter ſolum, verum etiam quandoque melius, exhiberet, quam in præſtantiſſima *Harduini* editione legeretur, operæ pretium ſibi viſus eſt Vir Doctiſſ. facere, ſi hanc ipſam Præfationem ea, qua in laudato Codice manu exarato exſtat, ratione typis exſcribendam curaret, eoque pacto in majori luce poneret *Plinium* ipſum. Itaque ex Codice, quem uſurpavit, *Durandus* non tantum *Plinii* Præfationem jam memoratam, ſed & vitam *Plinii Secundi* ex Catalogo Virorum illuſtrium *Tranquilli* exhibuit.

Quo

Digitized by Google

Quo vero majorem quaſi Codici MStò fidem conciliaret, con-
ſulendam quoque ſibi exiſtimavit editionem *Plinii* Venetam,
eamque primam, adeoque antiquiſſimam. Ex his igitur duo-
bus libris hos fere *Plinii* locos haud infeliciter emendavit.
Sic ab initio ſtatim Præfationis, ubi *Harduinus* habet ***natum*** Pag. 1.
apud me, *Durandus* ex Codice MSto refert ***natos***, ita, ut non
ad ***opus***, ſed ad ***libros***, in antecedentibus pertineat. Nec mul-
to poſt, quando ab illo editum erat, ***quoniam volebat æſtima-***
ri ea, nunc hic expreſſum datur, ***quæ volebat æſtimari***, ex
MSto & editione Veneta prima. Num. 3 pro ***defendimus*** reſtitu- 3.
tum eſt ***defendimur*** ex iiſdem fontibus. Num. 4 *Harduinus* 4.
edidit, ***hoc ſe facere pro innocentia, quod rebus humanis ſum-***
mum eſſet, Noſter dedit ex MSto: ***Hoc ſe facere, quod tum***
Porcio innocentia rebus humanis ſumma ineſſet. Num. 6 7.
pro *Harduini* lectione, ***ex exquiſitis Autoribus***, hic eſt ***ex***
quæſitis Autoribus, & num. 7 pro ***ſarcitur*** legitur ***ſancitur.*** 9.
Num. 9 pro ***ex illis nos intelligi velim*** habetur, ***ex illis mox*** 10.
intelligi velim, & pro ***omnibus***, ***quæ edidi***, conſpicitur ***omni-***
bus, quos edidi, pro ***obtrectatione alienæ ſcientiæ*** viſitur ***obtre-*** 11.
ctatione aliena ſcientia, & pro ***ne reſpondere poſſet*** legitur
nec reſpondere poſſe. Quemadmodum vero in Annotationi-
bus, ipſi Præfationi ſubjectis, lectionis exhibitæ rationes reddi-
dit Doctiſſ. Editor, ſic non raro ab *Harduini* explicationibus
diſceſſit, & *Plinianæ* ſententiæ lucem affudit. Immo non-
nunquam conjectura quadam corruptæ lectioni non dubitavit
medicinam afferre. Sic, quando num. 3 in editionibus, quæ 4.
exſtant, plerisque adhuc lectum fuit, ***cum apud Catonem illum,***
ambitus hoſtem, & repulſis, tanquam honoribus ineptis, gau-
dentem, &c. Doctiſſ. *Durandus* ex *Tacito Lib. II Hiſtor. Cap.* 9.
XL, ubi ita, ***deditque poſtea Conſulatum Simplici, innoxium***
& inemtum, *Plinio* quoque reſtituit ***honoribus inemtis***, pro
vulgari illo, ***honoribus ineptis.*** Et num. 5, invitis licet omni- 36.
bus libris atque editionibus, in quibus legitur ***natura ſua***
omnia, intrepidus poſuit ***naturæ ſua omnia***, qua de re in ipſis 45.
Annotationibus agit copioſius.

TRACTATIO JURIDICO-HISTORICA DE Expectativis & Inveſtitura eventuali; præmiſſa Epiſtola JO. PAULI KRESSII, edidit HENR. ANDR. KOCH.

Helmſtadii, apud Chriſtian. Frid. Weygandum, 1735, 4.
Plag. 22.

Expectativarum, ut ajunt, argumentum, etſi nobiliſſimam, Ju-
ris potiſſimum Feudalis, conſtituat partem, non ea tamen,
quam dignitas ejus poſtulare videtur, diligentia huc uſque fuiſſe
pertractatum, quin potius pluribus adhuc Doctorum erroribus ja-
cere involutum, nemo eſt inter artis peritos, qui facile inficias eat.
Quo majori itaque ſtudio illud perſecutus eſt præſentis Opuſcu-
li Cl. Autor, eo magis laborum ſuorum hunc meretur fructum,
quem Cel. *Kreſſius* ipſi præmiſſa in Epiſtola, quæ Commenta-
tionis hujus docet præſtantiam, haud vano augurio eſt augu-
ratus. *Tria* autem in *Capita* Tractationem ſuam diſtinxit Cl.
Pag. 3. Autor, quorum *primum* agit de *Expectativa in genere*, in
5. quo ipſius definitio, variæ denominationes, inprimis Germani-
7-12. cæ, ex antiquitate eruuntur, origo demonſtratur, juſtitia vindi-
14. catur, diviſiones nonnullæ afferuntur, jus denique concedendi
expectativam, & quæ illi ſunt annexa, examinantur. In de-
17-23. cidendis Quæſtionibus, quarum non exiguum numerum con-
ſpicere licet allatum, ſaniora ubique principia ſequitur Cl. Au-
tor, additis interdum, quæ ad Juriſprudentiam caventem ſpecta-
46. re videntur. Tunc modi Expectativas tollendi recenſentur.
56. Ubi inprimis e veteri Germanorum Jure ac moribus monſtrat
Cl. Autor, eos quoque Imperii noſtri Proceres, qui a ſeculo
nomen trahunt, Expectativas anteceſſorum ſervare haud eſſe
obſtrictos, niſi & eorum conſenſu fuerint conceſſæ; quam qui-
58. 59. dem aſſertionem domus Brunſuicenſis exemplo comprobat, in
medium ideo proferens *Auguſti*, Ducis, Mandatum, quod no-
tari omnino meretur. *Caput*, quod ſequitur, *ſecundum Ex-*
61. *pectativam Eccleſiaſticam* perſequitur. Ortæ ejusmodi Ex-
pectativæ potiſſimum, cum beneficiorum Eccleſiaſticorum col-
latio

Digitized by Google

latio ad unius pervenit arbitrium. Quoniam vero maximam partem proviſionum elogio comprehendi ſolent, harum accuratam Cl. Autor ſuppeditavit hiſtoriam. Quam nimirum providendi de uno alterove beneficio facultatem patronorum negligentia, aut precibus primum obtinuerant Pontifices Romani, mox Mandatis ſeveriſſimis exercebant, eaque graviſſime Pag. 64.
abutebantur. Ortis inde acerbiſſimis querelis, nec defuerunt, 66.
qui ſcriptis earum iniquitatem monſtrarent & impietatem.
Principes quoque & Patroni huic malo diverſis obviam ire re- 67.68.
mediis tentarunt. Inprimis memoria dignus eſt locus, quem
e MSto Moguntino, A. 1440 compoſito, produxit Cl. Autor, 70.
Curiæ Romanæ abuſus circa proviſiones egregie declarans.
Ad Germaniæ autem Eccleſias quod attinet, earum plerasque 72.
ſuis quondam Præſulibus ornabant Imperatores Romani, vacatura etiam interdum beneficia in futurum promittentes. Aſt,
relicta poſt varias contentiones capitulis eligendi libertate, pro- 74.
viſionibus mirum quantum & has Eccleſias vexarunt Romani 75.
Pontifices, donec huic quoque abuſui obicem ponere *Ludovi-* 77.
cus IV, Imperator, & alii, conarentur. Enata tandem poſt va- 81.
ria hinc inde acta nationis Germanicæ Concordata, non niſi in univerſæ gentis Germanorum opprobrium confecta, ipſique
adeo funeſta. Sub finem Capitis limitatam admodum his 83.
temporibus Pontificum circa proviſiones poteſtatem monſtrat, 84.
ut & Coadjutorias, ut ita dicam, Expectativarum ſcilicet Eccle- 88.
ſiaſticarum genus, erudite explicat Cl. Autor. Peculiare videtur, quod quondam Pomeraniæ Duces poſt ſacrorum converſionem paſtoribus ſuis lege quadam injunxerint, ut anteceſſorum viduas vel filias matrimonio ſibi jungerent.
Caput denique *tertium de Expectativa Feudali & Eventuali* 90.
eſt inſcriptum. Expectativarum igitur Feudalium origines quo redderet clariores Doctiſſ. Autor, ſucceſſionis Feudalis hiſtoriam duxit præmittendam, a Feudis Regni Germaniæ majoribus
initium faciens, ac per temporum ſeriem perſequens. Inpri- 97.
mis *Gundlingium*, qui e quodam *Wipponis* loco, *Conradum Sa-*
licum perpetua lege filiis ſuccedendi jus in Feudis tribuiſſe, pro- 99.
bare conatur, refutat, citatum *Wipponis* locum de obſervantia,

Pag. 100. vel permiſſione aut gratia Imperatoris, explicans. Ejusdem enim Imperatoris Conſtitutio, in gratiam Italorum lata, quæ contrarium teſtari videtur, Italos ſolum obligavit, quid? quod & adducta exempla Cl. Autoris ſententiam abunde comprobant. Ita quoque ſeſe habere videtur, quod idem *Gundlingius Lothario Saxoni* adſcribit integrum legum beneficiariarum ſyſtema,
104. quod una cum *Marquardi*, Abbatis Fuldenſis, *Lehn-Recht*, &
109. *Henrici VI* Sanctione, quæ, aſſerente eodem *Gundlingio*, ſuc-
111. ceſſionem in Feudis agnatorum in tuto collocaſſe dicitur, fabu-
113. lis annumerat Cl. Autor pactum dicti *Henrici* cum Imperii ordinibus, ad quod potiſſimum provocare ſolent hujus ſententiæ defenſores, nunquam exſtitiſſe, multis demonſtrans argu-
117. mentis. Succeſſionem Feudalem inveſtituræ, ſi ita loqui fas eſt, eventualis, ſub qua & ſimultaneam comprehendit Cl. Autor,
126. origo & hiſtoria excipit, ubi *Jo. Petr. de Ludewig*, omnia Germaniæ Feuda, & inprimis Saxonica, pronuntians oblata, indeque ſucceſſionem agnatorum neceſſariam olim fuiſſe ſine ulla inveſtituræ eventualis neceſſitate, concludens, ſolide a Cl. Autore
132. refutatur. Sequuntur inveſtituræ eventualis, ut & ejusdem re-
135. novationis, effectus, ubi inprimis, agnatis ut præ aliis Expectativam concedat, Dominum haud cogi poſſe, docet Cl.
137. Autor. Tandem de Inveſtitura agitur pura viventis, item
138. putativa, de detrimento per Expectativam non inferendo, deque conſenſu expectativati in alienationem, ut & de conſenſu
139. Domini in alienationem Feudi promiſſi, & feloniæ circa illud remiſſione, de modis porro finiendi Expectativam, agnatione
141. ſcilicet poſthumi, & refutatione Feudi, de ſucceſſione tituli ſin-
145. gularis, negligentia, felonia, ejusque remiſſione, emtione Feudi
147. per Expectativatum, de ſucceſſione Clericorum Feudali, quæ
151. jure quidem Clericis denegatur, ac denique expectationis domus Brunſuicenſis in Comitatus Stadenſem, Peinenſem, Hohenſteinenſem, Reinſteinenſem, &, quam Sereniſſima hæc gens Waldeccenſibus contulit in Comitatum Spigelbergenſem, qui & caſu exiſtente Waldeccenſibus traditus fuit. Quæ omnia ſingulari eruditione Cl. Autor perſequitur.

Digitized by Google

FRIDERICI HOFFMANNI CONSULTAtionum & Reſponſorum Medicinalium Centuria prima, complectens morbos capitis & pectoris Tomus I. Earundem Centuria ſecunda & tertia, complectens morbos abdominis & artuum externorum Tomus II. Cum Indice locupletiſſimo, & recenſione ſcriptorum, ab Autore editorum.

Halæ, in officina Rengeriana, 1734. 4.

Tomus I Alph. 2 pl. 14, Tomus II Alph. 4 pl. 20.

Cum alii plures doctiſſimi Medici, tum maxime Hl. Autor a longis jam annis, & in ipſa denuo præſentis Libri Præfatione, diligentiſſime inculcarunt, obſervationes morborum curationumque completas fundamentum omnis doctrinæ medicæ, dignasque adeo eſſe, quæ maximo ſemper in pretio habeantur, & ab ingenuis Medicis, quibus earum colligendarum & occaſio & facultas obtigit, copioſe enarrentur. Quare, cum ipſemet per tot annos domi forisque, maximo ægrotantium emolumento, & ampliſſima nominis ſui gloria, artem medicam exercuerit, ac proinde præ mille aliis ejusmodi morborum hiſtorias condendi habuerit copiam, eandem quoque operam, quam aliis iterum iterumque commendaverat, ſuſcepit, ut iis, in quod intuerentur, eſſet exemplum, & de graviſſimis & difficillimis morbis, quorum cauſa conſilium, maxime ab exteris, rogatus fuit, obſervationes maxime completas, *decem* nunc *Tomis*, diverſo tempore editis, in publicam lucem emiſit. Quandoquidem vero ob ſermonem patrium, quo Conſultationes illæ maximam partem primum ſcriptæ, & deinceps publicatæ erant, exiguus & nullus fere ad exteros redundabat fructus, earum præcipuas Latine verſas *duobus* his *Tomis* ſiſtit, easque novis quibusdam auctas, & ſecundum diverſas corporis partes in ordinem redactas. *Tomo* enim *priori* capitis & thoracis, *poſteriori* autem abdominis, artuum, & univerſi corporis, morbi percenſentur. Nos non dubitamus, exteris

non minus gratas fore has Conſultationes, quam noſtratibus Medicis huc uſque fuerunt. Maxima pars agit de morbis chronicis, quos ſanandi ſimpliciſſima atque tutiſſima methodus traditur. Videas enim non tam medicamenta multa arte parata,& Chymicorum igne extorta,aut operoſe commixta, & vehementiori agendi vi prædita,quam leniſſima diætetica, utplurimum ibi dilaudari, e. g. aquas minerales frigidas & calidas, ſine & cum lacte, præcipue aſinino, lac ipſum, & ſerum lactis, infuſa theiformia, decocta temperatiora, aquam ſimplicem, balnea vel naturalia, vel arte ex aqua fluviali confecta, quorum continuato uſu utique atroces ſæpenumero & diuturni morbi profligantur.

PAULI GOTTLIEB WERLHOFII, MEDICI in Aula Hanoverana Regii, Cautiones Medicæ de limitandis laudibus & vituperiis morborum & remediorum.

Hanoveræ, ſumtibus hæredum Nicolai Fœrſteri & filii, 1734, 4. Alph. 1.

Obſervationum de febribus elegantiſſimarum, quas Cl. Auctor nuper edidit,nosque in his Annalibus noſtris *Anni 1734 Menſ. Jul. pag. 315 ſeq.* prout par erat, collaudavimus,magna huc uſque inter eruditos & ingenuos Medicos fuit exiſtimatio,communisque fere plauſus. Fuit tamen Cl. *Gælickenius*, qui, quod, corticis peruviani adverſus febres efficaciam mirifice inibi extolli, ſuas vero, quas de impoſtura illius corticis, item de uſu ejus, quamvis recto, tamen noxio, in cathedra publica habuerat, Diſſertationes itentidem ſolicitari, cerneret, id ſibi negotii datum credidit, ut alia Diſſertatione,de laude febris falſo ſuſpecta, febrim ſua indole, ſuis motibus, nunquam nocere, ſed ſemper laudabilem eſſe ſapientis naturæ conatum, nunquam medicina febrifuga avertendum, aut cohibendum, contenderet, eademque occaſione *Werlhoſianum* librum variis in locis caſtigaret. Quanquam vero Doctiſſ. *Werlhoſius* ubique propemodum

modum de injuriis conviciisque *Gælickenianis* queritur, his tamen ſe deterreri non paſſus eſt, quo minus novo hoc libro laudibus febris & cenſuræ corticis peruviani limites poſiturus, ſuas ſententias pro virili tueretur. Ne vero privatam tantum rem ageret, ſed publico etiam artis medicæ cultorum bono operam hac occaſione denuo navaret, eo animo Diſſertationem de itidem limitandis morborum vituperiis laudibusque medelarum præmittere inſtituit. In *duas* itaque *Sectiones* ſponte Opuſculum dividitur. In *priori*, nihil eſſe tam noxium, oſtendit, quin aliquando ſalutare evadat; nihil e contrario tam innoxium vel utile, quin aliquando noxam afferat. Unde quidem conſequitur, rerum medicarum omnium eam eſſe indolem, ut laudes ipſarum & vituperia limites admittant. Cum naturæ morborum medicatrices vulgo etiam appellentur, multa hic egregie de natura diſputat, ejusque veram notionem eruit & vindicat; eſſe ſcilicet eam vim quandam naturalem, quæ præter artis potentiam ordinate in humano corpore operetur, & in ſanitatem vel conſervandam, vel reſtituendam, congruis motibus tendat, & conſiſtere illam in divino ſtructuræ, connexionis, & proportionum in corpore vivo, ac ejus ſolidis fluidisque omnibus partibus, artificio, quod per fibrarum & humorum robur directionem ac niſum, cuilibet particulæ ad ſubtiliſſimas uſque impreſſum, ad aliena ſponte ſubigenda atque exſpumanda apprime pronum ſit, quæ & ipſa partim eodem ſua ſponte nitantur. Et, cum nonnulli, ut probent, principium aliquod intelligens hoc naturæ nomine intelligendum eſſe, magna confidentia ad monſtra & naturæ errores provocent, in iis quoque ordinem eſſe mechanicum, adeoque cum mechanicis principiis optime conciliari, ſapientiamque plusquam humanam in motibus corporis adminiſtrandis elucere, oſtendit. Ex morbis complures ſalutari exitu terminantur, quique adeo immerito timentur, & vituperantur magis, quam nocent, quamvis & multi jugulent, qui ignaros vel incautos non terruerunt. Similiter efficaciora remedia omnia ita comparata eſſe comperimus, ut nonnunquam terreant ignaros, cum noxia eſſe nequeant, noceantque abuſu, ubi non terruerunt.

Quæ

Digitized by Google

Quæ hic generatim edixit, per exempla deinceps varii generis magis confirmat. Et primo id quidem in profluviis ſanguinis & ſeri variis commonſtrat, eorumque vituperiis, & viciſſim encomiis ſiſtentium remediorum, & laudibus medicamentorum minus in iis efficacium, obicem eſſe ponendum, monet. Ex morbis congeſtionum podagram præcipue perſequitur, quam ſine diſcrimine conviciis proſcindi vetat, cum a variis ſæpe morbis corpus præſervet, materia vitioſa ad extremitates projecta. Hæc vero materia Doctiſſ. Autori nihil aliud eſſe videtur, quam quædam portio ſanguinis veri cum implicitis partibus chyloſis, bilioſis, ac ſeminalibus, ſubtiliori & profundiori corruptione inquinata, ac per intervallorum periodos, maturatione facta, emergens in indolem naturali magis elaſticam, calidiorem, graviorem, ſerum inſpiſſantem haud ſine ſtimulo inflammante acriuſculo; quibus ex cauſis per hæmorrhoidum vias ſeſe deſpumare, vel etiam potiſſimum ad extremitatum tendines & ligamenta, ſolo ceteroquin limpidiori mitiorique ſero perluta, cum expanſione & irritatione devolvi nitatur. Quicquid vero alii de remediis ſpecificis jactitent, ea tamen nondum in promtu eſſe, quæ ſcilicet ipſam quoque diatheſin tollant, Cl. Autor exiſtimat. Ea vero, quibus podagra vitioſa oppugnari ſolet, remedia, ut venæſectio, demulcentia, decoctum Viennenſe, diæta abſtemia, amara, tonica, præcipue ariſtolochia, pedum ſcarificationes, hirudines, hæmorrhoidum motiones, electuarium caryocoſtinum, ipſaque curatio per lac, non eo uſque laudari merentur, ut illæ commendationes intra ſuos limites non coerceantur. Ad febres quod attinet, easdem generatim conſideratas, nec vituperandas nimium, neque vero etiam laudandas eſſe, recte affirmat, quemadmodum & ipſe Ill. *Stahlius* laudes earum maxime limitavit. Pari etiam ratione laudationes artis, febres excitandi, item corticis peruviani, aliorumque remediorum febrifugorum, opus habere cancellis evincit, & præcipuas circa corticis uſum aberrationes notat. In *Sectione altera* modeſte adverſus Cl. *Gœlickenium* diſputat, neque ullum momentum ex Diſſertatione ſuperius allegata prætermittit, quin illud ſolidiſſime diſcutiat. Nos vero de iis rebus

bus multa commemorare inſtituti ratio prohibet. Illud unum reticere nefas eſſet, utramque *Sectionem*, ne macra nimis & exſucca foret, obſervationibus & cautionibus theoreticis atque practicis abunde eſſe inſtructam, rerumque varietate Lectorem non mediocriter retinere, &, ut paucis dicamus, hunc ipſum librum laudes Obſervationum de febribus, omnibus iis rationibus, quas quondam enumeravimus, exæquare. Quam ob cauſam Cel. Autoris Obſervationes de variolis, prelo jam paratas, eo majori deſiderio expectamus.

NICOLAI MOELLERI, ACADEMIÆ CHRIſtian-Albertinæ Sen. & Prof. hon. de indubio Solis motu, immotaque Telluris quiete, Diſſertatio.

Kiliæ, typis Godofr. Bartſchii, 1734, 4.
Alph.1 pl.16.

Non moleſte ferent rerum Aſtronomicarum periti, in gratiam eorum, qui a *Copernicana*, ut vocatur, hypotheſi abhorrent, præſentem Tractatum a nobis commemorari, quippe quem ſine dubio vehementer probabit hoc hominum genus, atque ad captum ſuum reperiet accommodatiſſimum. Omnia cum ex Theologia, tum ex Philoſophia ſua, collegit Vir beatæ memoriæ, & magno animi ardore *Copernicanis* oppoſuit, quæ contra horum profaniſſimam, (ut ipſe loquitur,) inſtinctu Satanæ olim excogitatam, ac deinde recoctam, ſententiam facere arbitratus eſt. Duas etiam alias Diſſertationes, *de confictа ad erroneas vulgi conceptiones & locutiones accommodatione, Deo & Scriptoribus ſacris temere imputata*, ac *de confictа mundorum particularium multitudine*; deinceps vero majus quoddam Opus, *de Hiſtoria ſacra, juxtimque religionis & ſapientiæ divinæ, ſecundum Librorum divinorum ordinem, ab ætate ad ætatem, modo plane ſingulari & patefactarum & deſcriptarum, divina prorſus veritate, explananda pariter ac demonſtranda*, edere conſtituit. Sed fato, quo nuper beate functus eſt optimus Senex, hæc ſimul intercidiſſe Opera videntur.

M. GEORGII BURCKHARDI RÜMELINI, Paſtoris Evangelici Oberœwishemii prope Bruchſalium, Lexicon Critico-Sacrum, adde Ebraicum, &, quantum ad Vetus Teſtamentum ſpectat, Chaldaicum.

Tubingæ, apud Carolum Theophilum Ebertum, 1730, 4. Alph. 7 pl. 20.

Opus ipſum, quo Veteri Teſtamento lux accenditur, in *duas Partes* eſt diſtinctum. In *priori* omnes, quotquot in contextu primitivo Veteris Teſtamenti leguntur, voces ad quindecim cognationes reducuntur, earundem ſignificationes, tam generales, quam ſpeciales, ex harmonia linguæ Ebraicæ cum Græca, Latina, & Germanica, reteguntur, diſcrepantes Interpretum verſiones examinantur, &, quæ olim in Parte altera vel neglecta, vel ſiniſtre explicata fuere, ſupplentur & corriguntur. In *poſteriori Parte* radices, ſecundum ordinem literarum digeſtæ, cum derivatis ſuis explicantur. Præmittitur Operi Index locupletiſſimus omnium radicum Hebraicarum & Chaldaicarum, atque ex iis nominum & formarum derivatarum, quæ in Lexicis alias ægre reperiri poſſunt. Hæc eſt Autoris de Opere ſuo teſtificatio. In Dedicationis formula explanat linguæ ſanctæ utilitatem & neceſſitatem, teſtimoniis munitam. Præfatio aperit indolem inſtituti prorſus novi, quod in eo conſiſtit, ut literæ omnes, excepto Reſch, habeantur pro ſervilibus, vocesque, quæ in Veteri Teſtamento occurrunt, literis congeneribus ſcriptæ, ad quindecim cognationes reducantur. Ea Autor Rev. verba in primogeneis & ſimplicibus duntaxat numerat, quæ in literam aliquam gutturalem deſinunt. Præiit Noſtrum jam Judæus, R. *Jonas Abben Gannach*, Medicus Hiſpanus, qui circa annum 1121 inclaruit, monente *Richardo Simonio.* Nec negari poteſt, dari cognationem pro inveniendo ſignificatu vocum generali inter literas יחוהא & ע. Quis enim neſcit, Spiritus hoſce tantum intenſione & celeritate quadam pronuntiandi differre? Præterea concordant חשצסטזר, id

id quod ex collatione linguarum, Ebrææ affinium, ſatis perſpicitur. Porro conveniunt ב & פ. Nec non congruunt כג & ק. Dudum enim inculcarunt Grammatici illud tritiſſimum: Literæ unius organi facillime inter ſeſe permutantur. In ſubſidium aſſumſit Autor collationem locorum Sacri Codicis accuratam & Interpretes eximios, quorum tamen expoſitiones haud raro virgula cenſoria notavit. Quod vero mirandum, Autor opus non habuit, ſignificationem ullius vocis ex linguis aliis Orientalibus emendicare, ſed, quæ ipſius ſunt verba, *linguam ſanctam integritati ſuæ, perfectioni, & priſtino nitori, reſtituit.* Plura ipſe præſtitiſſet, ni inclementia fati eum tribus & viginti jam tum annis in locum amandaſſet, a ſupellectile libraria & conſortio literatorum remotiſſimum. Geographica vocabula, in utroque Codice Sacro obvia, hic paſſim exponuntur. Singularia ſunt, quod מָג *Magus*, vox Perſica, ex הגה deducatur: אוּד *titio* ex ארם *excivit, ſelegit*: גּוֹנָה ex גאה *civit, excivit*, exponatur per copam, hoſpitam, omiſſo πορνῆς ſignificatu: גִּתִּית ex גָּנָה eliciatur, ac explicetur per *chorum cantantem*. Locus תפסח *2 Sam. XV, 16, 1 Reg. IV, 23, V, 4*, explicatur per *tranſitum*, & ſpeciatim *Thapſacum*. oppidum Euphrati conterminum. At ex Periplo *Scylacis* conſtat, Orontem, Syriæ flumen, olim dictum fuiſſe *Thapſacum*. Nec fluvius promiſſionis, *Phrath*, ad Euphratem quadrat. Nec Regum Judææ ad Euphratem patuit poteſtas. Monuit jam nonnulla *Joannes Oldermannus*, in quem eo nomine edidit ſtricturas Cel. *Millius*. Tempus, quo veritatem agnoſcere datur, ſuppeditabit eliminandæ hypotheſi receptæ occaſionem. Notamus porro, vocem vexa- **P. II**
tiſſimam שְׂלָו exponi per *alaudam*, quæ *P. I p. 789* per *co- **Pag. 160,**
turnicem* fuerat explanata. In loco *Gal. II, 7*, εὐαγγέλιον
τῆς ἀκροβυστίας, τῆς περιτομῆς, dici contendit per ſubau- **9.**
ditam vocem ἀνδρῶν, ut intelligatur Evangelium virorum præputii & circumciſionis. גמרים exponuntur nec per Pygmæos, nec Migdonenſes, ſed per ambidextros. Locum *Madhebab, Jeſ. XIV, 4*, obvium, de regione Babyloniæ capit. שָׁנִי redditur per *dibaphum* & *coccinum*. Non poſſumus,

quin Pl. Rev. Autoris aſſiduitatem patientiſſimam ſuſpiciamus, qua exquiſitum ſane laborem profligavit, æque perſuaſum nobis habentes, per cognationes literarum unius inſtrumenti ſæpius feliciſſime nativum erui ſignificatum. Quod vero idem ſibi aliisque perſuadet, voces, Codice Veteris Teſtamenti ſacro contentas, ſigillatim ad latifundia Ebrææ linguæ, tanquam ad patrios lares ſuos, eſſe referendas, in eo hæſitare, ni diſſentire, licebit. Quis enim docebit, Judæos ſemper omnia ſua elaboraſſe opera, abſtinuiſſe a rebus importatis, quibus peregrina adhæſerunt vocabula, & adeo abhorruiſſe a commercio populorum circumvicinorum, ut voculas ab eis nullas adſciverint? Quam vellemus quoque, Autori ad manus fuiſſent *Samuelis Bocharti, Alberti Schultens, Matthæi Hilleri, Jo. Andr. Danzii, Jo. Chriſtoph. Wichmanshauſen, Jo. Clerici*, Autorum Bibliothecæ & Muſæi Bremenſis, & aliorum, Opera ſingula! Ut vero & nos ſymbolam noſtram ad inſtitutum hoc ſaluberrimum conferamus, communicabimus cum Autore ſignificatus vocum difficiliorum, alibi haud ſatis obvios. אוב denotat vas illud cavum, quod conſcendit Pythia, ut ex eo vaticinia, in verſus redacta, funderet. Græcorum ὄμφαλος & Latinorum *umbo* ſunt voces affines. אטם *rei in arctum compreſſionem* ſignificat. ארגמן eſt *amorgina byſſus*, viridis ex flava, dicta ab inſula Amorgo. אבק notat *colluctationem* cum aliquo, quæ fit retentando, ut amicus amicum, cliens patronum, detinere ſolet. Conf. *Luc. XXIV*, 29. אגוב eſt *byſſopus*, adſperſioni adhibita, quæ tribus conſtabat caulibus, in unum faſciculum colligatis, quorum cuique unus adhærebat ramuſculus, docente *Maimonide*. איתן, eſt id, quod durat, ac in ſede ſua inexhauſtum permanet, oſtendente *Alberto Schultens*. איל eſt mas ovium ac caprarum intra alterum ætatis annum, teſte *Abarbanele* in *Comment. ad Levit. Cap. II pag.* 243 ed. *de Vieil.* אילת השחר eſt *tympanum atratum*, ſignumque triſtitiæ præferens. Autor libri *Schilte Haggibborim f. 5 ed. 1.* אבני אקדח ſunt *lapides, qui ſpargunt ſcintillas*, oſtendente *Alberto Schultens*. הבליג eſt *lætum reddere, ſerenumque*, inſtar ſolis, pulſis triſtitiæ nebulis, docente eodem.

dem. בד, פשת, שש, בוץ, notant *byſſum*, goſſipium, xylinum. בעה idem eſt ac *efferbuit*, fervore quodam erupit, monſtrante *Alberto Schultens.* דלה *ſitulis aquari* & *haurire.* דרכמון eſt *Daricus*, numus Perſicus, a *Dario* ſic dictus. Suffecerint hæc in præſens. Multa ſane reſtant eviſceranda in tenuiſſimis linguæ Ebrææ reliquiis, quæ in Sacro Veteris Teſtamenti Codice aſſervantur. Lexica, quibus adhuc utimur, ſuperſtructa ſunt *Kimchii* libro radicum, interpretationibus Rabbinicorum Interpretum, collationibus locorum, translationum antiquiſſimarum fidei, & alluſionibus literarum ad voces earum linguarum, quibus cum Ebraica vel exiguum, vel nullum, fuit commercium, præterea Grammaticorum fictionibus. Gratulamur iis proinde, qui vires intendunt, ut undecunque linguæ antiquiſſimæ ſplendorem ac dignitatem, ni ab integro adjiciant, certe conſervent.

Teutſch- Lateiniſch- und Rußiſches Lexicon, &c.

h. e.

LEXICON, EXHIBENS VOCABULA GERmanica, eisque adjecta ac reſpondentia ſignificatu vocabula Latina & Ruſſica, una cum elementis linguæ Ruſſicæ, ad uſum publicum ab Imperatoria Academia Scientiarum Petropolitana evulgatum.

Petroburgi, ex Typographia Academiæ Scientiarum Imperiali, 1731, 4.

Alph. 4 pl. 13.

Quemadmodum Europa reliquis orbis terrarum partibus ſpatio ac magnitudine cedit, ita commerciis, ingeniisque, & ſcientiarum ſplendore, in dies caput effert lætiſſime, tantumque ceteris antecellit, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi. Si enim, a capite & ipſa Luſitania exorſi, ad extremos Sarmatarum fines excurrimus, ſubſidia, ſcientiis literisque a ſummis rerum arbitris conciliata & admota, amœniſſime effloreſcere, tam claris videmus e teſtimoniis, ut fulgor vel invitis

Digitized by Google

oculos peſtringat. Monumentum luculentiſſimum præbet is, quem in præſens orbi literato indicamus, Liber, qui in ſuo genere eſt primus, & ex imitatione Gallorum, qui autoritate Regali per quadraginta annos Lexicon linguæ ſuæ vernaculæ, ſuperiori Seculo adornarunt, potiſſime enatus. Fundamenti loco ſerviit *Weismanni*, Germani, Dictionarium Germanico-Latinum. Hujus enim libri translatio Ruſſica jam exſtabat. Nec aliud facile Lexicon tantam vocum phraſiumque Latinarum copiam ſuppeditat. Editio hujus novi, quod præ manibus eſt, Lexici tardiuſcule proceſſit. Autores præterea ingenue præ ſeſe ferunt, nævos omnes ab eo haud abeſſe, præcipue in plagulis primis, promittentes prolixe, editiones ſecuturas incudi redditum iri, ne quid ſuperſit, quod tandem vota Lectorum queat remorari. Rogant univerſos iidem humaniſſime, ut pro viribus ii, qui valent, velint Operi acceſſiones haud denegare. Laudatur eo nomine Amicus ipſorum quidam ſtudioſiſſimus. Elaboratur Grammatica Ruſſica pridem copioſior. Ea vero antequam luci publicæ fuerit tradita, conſultum ducunt Viri Celeberrimi, conſulere eis, quorum intereſt, Elementorum Grammaticorum expoſitione, Lexico ſubjuncta, & ſex plagulis conſtante. In gratiam eorum, qui MSta volvunt Ruſſica, Catalogus compendiorum ſcripturæ, quibus *abbreviaturarum* barbarum eſt nomen, debito loco inſertus fuit. Nec quidquam eorum eſt omiſſum, quæ in Libellis Grammaticis ad neceſſitatem & utilitatem linguæ cognoſcendæ facere ulla ratione poſſunt. Jam nihil reſtat, niſi ut Autoribus de moleſtiſſimo ſaluberrimoque labore feliciter exantlato publice gratulemur, ex animo eis vires, promiſſis Operibus ſuffecturas, apprecantes.

LAMENTAZIONI DEL SANTO PROFETA GIEREMIA, &c.

h. e.

THRENI JEREMIÆ ITALICIS VERSIbus adſtricti, Autore BENEDICTO MENZINO,

Cano-

Canonico S. Angeli; & tranſlati e Græco textu, & ex Ebraico poſt emendati ab ANTONIO MARIA SALVINI.

Florentiæ, apud Bernardum Paperini, 1728, 4.
Plag. 7½.

Liber ipſe, nitidiſſimis excuſus formis, Ill. ac Rev. *Alamanno Salviati*, Legationis Præſidi Urbinenſi, fuit inſcriptus. Quæ ad affectum vivide delineandum faciunt, vocum lectiſſimarum copia nitent. Et impenſius ea fulgerent, opinamur, ſi rhythmus ubique concordiam præferret diſcordem, & accentus, proſo in ſermone receptus, maneret idem nunquam non in ligato. Verum hæc deſideria fortaſſis ſunt nimia. Nemini ingratum id eſſe poteſt, quod de ſermone Ebræo & Græco rubrum promittit. Nobis non licuit ſic eſſe felicibus, ut emphaſes & accentuationis moras, ex contextu Ebraico huc tranſlatas, animadvertere potuerimus. Inprimis in *Cap. IV* non *draconibus*, ſed piſcibus Lamentin, tribui mammas, putamus, queis pullos ſuos lactant.

MICHAELIS SZATHMARI, V. D. M. ET Prof. Ord. in illuſtri Schola Waſarhelenſi, Tyrocinium Emblematico-Propheticum in S. Jobi XXXVIII, & in Joſ. X, 12, 13, 14.

Franequeræ, apud viduam Friderici Horrei, 1732, 4.
Plag. 17.

Ex hypotheſi Cl. Autoris *Job* eſt typus primæ Novi Teſtamenti Eccleſiæ, & concio Dei *Cap. XXXVIII* ad *Jobum* directa Eccleſiam Apoſtolicam uſque ad annos æræ Chriſtianæ LXVI ut *Jobum* myſticum reſpicit. Sed veremur, ut rationibus ſuis, quas in Introductione fundamenti loco poſuit, allati ſenſus evincatur veritas. Licet enim ex dicto *Jacobi Cap. V, 11*: Τὴν ὑπομονὴν Ἰὼβ ἀκὐσατε, liqueat, *Jobum* in typum moralem, ſeu exemplar patientiæ, Chriſtianis ſiſti, non tamen exinde

inde probabitur, ipſum etiam fuiſſe typum Propheticum, & ad ſignificanda primitivæ Eccleſiæ fata a *Jacobo* myſtice expoſitum. Sic etiam ſeſe res habet, ſi *Jobus* de ſe ipſo dixit *Cap. XVII, 6*, quod Deus ipſum conſtituerit לְמְשֹׁל עַמִּים ut populis exemplum præbeat. Ibi de dandis fidei & virtutum exemplis, minime autem de ſe, ut *Jobo* myſtico aut Emblematico-Prophetico, quidquam cogitavit. Quod reliqua attinet argumenta, quæ ad invidiam ſenſus literalis compoſita ſunt, quaſi in ſenſu Autoris myſtico tantum Deum decens lateret ſenſus & veritas, literæ vero nudæ argumenta, a rebus naturalibus depromta, in mente *Jobi* non haberent rationalem & convictivam apodixin, iſta potius in ejusmodi myſticas expoſitiones invertenda nobis videntur. Tantum vero abeſt, ut nobis perſuadeat, ex creationis operibus non tam conſpicuam eſſe Dei potentiam & divinitatem, quam ex depoſitis myſticis, ut potius credamus *Paulo, Rom. I, 19, 20*, hanc apodixin omnes gentes reddere inexcuſabiles. Quare non eſt, ut Deus in oratione ſua ad coactiora & longe petita Emblemata myſtico-prophetica confugiſſe cenſeatur, utpote quæ *Jobo* multo magis fuiſſent ἀνεξιχνίαστα, nec ad auditum divinæ orationis ipſi unquam in mentem veniſſent. Cavendum igitur nobis exiſtimamus, ne myſticis cupediis ita ineſcemur, ut in faſtidium & contemtum ſenſus literalis incidamus. Ea enim ingenii luxuriantis eſt ratio, ut ejus faſtui vileſcat, quod ſponte ſe prodit & facile patet, arrideat vero, quod myſteriorum involucris abſconditum ſe ſiſtit. Hinc ſordet ſimplicitas ſenſus literalis, qui tamen, accuratiori ſciendi perveſtigatione indignus habitus, ne quidem comprehenditur. In explicatione typica etiam id apprime eſt attendendum, eam vel nullam eſſe, vel admodum incertam, quam intendiſſe Autorem ſanctum, probari non poteſt. Jam vero in oratione Dei ad *Jobum Cap. XXXVIII* nullum reprehenditur indicium, quo Deus teſtetur, ſe non facta creationis opera, ſed futura Chriſtianiſmi primordia, reſpicere. Interim, licet unius dicti non niſi unicus ab Autore intentus detur ſenſus literalis, multi tamen & varii ejus poſſunt eſſe uſus & accommodationes. Quare, ſi ſenſus myſticus non confunditur cum accommodationibus

Digitized by Google

nibus allegoricis, facile concedimus, omne verbum divinum artificioſo quodam luſu ad uſus ſpirituales poſſe deduci. Id quod etiam Cl. Autor in hoc Tyrocinio Emblematico-Prophetico ſic præſtitit, ut Lector, qui allegoricis delectatur conceptibus, multa inveniat plane ſingularia. Non ſolum, quæ de terræ creatione dicuntur, ad fundationem Eccleſiæ Novi Teſtamenti, ſuffragantibus multis Prophetarum allegoriis, dextre applicuit, ſed & multas comparationes inexpectatas adhibuit. Sic ſumit Pag. 9.
ſibi licentiam conjectandi, amicos tres *Jobi*, *Eliphazum*, *Bildadum*, & *Sapharem*, figuram gerere Pſeudo-Chriſtianorum, quales fuerint Gnoſtici, Ebionithæ, & Cerinthiani; *Elihu* autem inveniri in Apoſtolo *Paulo*. In expoſitione myſtica 24.
verſ. 7 per jubila ſtellarum matutinarum, & vociferationem omnium filiorum Dei, intelligit Angelorum cantus in nativitate Chriſti, cum hymnis *Zachariæ*, *Mariæ*, *Simeonis*, & aliorum. Et hac demonſtratione nihil ipſi eſt evidentius. Ex 97.
ipſius conjectura etiam Orion erit emblema diaboli, & per Arctophylacem, ſeu Booten, indigitabitur Chriſtus. Ex his de via 106.
ab Autore in reliquis calcata jam judicari poterit, nec eſt, ut plura proferamus. Meditationes, quas in *Joſ. X, 12, 13, 14*, appoſuit, ſpectant ad diem, quo ſol ad *Joſuæ* mandatum ſubſtitit, quem diem 36 horarum exhibuiſſe putat typum & emblema ſpatii, quo Servator noſter in ſepulchro quieverit. Ejusmodi meditationes e Sacra Scriptura non myſticum eruunt ſenſum, ſed myſticos ipſi inferunt luſus.

TRAITÉ DE LA SIMPLICITÉ DE FOY.

h. e.

COMMENTATIO DE SIMPLICITATE FIDEI.

Pariſiis, 1733, 8.

Pag. 19.

Conamur de ſimplicitate fidei diſſerere univerſi ac ſinguli. Meta tamen conatui ejusmodi eſt præſtituta, certique ex-

ſtant fines, ultra quos in hac mortali vita progredi haud licet eis, qui obtemperare Deo ſtudent, tum reſpectu intellectus in credendis, tum ratione voluntatis, præcipue in agendis. Hoſce terminos Autor tuetur, eosque ad ſimplicitatem fidei revocat. Superſtitionem odiſſe fas eſt; at, Atheiſmum & profanitatem, in ſentiendo admitti ſolitam, fovere, haud minus eſt turpe. Ad amuſſim ſimplicitatis refertur hic quoque agnitio & veneratio Monarchiæ Eccleſiaſticæ. Neceſſitatem & utilitatem ſimplicitatis ſacræ repræſentat Præfatio. Libellus *duabus* conſtat *Partibus* ſecundum geminam ſimplicitatis ſpeciem, quarum *una* in credendis, *altera* in agendis, conſiſtit. Definitio & fixa determinatio ſimplicitatis haud affertur. Stilus
Pag. 71. Eccleſiaſten ornat, demonſtrationis indolem reſpuit. Officium rationis humanæ pædagogicum laudatur; alibi vero Autor eam
69. 174. deprimit, & Metaphyſicam nauſeat. Ad autoritatem Eccleſiæ, tanquam ad aſylum, continuo recurrit; nec utique poſtulat, ut cuiquam ad ſenſum proprium de rebus divinis reſpiciendum
67 ſeq. ſit, dictitans, examen fidei, ex ratione ſana ſuſceptum, eſſe re-
150. ſpuendum. *Fenelonii* amor myſticus repudiatur. Vis con-
92 ſeq. ſcientiæ, in comprobanda veritate cœleſti elucens, egregie exponitur. Incredulis ſæpius inculcantur momenta haud contemnenda, dummodo illi in ſtilo homiletico obmoto acquie-
61. ſcant. Autor Proteſtantes videtur appellare *fratres*, ni Janſe-
70. niſtas intelligat. Promittit adhæc Librum *de autoritate Eccleſiæ*, proxime a ſeſe edendum, quo fine ipſi vires apprecamur firmas vegetasque.

LETTRES PHILOSOPHIQUES, &c.

h. e.

EPISTOLÆ PHILOSOPHICÆ, ARGUmenti ſerii, critici, & jucundi.

Pariſiis, apud Saugrainum, 1733, 12 maj.

Alph. I.

Doctiſſ. Autor harum Epiſtolarum, Equiti Illuſtriſſ. *Guil. Yonge* dicatarum, qui ſub literis L. C. D. T, latere voluit, punctum

ctum tulit omne, utile dulci miſcens, finemque ſuum ac præmium obtinuiſſe videtur, quod in breviſſima ad Lectores Præfatione ſibi præfixit, his nimirum ut placerent, quas ſcripſiſſet, Epiſtolæ. Habent nempe, quo placeant, & argumenti gravitate, & tractationis ſoliditate, & ſtili vividi nitore venuſto. Numerus Epiſtolarum ad XXXVII adſcendit, ſerie ſtromatica locatarum vel ideo, ut tractatorum in iis argumentorum, ſemet invicem ſubſequentium, varietas Lectores tanto magis capiat, eosque ſimul paſcat & inſtruat. Epiſtola *prima*, de Lapide Pag. 1.
Philoſophorum, falſe perſtringit eos, qui eundem inventuros ſe ſperant, & vel ampullatis de eodem gloriantur dictionibus more Empiricorum, vel fruſtra hunc parare ſatagunt operationibus variis ac proceſſibus ita dictis; *altera* comparatio- 13.
nem ſat ingenioſam inſtituit inter naturam & artem, ac utriusque mutuas prærogativas, mutuamque conjunctionem; *tertia*, ut titulus præfert, ad artis ſalutaris Profeſſorem 24.
quendam Lipſienſem directa, feſtivum aliquem Scepticiſmum medicum, præſertim quoad curas Sympatheticas, & alias praxes nonnullorum Medicorum Machiavelliſticas, inculcat, adductis hanc in rem *Palingenii* verbis ex Zodiaci vitæ Libro quinto, ſatis amplis, quibus ſatyrice illæ perfricantur; *quarta* 36.
de œconomia facultatum hominis naturalium, earundem mutua relatione, appetitu nimirum, ſive inſtinctu naturali, ſenſitivo, & rationali, ſive intellectu & voluntate, philoſophatur; *quinta* ſat 48.
lepide pertractat imbecillitatem intellectus humani, adducta largiſſima ſegete præjudiciorum, ſuperſtitionum, & ejusmodi commatis errorum. Sic e. g. opinio, quod Philoſophia vires mirabiles ſuppeditet ad adverſa perferenda, eo modo eluditur ab Autore, ut quærat: Ad quænam adverſa? præterita? num præſentia? num futura? De præteritis rem, ait, eſſe certiſſimam; de futuris, eſſe poſſe; de præſentibus vero ſi quæſtio ſit, conſidera, quæſo, Philoſophos, mala inpræſentiarum perferentes. *Sexta*, quæ inſcribitur de felicitate ho- 58.
minis temporali, miſeriam ejus graphice depingit. *Septima* exi- 77.
ſtentiam Dei ex ignorantia noſtra de anima noſtra probare 85.
annititur; *octava* inquirit in animorum diverſitatem, ejus-

 dem-

Digitized by Google

Pag. 94. demque cauſas allegari ſolitas ; *nona* jucundis ratiocinationi-
bus dijudicat, utrum beſtiæ ſint rationis expertes, &, prout *Car-*
123. *teſiani* exprimunt, meræ machinæ; *decima* de origine morum
132. philoſophatur; *undecima* directa conſpicitur contra ingenia,quæ
vulgo dici cupiunt,fortia (*eſprits forts*), immortalitatem animæ
148. in dubium vocantia; *duodecima*, utrum ſpiritus poſt mortem
156. corporum,quæ inhabitarunt,redeant,diſputat; *decima tertia* va-
172. ria de Geniis profert; *decima quarta* argumentum de Magia
190. & ſagis pari eruditione & libertate pertractat; *decima quinta*
profert axiomata varia, in educatione infantum probe obſer-
vanda. Sequitur dein, poſt varias Epiſtolas mere ſerias ac
199. Critico-philoſophicas, ſeries quarundam jucundarum. *Decima*
ſexta quippe, utrum cælibatus, an matrimonium ſit præ-
ſtantius, diſceptat. Ejusdem generis ſunt ſequentes, ni-
mirum *decima ſeptima* & *octava*, quæ ſunt breviores;
219. *decima nona* de ſtatu conjugum afflicto, quem Galli vocant
228. *le Cocuage*,differit; *vigeſima* ſubminiſtrat axiomata ad ineundum
235. felix conjugium; *vigeſima prima* quæſtionem: uter ſexus ma-
gis propendeat ad amorem, dignior, an ſequior? ita decidit, ut,
ſequiorem plus deperire ſolere objecta minus perfecte cognita,
241. digniorem vero illa objecta,quæ penitius perſpecta habeat, con-
250. tendat; *vigeſima ſecunda* de erotico furore agit; *vigeſima ter-*
256. *tia* quæſtionem tractat, utrum mariti plus ament uxores, quam
266. diligantur ab uxoribus; *vigeſima quarta* comparationem ſexus
277. utriusque inſtituit; *vigeſima quinta* diſquirit,utrum fœminæ plus
298. accedant ad naturam mulæ,an ad naturam capræ? *vigeſima ſex-*
ta Diſſertationem de riſu & lachrymis continet; *vigeſima ſe-*
309. *ptima* de morte, divitiis,& deliciis hujus Seculi; *vigeſima octa-*
317. *va* de nobilitate vera, ſententiam dicit; *vigeſima nona* ſenſibus
323. errantibus ac fallentibus judicium ſanæ rationis præfert; *trigeſima*
de primo principio rerum omnium agit; *trigeſima prima* de-
monſtrare nititur, fortunam & caſum (*bazard*) inter entia ra-
tionis referenda eſſe, fatum vero (*deſtinée*) nil eſſe aliud, niſi or-
350. dinem divinitus ſemel conſtitutum; *trigeſima ſecunda* probat,
τὸ nihil eſſe aliquid, contra communem opinionem, nihil eſſe
nihilum; *trigeſima tertia* de corbibus fœminarum & de falſa

peri-

Digitized by Google

periſcelide hiſtorias, perinde uti *trigeſima quarta* fabulas quaſdam ac poemata, nec non hiſtoriam filii perditi metrice deſcriptam, connectit; *trigeſima quinta* triumphum virtutis de amore inordinato, hiſtoriam quandam Anglicam recenſendo, repræſentat; *trigeſima ſexta* comparationem Philoſophi & Politici ex *Platone* affert; *trigeſima ſeptima* denique 122 axiomata, ad vitam felicem acquirendam facientia, monſtrat. Itaque, ſive utilia, ſive jucunda ames, Lector, in his Epiſtolis largiſſimum ingenii tui pabulum offendes. Pag. 375. 392. 458.

DE SOCIETATE ANTIQUARIA LONDINENSI ad Virum Celeberrimum, JOANNEM ERHARDUM KAPPIUM, Prof. Eloqu. Ordin. in Academia Lipſienſi, & Collegii Majoris Princ. Collegiatum, Epiſtola CHRISTIANI KORTHOLTI, M. A. Ordinis Philoſ. Lipſ. Aſſeſſoris, & Collegii Minoris Principum Collegiati.

Lipſiæ, apud Jo. Chriſtian. Langenhemium, 1735, 4.
Plag. 2.

Cl. *Kortholtus*, ex itinere Anglicano Amſtelodamum redux, cum Cel. noſtro *Kappio* nova literaria communicaturus, quæ ejus auſpicio eruditorum cœtus non nolit percipere, Epiſtola, Amſtelodami d. 15 Maji A. 1734 ad eum data, Societatis Antiquariæ Londinenſis hiſtoriam recenſuit. Quam quidem, cum Londini ageret, ex ejuſdem Societatis, cujus Conventibus ordinariis ipſe interfuit, manuſcriptis adverſariis excerpſit. Cum præter Cl. *Kortholtum* adhuc nemo unus de hac Societate aliquid literis & memoriæ prodiderit; operæ pretium eſſe ducimus, hic loci ſummatim exponere, quæ in hac ipſa Epiſtola referuntur.


Societatis Antiquariæ Londinenſis finis & ratio eſt, per diligentiſſimos Inveſtigatores Antiquitatis veterem memoriam recognoſcere. Regnante *Eliſabetha, Guilielmus Cambdenus*, qui impendio ſuo novam Hiſtoriarum Profeſſionem Oxoniæ dedi- Pag. 4.

Digitized by Google

cavit, & Annales Britannicos contexuit, nec minus *Joannes Cottonus*, qui ſupellectilem illam literariam, *Cottonianæ* Bibliothecæ nomine inſignitam, Londini collegit, primi ſunt Autores & Conditores Societatis hujus rerum priſcarum perſtudioſæ. Quorum auſpiciis ad tempora uſque belli civilis ſodalitas hæc inſigniter floruit. Cum autem ob bellum civile perturbatio rerum omnium & magna confuſio in Anglia conſequeretur, curarum cogitationumque ſuarum partem prope nullam in anti-
Pag. 5. quitates ſuas derivare poterant Socii. Sub *Caroli II* imperio autem Societas Antiquaria iterum cœpit caput erigere, & præter ceteros Vir Ill. *Eliar Aſhmolius* anniſus eſt, ut ſereniore
6. fortuna frueretur. Hic *Aſhmolius* non ſolum edito *de Ordine Periſcelidis* eruditiſſimo Commentario de Hiſtoria Anglicana optime meruit, ſed etiam variis rebus aliis nominis ſibi peperit celebritatem. Eidem enim *Aſhmolianum* omnium ſermone celebratum *Muſeum*, quo Oxonia merito gloriatur, nomen ſuum acceptum refert, quod illud rebus valde curioſis & pretioſis, ad Hiſtoriam naturalem pertinentibus, primus dotare cœpit. Nec minus *Mercuriophili Anglici* ſibi induit nomina & *Eugenii Philalethis*, ut, bene multos libros Chymicos publicando, ſub hac larva deliteſceret. Poſt fatalem *Eliæ Aſhmolii* diem Societas Antiquaria conventus ordinatim haud egit ante annum 1718. Cum enim Vir maximæ exiſtimationis *Johnſonus* A. 1718 Societatis Antiquariæ Acta manibus tereret ipſe, & oculis ſubjiceret ſuis, ut altius illa extollere poſſet caput; &
7. majorem cultum capeſſere, reſuſcitavit prope exſtinctam, conatu honeſtiſſimo, & felici admodum ſucceſſu. Dicto anno 1718, & quidem primo illius menſe, Societas Antiquaria unum in locum denuo congregari cœpit, qui eſt œnopolium, (*a Tavern in the Fleetſtreet,*) ubi quovis die Jovis cœtus ſuos facere non deſiſtit. Simulatque huc convenere, unus ex Sociis conſortionis prælegere & recitare conſuevit Obſervationem antiquitatis ſtudium illuminaturam. Reliqui Societatis conſortes de illa Obſervatione libere ex more judicant, & dicunt ſine cunctatione, quod ſentiunt. Perſæpe etiam conferunt deſcriptionem cum tabulis, monumentique vetuſti producitur exemplar, & momen-

Digitized by Google

TAB. III ad Supplem. Nov. Act. Erud. Tom. I



SOCIETAS LONDINI REI ANTIQVARIÆ S

Ian: Aº. MDCCXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

to ſuo ponderatur, an exacte reſpondeat archetypo. Præcipuus tamen Societatis eſt finis, ut Magnæ Britanniæ Antiquitates ſolicitius inveſtigent, & undique arceſſant, comportent, ac conquirant, conquiſitasque conſervent. Quocirca æri curant incidi, quæ paſſim reperiunt, monumenta vetuſta, ut, iis longo temporum intervallo deperditis, poſteritas minimum pictura fruatur. Hujuſcemodi imaginum ære excuſarum *prior Pars* A. 1726 prodiit in lucem hoc indice: *Collectanea Societatis rei Antiquariæ ſtudioſæ.* Cl. *Kortholtus* itidem Londini oculis ſuis ſubjecit apparatum minime contemnendum jam nunc ære expreſſorum monumentorum priſci ævi, quæ ſola Anglia & curioſis & eruditis Collectoribus ſubminiſtravit. Propediem illa divulgabuntur, *alteram*que Collectaneorum Societatis Rei Antiquariæ conſtituent *Partem.* In adverſariis ſuis manuſcriptis hanc habent inſtituti rationem. Primum annotant, ubi locorum in Anglia vetuſta deliteſcant monumenta, & quis eorum ſit poſſeſſor; tum antiqua monumenta Romana conquirunt, poſtremo Saxonica, Runica, Danica, &c. Nec minus habent rationem Scriptorum priſca manu exaratorum, & annotant, quæ ad explanationem antiquarum rerum proxime aut ſcripta, aut excogitata ſunt. Ad leges hujus Societatis quod attinet, pluribus adſtringi conditionibus conſortes illius nolunt, qui pro lubitu aut præſto eſſe poſſunt Societati, aut ab ea abeſſe impuniſſime. Quoties autem Societas Antiquaria aliquid divulgat, toties unumquemque illius Socium oportet ſubſcriptione ſua in ſe recipere, ſe Librum illum emturum. Alii autem Subſcriptores extra Societatem haudquaquam admittuntur. Nec omitti poteſt aut debet ſymbolum, quod illa ſibi delegit. Lucerna eſt ænea Romana, ex monte *S. Leonhardi* juxta Windeſorum A. 1717 effoſſa. In æs incidi curarunt hanc lucernam, addita Epigraphe: NON EXTINGVETVR. Cum Cel. *Kappius* nobis fecerit copiam exempli lucernæ hujus æri inciſæ; Lectoribus noſtris rem gratam facturi, ejus imaginem addita TAB. III ſiſtimus. Ipſa lucerna ænea Romana in conclavi aſſervatur, rerum, raritate & antiquitate conſpicuarum, & a vulgi oculis & cognitione remotarum, refertiſſimo, cujus poſſeſſor eſt

Pag. 8.
9.
TAB. III.

Vir

Digitized by Google

Vir Ill. *Hans Sloane*, Societatis Regiæ Anglicanæ Præſes, ingens Angliæ & orbis literarii univerſi decus. Societatis Anti-
Pag. 10. quariæ, quæ ſola nunc nobis dicendi materiam præbet, Præſes eſt *Lord Hartford*, filius major Ducis Sommerſettenſis, cujus ſub auſpiciis eadem magnis auctibus creſcere quotidie nunc videtur. Vicarius Præſes audit *Rogerius Gale*, Eques, Secreta-
11. rius vocatur *Jacobus Weſt*, Eques, Collegii Jureconſultorum, quod in Templo eſt, Socius. *Georgius Vertue* Socius hujus conſortionis & una ejusdem Chalcographus eſt. Inter Socios alios in Epiſtola, quam præ manibus habemus, principe loco nominatur *Guilielmus Stukley*, Doctor artis ſalutaris, qui A. 1718 primus fuit Societatis Secretarius. Jam vero Orator ſacer e ſuggeſtu divino verba facit Stamfordiæ in Rotlandſhire, &, cum Londinum ſe confert, Societatem ſuam Antiquariam libenter inviſit. Eſt enim, ſi quis alius, rerum priſcarum apprime peritus. Id quod non ſignificavit ſolum, ſed etiam declaravit publicando librum hoc indice: *An Account of Roman Buildings to be found in England*, in quo de Romanis monumentis in Anglia repertis ediſſerit luculente. Conſors ejusdem Societatis eſt *Brown Willis*, Eques, nepos maxime inclyti Doctoris Medicinæ *Williſii*. Planum ille fecit, in rebus a noſtra memoria remotis ſe non mediocriter eſſe verſatum, edendo Commentationem de Antiquitatibus Templorum quorundam Cathedralium in Anglia, *(the Antiquities of ſeveral Cathedrals in*
12. *England,)* in 8. In Sociis etiam numeratur *Alexander Gurdon*, doctiſſimus Scriptor libri de Ægyptiis Antiquitatibus, quas in Anglia reperias *(an Account of Ægyptian Antiquities to be found in England)*. Vir opibus & eruditione florentiſſimus *Smart Letullierius*, & hujus & Societatis Regiæ Conſors, *Gurdonum* oblatis præmiis exſtimulat, ut, quam telam texere cœpit, pertexat, ſcriptionemque de Antiquitatibus Ægyptiacis continuet. Præter modo recenſitos etiam Doctor *Cromwellus Mortimerus*, Vir multis ornamentis, & virtutis, & doctrinæ, præditus, Societatis Regiæ Secretarius, hujus Conſortionis Socius eſt digniſſimus. Ut alios taciti prætereamus. Sub finem Epiſtolæ Cl. Autor ea attexuit, quæ in Coemeterio Blacknodlejenſi in Eſſexia Cel. *Joannis Raji* tumulo inſcripta reperit. Quæ quidem Inſcriptio propterea hic invenit locum, quoniam Cel. *Rajus* edito Londini A. 1674 de Originibus proverbiorum Anglicanorum Commentario de Re Antiquaria optime promeritus eſt.

) o (

AD
NOVA ACTA
ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. I Sectio X.

BULLARIUM CANONICORUM REGULArium Rhenanæ Congregationis Sanctiſſimi Salvatoris, ſeu Congeries Privilegiorum, ab Apoſtolica ſancta ſede & ab Epiſcopis eisdem conceſſorum: item Decreta ſacrarum Congregationum, aliorumque Tribunalium Declarationes, in ipſorum favorem emanatæ; cuncta in duas Partes diviſa, quarum prima ſpiritualia, & ad bonum Congregationis regimen ſpectantia, ac in fine octo Diſſertationes, poſt quas Conſtitutionem Sanctiſſimi D. N. Papæ Benedicti XIII, cum Indice locupletiſſimo, ſecunda oneroſo titulo Privilegia & Declarationes, cum Indice particulari, complectitur, ſervato ſemper ordine Chronologico. Opus utile non modo præfatæ, ſed etiam aliis Canonicorum Regularium Congregationibus; quod eidem Sanctiſſimo Domino noſtro Benedicto XIII, Pontifici Maximo, conſecrat APOLLONIUS LUPI, Brixienſis, Abbas Generalis eorundem Canonicorum Regularium, & Epiſcopus Himerienſis.

Tomi II.

Romæ, typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ, 1730, fol.
Tomus I Alph. 5 pl. 4, Tomus II Alph. 2 pl. 21.

D*uabus* conſtat *Partibus* hoc Bullarium Canonicorum Regularium Rhenanæ Congregationis Sanctiſſimi Salvatoris, quarum *prima*, & id quidem ordine Chronologico, exhibet Privilegia ſpiritualia, & ad bonum Congregationis regimen ſpectantia, *altera* vero Privilegia oneroſo titulo & Declarationes ſiſtit.
Tom. I Pag. 1. *Pars prior* incipit a Privilegio *Gualterii*, Archi-Epiſcopi Ravennatenſis, A. 1136 edito, quod Canonicam S. Mariæ de Rheno, adhuc exſtantem, ejusque bona, a quocunque ſervitio & tributo, a decimis & oblationibus tam vivorum, quam defunctorum, præter Jus Epiſcopale, liberat & abſolvit, ſine Prioris vel Congregationis licentia Canonicam vitam profeſſis diſcedere interdicit, Clericos & Seculares veſtire permittit, ſepulturas liberas declarat, Clericorum ordinationes ſub expreſſa limitatione a quocunque Catholico Antiſtite ſuſcipere, ac decimas præter Epiſcoporum & Epiſcopalium miniſtrorum contradictionem concedit. Ultimum vero locum in hac *Parte*
271 ſeq. *prima* obtinet Privilegium *Clementis XI*, A. 1709 datum, quod Lectores, Magiſtros Novitiorum, & Parochos, in Eccleſiis regularis obſervantiæ in aſſecutione Prælaturarum ceteris Canonicis præferendos eſſe decernit. His Privilegiis ſubjecit Doctiſſ.
275 ſeq. *Lupi* octo Diſſertationes. Prima probare contendit, Rhenenſium Canonicorum antiquitatem eſſe duodecimo Seculo majorem, eosque ab Apoſtolis deſcendere, & a D. *Auguſtini* regulis ad priſtinam vivendi formam reſtitutos, eorundemque Congregationem uſque ad id aetatis perſeveraſſe, ac per unionem *Ambroſianorum*, ſeu *Ilicetanorum*, titulique mutationem, non exſtinctam eſſe, ſed in Canonicis Sancti Salvatoris continuare.
362 ſeq. Sexta Diſſertatio ex Jure Canonico demonſtrat, Canonicos Regulares ad quæcunque beneficia ſecularia, tam jure antiquo,
382 ſeq. quam novo, aptos eſſe atque idoneos. Septima Diſſertatio disquirit, an Canonicus Regularis, beneficio ſeculari proviſus, regreſſum

greſſum habeat ad bona renuntiata, & an acquirat Eccleſiae ſponſæ, vel religioni, ejus matri. Diſſertatione octava exhibetur Pag.389 ſeq. Declaratio *Leonis X*, qua Canonici Regulares, in Epiſcopos promoti, eodem uti habitu jubentur, quo utuntur alii Clerici Seculares, in Epiſcopos aſſumti, afferunturque *Zachariæ Ferrerii* verba, quibus demonſtrat, juribus adductis habitum horum Canonicorum non alium eſſe debere, niſi Clericalem, Prælatosque, ex eo ordine aſſumtos, tam de jure communi, quam ex libro cæremoniarum S.R.E. debere uti rechetto, hoc eſt, toga linea more Romanæ Curiæ. Tandem accedit *Benedicti XIII* Privilegium, A. 1729 conceſſum, quo Canonicorum Regularium Congregationis Rhenanæ Sancti Salvatoris privilegia confirmantur, & nova quædam conferuntur. 413. *Parte altera* ſiſtuntur Privilegia oneroſo titulo, quæ pariter ſecundum ordinem Chronologicum afferuntur. Tom. II Pag. 1. Hinc primo loco occurrit Privilegium *Clementis VII*, quod, A. 1532 datum, hanc Congregationem abſolvit a ſolutione ſubſidii medietatis veri & annui valoris omnium fructuum, redituum, & proventuum Eccleſiarum, Monaſteriorum, &c. attenta compoſitione ſolvendi tria millia ſcutorum auri in auro cum facultate vendendi. Quamvis vero Canonici hi Regulares non fuerint immunes ab iis oneribus præſtandis, quæ a Pontificibus variis impoſita fuerunt ordinibus, cumprimis non mendicantibus, quemadmodum ex bene multis hujus *Partis* Pontificum Decretis conſtat; tamen ſacra Romana rota A. 1618 eos, eorumque laboratores, colonos, & emtores, 128. a datiis, gabellis, vectigalibus, & oneribus realibus ac perſonalibus, coram Veroſpio exemtos declaravit. Ceterum, in *altera* hac *Parte* quæ referuntur Decreta, quibus onera fuerunt injuncta, non propria ſunt huic Congregationi Canonicorum Regularium, ſed cum reliquis ordinibus, maxime non mendicantibus, ei communia. Ipſum vero hoc Bullarium prout *Benedicto XIII* conſecratum eſt dicatumque, ſic utraque *Pars* ſuo clauditur Indice ſatis copioſo rerum memorabilium.

JULIÆ MONTIUMQUE COMITUM, MARchionum, & Ducum, Annales, a primis primordiis ex claſſi-

claſſicis Autoribus, vetuſtis Documentis, Imperatorum Regumque plurimis Diplomatibus, ad hæc uſque tempora deducti, Sereniſſimo & Potentiſſimo CAROLO PHILIPPO, S. R. I. Electori Palatino, &c. dedicati; cura ſtudioque JOANNIS THOMÆ BROSII, J. U. D. in Juliæ & Montium Ducatibus Conſiliarii Intimi & Vice-Cancellarii; quos gener ADAMUS MICH. MAPPIUS, J. U. Licentiatus, Comes Palatinus Cæſareus, S. E. Palatini Conſiliarius & Referendarius, in ordinem digeſſit, illorumque defectus ſupplevit, & ſuis ſumtibus luci dedit.

Tomi III.

Coloniæ Agrippinæ, typis Franciſci Metternich, 1731, fol. Alph. 5 pl. 12.

Tom. III Pag. 225. Cum tantæ virtutis, autoritatis, & potentiæ, Comites primo, tum Marchiones Ducesque Juliæ ac Montium fuerint olim in Imperio Romano; mirum videtur Cl. Editori, ferme ſolos ex Principibus Germaniæ idoneo adhuc rerum ſuarum Scriptore caruiſſe. Nam *Adelarii Erichii Chronicon Juliacenſe* vaſto Volumine vix centeſimam partem argumenti propoſiti attingere ait, ſine delectu atque ordine, ac ſine judicio, corraſum Opus, &, ob maledicentiam Autoris, dignum flammis eſſe judicat. *Teſchenmacheri* vero Annales ſcatere ſcribit vitiis craſſiſſimis, quorum aliqua in Præfatione notat, monetque, *Burungum* illud, quod in Itinerario *Antonini* Duromagum inter & Noveſium collocatur, male a *Teſchenmachero Wæringen* exiſtimari, cum ſit hodiernum *Burgel*, prædium Comitis Neſſelrodii &c. ubi ante aliquot annos nummi plures Romanorum Cæſarum reperti, monumenta etiam, literis humanis inſcripta. Vanum eſſe Profeſſorem Viadrinum, qui in editione iterata *Teſchenmacheri*, multum & diu ſe deſudaviſſe,

viſſe, glorietur, in tollendis erroribus, cum altera hæc editio abundet vitiis primæ illius & novis aliis, ita, ut nulla pagina careat craſſiſſimis erratis, & dicere liceat: corrector eget correctore. Solum memorat *Petrum* a *Streithagen*, Canonicum quondam Heinsbergenſem, qui certi aliquid in hac Hiſtoria ſcripſerit, cujus tamen *Libros VII Rerum Juliacarum*, incredibili labore collectos, privatim latere dolet. Quæ cum ita eſſent, Vir Cl. *Jo. Thom. Broſius* conatus eſt, quæ ſparſim in veteribus Documentis, Tabulariis, & variis Autoribus, confuſa potius, quam elaborata, habeantur, conferre, & Comitum ac Principum Juliacorum Genealogiam, res geſtas, & continuatam per tot Secula ſucceſſionem, deducere; cujus laborem Cl. *Mappius*, gener, auxit & ſupplevit, & in publicum edidit. Præmittitur Operi Syllabus Autorum, tam editorum, quam MStorum, quibus uſi ſunt Collectores. Multa quidem Diplomata ex *Miræo*, *Butkenio*, *Tolnero*, &c. repetuntur, ſed multa etiam Pag. 46, 84.
magni momenti ac pretii ex vetuſtis Schedis Archivorum communicantur. Si qua erant Germanice conſcripta, vertuntur 87, 89,
Latine, & quidem, ut putamus, ſecundum ſenſum & ſummam. 115, 117.
Ceterum nihil afferunt Collectores, niſi quod ad argumentum pertineat, egregie ita ſuo functi officio.

Tomus primus continet Annales Juliæ & Gelriæ Comitum ac Ducum, inde a *Gerardo*, Comite Juliaco, qui ſub *Henrico Aucupe* floruiſſe legitur, uſque ad annum 1423, & tractatur in hoc ac ſequentibus *Tomis* Genealogia Comitum duntaxat ſecundum ordinem ſucceſſionis, plena vero & accurata familiæ deſcriptio prætermittitur.

In *Tomo ſecundo* Montenſium Comitum ac Ducum nomina, ſucceſſiones, res geſtæ, & quidem a temporibus *Lotharii II*, Imperatoris, quibus certior de iis notitia eſt, uſque ad annum 1517 enarrantur. Ex iis *Gerhardus*, Dux, A. 1444 Ordinem 55 ſeq.
Equeſtrem *S. Huberti* inſtituit. Non ſolum leges, ſed & primi Equites, recenſentur, inter quos ſupremum locum obtinent Saxo & Brandenburgicus Electores. Cooptatæ ſunt etiam fœminæ illuſtres, quarum nomina indicantur.

Digitized by Google

Denique *Tomo tertio* habentur Annales Juliæ, Cliviæ, Montiumque Comitum & Ducum, ab anno 1368 uſque ad annum 1731. *Tomus* hic, ſicuti rerum varietate copioſus, ita in eos, qui a Collectorum religione diſcrepant, nimium quantum injurius. Utriusque generis argumenta quædam hic indicanda
Pag. 74. ſunt: I) ad annum 1561 agitur de *Jo. Franc. Commendoni*, Nuntii Apoſtolici, geſtis apud *Wilhelmum*, Ducem. A. 1575 *Carolus Fridericus*, filius *Wilhelmi*, Ducis, Romæ obiit, vene-
90 ſeq. no, ut rumores ſpargebant, ſublatus. *Gregorius XIII* ſolatur patrem, docens ſimul, quantas curas pro ſalute ejus impenderit: cui gratias viciſſim agit *Wilhelmus*. A. 1614 *Wolfgangus Wilhelmus*, Comes Palatinus Rheni, ſacra Proteſtantium reliquit, *Petri Caniſii* Summa doctrinæ Chriſtianæ permotus. Refertur vox *Jacobi*, Angliæ Regis, qui eapropter ad Legatum Principis hujus artes Jeſuitarum deteſtatus eſt. II) Ad annum 1719 perſtringitur Rex Boruſſiæ, qui omnia *Seb. Etzardi* ſcripta, quæ contra Reformatos edidit, igne voluerit cremari, & hiſce Annalibus, ob odium veritatis, eadem fata ominantur Collectores.
136, 154, Præcipue magno impetu invehuntur in *Puſendorfium*, quem
169, 177. Domus Neoburgicæ juratum hoſtem, Scriptorem impotentis animi, & Herois ſui Panegyriſten, vocant: afferunt etiam ſtudioſe plura loca, venalem, ut ajunt, & injurioſum calamum ſpirantia. Inſtituti noſtri non eſt, fidem & integritatem vindicare *Puſendorfii*, ſed illud monemus, odium diverſæ religionis in aliis hominibus detrimentum, in Scriptore autem Hiſtoriarum cladem afferre veritati.

RELATION HISTORIQUE DE L'ETHIOPIE Occidentale, &c.

h. e.

RELATIO HISTORICA ÆTHIOPIÆ OCcidentalis, qua continetur Deſcriptio Regnorum Congenſis, Angollenſis, & Matambenſis, ex Libro Italico R. P. CAVAZZI in linguam Gallicam tranſlata, & aucta pluribus narrationibus Luſitanicis optimorum Scripto-

Scriptorum, una cum Notis, Mappis Geographicis, & longe plurimis Tabulis æneis, ſtudio R. P. J. B. LABATI, Ordinis Prædicatorum.

Tomi V.

Lutetiæ Pariſiorum, apud Carol. Jo. Baptiſtam Deleſpine, 1732, 12.

Tomus I plag. 20, Tomus II plag. 20, Tomus III plag. 20, Tomus IV plag. 21, Tomus V plag. 10, cum Tabb. æn. 15.

Non incelebrem producimus Hodœporicorum Scriptorem, R. P. *Jo. Baptiſtam Labatum*, Monachum Ordini Prædicantium adſcriptum, cujus ab his decem, qui proxime effluxere, annis ingenii induſtriæque ſingularis monumenta non una, quæ paſſim in hoc Opere appellantur, in lucem prodiere. Is, poſtquam duobus, qui proſtant, Libris, altero, cui titulus: *Narratio nova de Africa Occidentali*, altero inſcripto: *Iter Equitis des Marchais in Guineam*, oram Africæ ad Occidentem vergentis, a *promontorio albo* inde uſque ad *Coriſcum* & *Promontorium Lopo Gonzales* deſcriptam, juris publici fecit, bene ulterius de harum rerum ſtudioſis meriturum ſe putavit, ſi Voluminis hujus Italico ſermone vulgati Gallicam adornaret verſionem, qua terræ a promontorio poſtremo, quod diximus, uſque ad inferius, quod ad meridionalem plagam propius accedit, & *nigrum* vulgo appellatur, ſitæ delineantur, atque adeo poſt *Loanda, Angola, Matamba,* ac *Binguela,* Regna plures aliæ minoris momenti regiones luce clariſſima perfunduntur.

Ceterum, nihil hic ſibi deberi, qua eſt modeſtia, contendit; integrum beneficium ait acceptum eſſe referendum R. S. *Jo. Antonio Cavazzi de Montecucullo*, Mutinenſi, qui, jactis probe ſtudiorum fundamentis, cum haud mediocres in literis progreſſus feciſſet, inter Monachos Ordinis *S. Franciſci* nomen profeſſus, pietatem & fervorem ſingularem ad obeundas in partibus infidelium miſſiones, quas vulgo appellant, ordinis ſui ſuperioribus, & inprimis Procuratori generali, facile approbavit.

Illius

Digitized by Google

Illius juſſu una cum ſodalibus nonnullis in Congenſes terras anno ſuperioris Seculi 54 conceſſit, per duodecim ibi annorum intervallum commoratus. Terras eas ut non ſine diſcrimine multiplici haud ſemel peragravit, ita rationem ac ſitum, commoda & incommoda earum, mores populorum, religionem, conſuetudines, inſtituta, negotiationem, bella, & quæ alia huc ſpectant, ita ſibi perſpecta & cognita præſens reddidit, ut vix ab alio quocunque exactior ac fide dignior earum deſcriptio proficiſci potuiſſe videatur. Hinc anno Seculi ſuperioris 68 Romam redeunti cum de ſtatu religionis in Regnis Loandæ, Angolæ, Matambæque, coram Pontifice ſummo & Congregatione de propaganda fide exponendum eſſet, ita narratione ſua omnium cepit delinivitque animos, ut, quæ dixerat, literarum monumentis conſignare juberetur. Morem bonus vir geſſit, ſed patrium ſermonem uſu barbarum, quibus aſſueverat, linguarum & perpetuo Portugallici idiomatis exercitio adeo dedidicerat, ut ſeligendus ex Ordine Prædicantium eſſet Pl. Rev. *Fortunatus Alamandini*, Bononienſis, Vir Eloquentiæ ſacræ laude longe florentiſſimus, qui dicendis ſtilum commodaret, provideretque, ut ſua linguæ Italicæ, qua ſcribere aggreſſus erat, & puritas & elegantia conſtaret. Ita expolitum hoc Opus juſſu Congregationis laudatæ prelo commiſſum eſt; Autor autem, *Præfecti miſſionis* dignitate ornatus, in easdem Africæ partes biennio poſt rediit, cujus novi itineris narrationem ſi nanciſci potuerit S. Rev. *Labatus*, pariter ſe editurum pollicetur.

Quod ad hunc Librum attinet, injuriam ei utique fecerit, qui propterea, quod Monacho religionis Chriſtianæ apud barbaras gentes propagandæ ſtudioſo originem debet, non evolvendum eum putet, niſi ut ratio, qua miſeros illos populos Evangelii luce perfundunt Romanenſes, Baptiſmus eorum, ceterique ſacri ritus, cognoſcantur. Nam, qui mores, origines, ſedem, religionem, bella, pacificationes, fines, regimen civile, leges, inſtituta, & linguas eorum, quæ omnia Hodœporici hujus Autorem, *Cavazzium*, penitus imbibiſſe, jam ſupra indicavimus, propius cognoſcere avent, vel hic ſitim explere, vel nuſquam alibi, poterunt.

Digitized by Google

runt. In hiſtoria harum gentium nihil illuſtrius *Zingha*, Regina,de qua cum alii,tum *Dapperus* in Deſcriptione Africæ egit. Sed narratio ejus, ut deformis & haud raro a vero aliena eſt,ita perpetuo incertis ex fontibus promanat, cum & pleniora longe ſint & certiora, quæ de eadem *Cavazzius* tradidit, quippe qui teſtis αὐτόπτης inter amicos ſecretiores ejus Reginæ locum tenuit. Is enim,pari felicitate uſus cum Rev. P. *Antonio Cajetano*, cujus opera illa cum religione Chriſtiana, cui nuntium miſerat, fœdiſſimis ſuperſtitionibus per annorum plurium ſpatium rurſus immerſa, in gratiam rediit, ita ſibi animum ejus devinxit, ut nihil eum rerum ſuarum ignorare pateretur, ſed ſponte ei, quæ vel adminiſtros illius, ſumma ejus gratia florentes, fugiebant, exponeret. *Zingha* hæc, fatis perfuncta, Regnum Matambæ, cujus gubernacula geſſit, *Barbara*, ſorori, reliquit, de cujus, ut & mariti ejus, ſummi quondam militum, dum *Zingha* in vivis eſſet, præfecti, rebus geſtis, apoſtaſia, crudelitate, & morte, multa hic pariter enarrantur digna,quæ curatius cognoſcantur. Neque inſuper habenda,quæ ſequuntur de Rege Maopongenſi, terris ejus, apoſtaſia, & malis inde cum ad ipſum,tum ad populos ei ſubjectos,redundantibus. Paſſim vero in Opere hoc occurrunt, quibus clariſſime confirmari poſſe Rev. *Labatus* exiſtimat ſubleſtæ, ut viſæ multis ſunt, fidei narrationes de veneficis & veneficiorum magiſtris, ſub finem primi Tomi *Relationis de Inſulis Americanis* adſperſas. Quæ ut ſuo loco relinquimus, facile prævidentes, paucos futuros, qui in hac luce literarum ac ſanioris Philoſophiæ quibuſcunque aliorum hominum teſtimoniis perſuaderi ſibi ſimilia patiantur, ita, quod ad verſionem denique hujus Libri, de qua jam dicendum, attinet, ipſo præeunte Autore obſervamus, neutiquam literalem illam eſſe, quam genius linguarum, Gallicæ & Italicæ, nullo modo fert, ſed liberiorem, ſenſa animi potius, quam verba, reddentem. Neque ea libertate contentus *Labatus* noſter, ſi quid prætermiſſum a *Cavazzio* vidit, ex optimis quibusque Hiſpanorum & Luſitanorum Scriptoribus, ad quos illi in Bibliotheca Nobiliſſ. *Couvryi*, Secretarii Regii, & Equitis Ordinis Chriſti, aditus patuit, id ſupplendum, non raro etiam ſub cenſuram vo-

Digitized by Google

canda nonnulla & corrigenda, ſi res ita poſtulare videretur, duxit. Poſtremi generis eſt, ut unum hoc ſpeciminis cauſa afferamus, quod de gemmis in terris Congenſium, eam ob cauſam, quod cryſtallorum ibi magna vis reperitur, magno numero inveniendis tradit *Cavazzius*, cui ſubjungit *Labatus* noſter: *Tametſi interpres ego videor ſententiæ Autoris mei ſubſcribere debere, patietur is tamen, monere hoc loco me, gemmas nusquam fere conjungi cum cryſtallis, & loca, unde illæ prodeunt, cryſtallis tantum non perpetuo deſtitui. Certiori indicio opus eſt, ut publice aſſeverare liceat, in Regno Congenſi reperiri lapides pretioſos,* & quæ ſequuntur. Alia vero ſupplevit auxitque *Labatus*, cujus rei exempla non una paſſim occurrunt, nec digreſſionibus abſtinuit, ſi eas ſeries dicendorum admitteret. Huc enim, niſi omnia nos fallunt, ſpectant, quæ de pulvere, quo capillos inſpergere hodie moris eſt, differit. Poſtquam enim ſimile quid apud incolas harum Africæ partium obſervaſſet, *An Europaæ,* inquit, *gentes fortaſſe ab Æthiopum populis mutuatæ ſunt hunc ornandi capillitii morem? Quinquaginta ſunt anni, cum unis hiſtrionibus pulveris hujus adhibendi licentia daretur, qua non uſi illi ſunt, niſi in theatro; fabula acta, depectebant ſeſe, non prodeuntes in publicum, niſi pulvere illo penitus excuſſo. Neque intra hos limites ſubſtitit mos illaudabilis; non tantum enim nemo niſi comtis hoc pacto capillis incedit, ſed veſtimenta etiam eodem pulvere exornantur, nulla vel ætatis, vel ordinis, vel dignitatis, habita ratione. Vah! quam perverſum ac ridiculum hoc cultus genus! Sed nec hoc ſatis erat; viri tantundem prope temporis ſpeculo affixi inſumunt comendo ſe atque exornando, ac fœminæ. Neceſſe eſt, ut tempeſtatis ſe injuriis exponant, ne quid pereat capillis criſpatis & pulveri inſperſo, quem pileus impoſitus dejiceret. Nihil eſt, quod viros reddat effœminatiores. Ut pulvis extergendis capillis adhibeatur, nemo non ferat, atque adeo laudet; ſed, caput tam album habere, quam molitores, & nolle id pileo, ne quid ornamenti illi decedat, obtegere, ſani hominis vix eſt. Pilearii intercedere huic mori, & Medicos, ut eidem conjunctis viribus obnitantur, in partes vocare debebant;*

Digitized by Google

bant; fortaſſe valetudinis tuendæ ſtudium apud homines torrente communi abreptos plus poterit, quam ratio, & moderatorum conſcientiæ conſilia. Sed hæc hactenus: neque enim fas ſit, ex Libro hoc plura transſcribere, quem qui ſemel legendum ſuſceperit, vix e manibus, niſi ad umbilicum perductum, deponet.

A VIEW OF THE PRESENT STATE OF AFFAIRS in the Kingdom of Ireland in three Diſcourſes.

h. c.

LIBELLUS, QUO PRÆSENS RERUM Hibernicarum facies delineatur, tria ejus argumenti ſcripta continens.

Dublini, 1730, 8.

Plag. 18.

Tribus Opuſculum hoc abſolvitur Scriptis, quorum primum occupatur in recenſione Magnatum Nobiliumque, qui maximam redituum in Hibernia perceptorum partem extra regni fines conſumunt. Tres illorum claſſes Autor conſtituit, quarum prima numerum eorum exhibet, qui continuo a regno abſunt, & vel nunquam, vel rariſſime, in Hiberniam veniunt. In altera nominantur, qui prorſus extra Hiberniam domicilium fixerunt, quandoque in Inſula per unum alterumve menſem commorantes. Tertia tandem enumerat illos, qui in regno quidem ſedes ac domicilium collocarunt, ſed valetudinis tuendæ, vel negotiorum, cauſa extra Hiberniam agunt, quorum numerus pene ſemper ad ſecundæ claſſis numerum accedit. His addit Diſſertationem brevem de aliis mediis atque modis, quibus reditus incolarum ex prædiis vel aliis patrimonii ſpeciebus in extraneas transferuntur Provincias. Calculum vero pecuniæ, quæ annuatim regno affertur, ad ſummam 627799 ſt. 3 ſch. 1 den. reduxit. Sequuntur Obſervationes, quæ inſignem utilitatem, quam Anglia ex Hibernia percipit, repræſentant, quibus varia immiſcentur de commerciorum in Hibernia ſtatu judicia, va-

Digitized by Google

riaque de illorum flore promovendo conſilia. In his Autor in memoriam revocat Conſtitutionem anno tertio regiminis *Richardi II* latam, qua cavetur, ut abſens a regno duabus tertiis redituum, fiſco regio cedentium, carere debeat, donec vel reverſus fuerit, vel certum perſonarum numerum prædiis ſuis tuendis immiſerit. Eandem Conſtitutionem ſub *Richardo II, Henrico IV, V,* & *VI,* aliquoties repetitam,& ſtricte obſervatam fuiſſe, memorat, quod ex antiquis monumentis,ſive regiſtraturis,probatum dedit. Qui in officio publico conſtitutus regnum egreſſus eſſet, ipſo facto privatus ſuo munere exiſtimabatur. Conſentit Statutum, anno regiminis octavo & vigeſimo *Henrici VIII* factum: nec alienum ab his eſt *Cap.XXI* Statutorum ſub *Carolo I* confectorum, quo expreſſe diſponitur, quod Hiberniæ Nobiles,in Anglia degentes, ad regni onera æqua portione cum incolis concurrere debeant. Tandem & ipſe Autor exponit, qua ratione incommodis, quæ ex abſentia naſci ſolent, ſuccurri queat. Hinc ſuadet, legem confici, qua abſentes 4 ſchillingos ex quovis redituum ſterlingo ſolvere jubeantur: &, cum plerumque ii tantum, qui prædiis ac bonis inſtructi, æris alieni voluptate trahantur, aliis mediocris ac tenuioris fortunæ hominibus ex neceſſitate quaſi domi remanentibus, autor eſt, ut illorum bona, quorum reditus ultra 500 ſt. per annum aſſurgunt, æquis partibus inter filios dividantur, quorum majori natu, cui dignitas Ducis, Comitis, Baronis, &c. ceſſerit,præcipui loco certa redituum quantitas aſſignetur. Progreſſus Autor ad commerciorum Hibernicorum contemplationem, primo generatim in naturam horum commerciorum inquirit,docens,cum quibus regionibus intercedant Hibernis negotia: ſecundo examinat, quid utilitatis, quid damni,ex quovis negotiorum genere in regnum redundet: tertio oſtendit,e re Angliæ eſſe,Hiberniæ incolas ad ſtrenue tractandas cum exteris negotiationes excitare: quarto media prodit,quibus in regno mercatura omniaque commerciorum genera feliciter provehi queant. In altero opuſculorum Autor breviſſimis Hiberniæ præſentem contemplatur ſtatum cum Politicum, tum Eccleſiaſticum, admixtis ubique obſervationibus, quæ morbos Reipublicæ tangunt. In ultimo denique

Digitized by Google

nique Tractatu lectu digniſſima conſilia proponuntur, quomodo liberis a parentibus, qui mediis ad educationem requiſitis deſtituuntur, natis, proſpici queat. Autor Scriptorum eſt, qui non incelebre apud ſuos, imo exteros, nactus eſt nomen, D. *Swiſt*, nec diffitendum eſt, eum in his libellis intimiorem rerum patriarum notitiam cum limato de iis judicio & ſingulari pro patria affectu prodere.

HISTORIA ADMIRABILIS HYSTERICÆ affectionis in Virgine Patavina, ejusdemque rariſſimorum ſymptomatum Explicatio, conſcripta ab ANGELO PISANI, Patavino, in Patrio Gymnaſio Profeſſore, & Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo Viro, ALOYSIO PISANI, Equiti ac D. Marci meritiſſimo, dicata.

Patavii, typis Jo. Baptiſtæ Conzatti, 1729, 4.
Plag. 4½.

Epiſtolica iſthæc Diſſertatio magnum exemplum exhibet, quam impune in ſanguine humano venæſectionibus profundendo prodigis liceat eſſe Medicis. Virgo Patavina, quæ variis ex cauſis procatharcticis contumax hyſtericum contraxerat malum, melancholiam experta, ex quo decimi ſeptimi anni ætate menſtrua fluere cœperant. Namque terroribus & paulo poſt devoti cujusdam itineris laboribus fracta, pleuritide decumbere, eademque ſuperata, hyſtericos inſultus pati, cœpit, qui doloribus atrociſſimis juncti denique, fruſtra tentatis aliis, ſanguinis mittendi neceſſitatem imperarunt. Ecce orci faucibus extractam, & duorum menſium decurſu bene valentem, quæ tamen, his elapſis, lecto affigitur vehementioribus priori paroxyſmis. Secatur vena, vita redditur; recrudeſcit malum acriori impetu, livente corpore, totoque rigente, aut artubus mire diſtortis. Extrahitur ſanguis, nec in duos menſes ſalutare differtur conſilium, ſed ſingulo menſe, quandoquidem reliqua artis juvamina eluſit morbus, ad actum deducitur. Parum hoc eſt,

Digitized by Google

eo uſque aucta fuit puellæ calamitas, ut non ſufficeret ſemel in menſe ſanguinem extraxiſſe vena, quin aperienda ea eſſet poſt decimum quemque diem. Duobus conſequentibus annis, ſingulis hebdomadibus, atque etiam ſæpius, cum brachio, tum pede, cruorem emiſit non mediocriter, quod ſuſpicari quis poſſet, ſed ad uncias decem & interdum ad libram unam. Excitati cauterio fonticuli trium menſium otia armatæ lanceola manui fecerunt, quæ paulo poſt frequentia vulnerum ferias compenſavit. Nam, quæ ſingulis hebdomadibus una vice ſauciata fuerat, nunc alternis diebus, quindecies in menſe Martii, ſedecies menſe Aprili, quindecies menſe Majo, aperitur. Interim bono animo eſt ægra, & tenuiſſimo victu uſa, utpote quæ carnibus abſtineat, fluente ſic cruore, bene nutritur. Sanguis ille ſeroſus admodum eſt; nam decem unciæ ad tres evaporatione rediguntur. Inauditum fuit, octo ſaltim vicibus aliquando per menſem pertudiſſe ægram, quæ ſine virium jactura hæc patitur, miſere mulctata, niſi quindecies novem uncias menſtruo tributo exſolverit, ægre tulit parcius adminiſtratam fuiſſe unam ex conſuetis venæſectionem, & hæc Chirurgi frugalitas miſeros ægræ motus intulit, & ſeptendecim vicibus cruorem extrahendi neceſſitatem fecit, donec continuis diebus ſanguis miſſus eſſet, jam non purpureus, ſed coloris expers, valente ægra, & viribus infractis perſiſtente. Quid ab A. 1729, quo hæc narrantur, actum ſit cum ægra, quaque rerum viciſſitudine vel convaluerit, vel languerit, vel exſtincta ſit, operæ pretium eſt reſciſcere, & magnum inibit ſine dubio apud omnes Doctiſſ. Autor gratiam, ſi decurſum morbi deſcribere perrexerit, prout ſe facturum promiſerat. Pathologica mirabilis illius morbi declaratio magna ingenii felicitate adjecta fuit ad calcem, nec dubitat Autor abundantiam humorum ſine jactura virium vena extractorum ab aere deducit, qui humidum ſuum per veſiculas pulmonales intromiſerit, cum frugales cibi nauſea etiam & abſtinentia flumen ſanguineum nullatenus imminutum effecerint.

GULIELMI SCOTI PROLUSIONES MEDICÆ IV, habitæ in Gymnaſio Patavino.

Patavii,

Patavii, typis Jo. Baptiſtæ Conzatti, 1729, 8.
Plag. 4.

Prima iſtarum Exercitationum docet, oportere Medicum conſiderare plus fluida, quam ſolida, corporis humani. Quamvis enim extra controverſiam poſitum ſit, humores nullum habituros motum, nec illum quidem conſtantem, qui a mutua particularum circa ſe ipſas ratione dependet, niſi eosdem acceperint a vaſorum, quibus continentur, motu ſyſtaltico, oſcillatione, undulatione, virtute tonica, id eſt, a ſolidis, quæ omnes vaſa ſunt; nihilominus conſiderationem medicam, non neglecta ſolidorum doctrina, potiorem facit doctrina, quæ partes fluidas pro objecto habet. Hujus aſſertionis potiora fundamenta ſunt: Partes ſolidæ nullam habituræ ſunt virtutem motricem, niſi eandem a nobiliſſimo omnium fluido, ſpiritu ſcilicet, per nervos influente, acceperint, &, ne videantur illi ſpiritus a motore quodam ſolido impelli, quod argumentum theſi contrarium futurum erat, eludit *Pacchioni* & *Baglivi* ſententiam de motu duræ meningis ſyſtaltico, quo ſpiritus impellantur, quandoquidem illa cranii ſuturis fortiter annexa, adeoque ad motum ſpontaneum inepta, deprehendatur. Addendum & hoc, ſolidas ex fluido naſci, itemque, id quod primarium eſt Medici, nullam poſſe eſſe morborum conſiderationem, niſi nutus oculi ad humorem quempiam male affectum intendantur. Subſidiarium ſaltem eſt telum, quo cauſam defendit, medicinam fletiſſe eo tempore, quo ſolidarum virtus ad Mechanices normam deducta nondum fuerat; nam, alienos prorſus fuiſſe ab hoc negotio antiquos, incertum, feliciores priorum temporum in medicina ſucceſſus noſtris, quibus nunc utimur, fuiſſe, nondum comprobatum, imo Chirurgia, inculta antiquitus, nunc florida, & regia facie incedens, ſolidarum dignitatem eminenti loco collocat.

Altera Proluſio eſt: Frigidi aeris acidum in internis inflammationibus juvans. Fluminis aerei in corpora noſtra ſuſceptibilia & undique pervia imperium docuerunt per Italiam borealium ventorum iræ, quibus ſtrages hominum illata, & Medicorum

corum induſtria mirum in modum divexata fuit, illo, quo hæc ſcribuntur, anno. Res clara eſt, nec dubium, frigoris impetu inflammationum catervas genus humanum invaſiſſe. Modus etiam declaratur, quo hæc omnia fiant, quæque aerei fluidi pars hos potiſſimum effectus producat, aciduinne ſit quodpiam aereum, quo inflammatorii affectus excitentur. Equidem id extra controverſiam eſſe arbitratur, aerem per pulmonum filtra ſubire ſanguinem, quandoquidem ventriculi cordis aere repleti inventi fuerint, nec diffitetur, exiſtere quidpiam nitro æmuli, quod aerem ad motus ſuos elaſticos exercendos idoneum reddat, quandoquidem id mutatione ſanguinis intra pulmones facta quoad colorem clarum ſit. Interim conſtanter negat, acidi naturam huic ſali aereo ineſſe, id quod potius ſali medio affine ſit, nec neceſſe eſſe, ad nondum comprobatum acidum aeris confugere, quo popularium morborum communio evincatur, quin ſufficiat, ſolam aeris denſitatem accuſaſſe, quæ a defectu caloris oriatur flante borea, quo intelligi poſſit, cur humores inſpiſſentur, quandoquidem aer craſſus tranſire pulmonum veſiculas apte non poſſit. Demonſtranda eſſet ante omnia aeris per pulmonum veſiculas ad ſanguinem via, & eludenda experimenta, quibus conſtat, aerem alcali quodpiam in medium ſal mutare, ab aere aluminis & vitrioli caput mortuum novo acido impraegnari, quo acidum aereum nullum exiſtere quis arbitretur.

Accedit utiliſſima Commentatio in theſin: Medicam ſcientiam, ut Phyſices partes ceteras, non minus rerum inventione, quam inventarum expoſitione & examine, conſtare, adaugeri. Res eo redit, non omni laude dignos eſſe, qui doctrinas, vel analytice fruſtillatim per aphoriſmos, vel ſynthetice in compendio methodi, quo ſuis laboribus parcant, tradunt, quin potius id agendum eſſe ſedulo, ut nova itendidem experimenta & obſervationes non ubivis obviæ proferantur ad accendendam novam, non vero emungendam ſaltem, veteris Medicinæ aut Phyſices totius lucem. Interim non negat, duo debere eſſe hominum medicinam juvantium genera, verbis *Verulamii* & *Baglivii*, alterum inſtituentium experimenta, alterum expendentium. Hæc enim fere fuerunt totius Medicinæ incrementa, quod, qui-

cunque

Digitized by Google

cunque ad ſcribendum animum appulerunt, non majorum ſaltem labores compilaverint, ſed & de ſuo addiderint. *Hippocrates* Rhodiæ, Cnidiæ & Coæ Scholarum dogmata connexit, & cum Tabularum ſanitatis hiſtoria in artis formam redegit. Diſſenſus Autorum & mutuæ lites novarum rerum inventa ſubminiſtrarunt. *Diocles, Caryſtius, Praxagoras, Chryſippus, Herophilus*, & *Eraſiſtratus*, ſinguli ſectarum harum Autores diverſas curandi vias invenere non ſine artis Theoreticæ commodo, ægris interim veritatem novam ſanguine luentibus. Id quidem ſic per omnia Secula contigit, ut antiquorum ſcripta recentiorum limam paterentur. Neque enim magnus ille hiatus CCCC annorum, quo medicina inter Barbarorum ſterquilinia ſepulta fuit, ſua prorſus laude caret. Laudandus ſane eſt *Avicenna*, qui eorum temporum commenta nobis ſervavit: nec diffitendum, antiquorum ſententias recoctas pro novis aliquando haberi. *Pitcarnius* ſane ab *Eraſiſtrato* attritionem ſtomachi, *Sanctorius* ab *Aſclepiade, Tullii* amico, transſpirationem edidicit. Magnum etiam iſtud circuli ſanguinis inventum, quod, *Harvæo* communi aſſenſu tributum, a quibusdam, invidia motis, ad ſuperiora Secula transfertur, velletque Autor civibus ſuis *Paulo Sarpio* & *Andreæ Cæſalpino* hanc gloriam vindicare. Interim verum eſt, niſi exſtitiſſent *Boylæi, Kunkelii, Takenii*, in arte Chymica plurimum auſi, niſi poſt *Democritum* & *Archimedem Galilæi, Borelli, Bellini, Bernoulli, Keylii*, rationalem Phyſicam exercuiſſent, plura abſcondita futura, quæ jam Medicinæ uberrimam lucem affundunt.

Quarta dicendi materia eſt: Peregrinationes, vel apud illiteratas gentes inſtitutas, ad medicam ſcientiam integre comparandam multum conferre. Plurimum prædicat itinerum in medicina ediſcenda neceſſitatem Autor, ſive integram naturam in operum ſuorum ordine & perfectionibus ediſcere, cœli ſtatum, aeris ſolique conditionem ſingulis Provinciis propriam noſcere, triplicis Regni arcana detegere, voluerit, ſive errantem eandem agnoſcere allaboret, in morborum cauſarumque morbificarum ſerie ediſcenda, in quo ſane peregrinantes fere ſemper quidpiam inveniunt, de quo ſibi impenſe gratulari poſſint.

 Lau-

Digitized by Google

Laudantur Autori, & ordine recenſentur Phyſicæ & medicinæ lumina, quæ itineribus magnam famam acquiſiverunt. Ex antiquis *Pythagoras*, *Plato*, *Democritus*, *Ariſtoteles*, *Plinius*, *Dioſcorides*, *Galenus*, ex recentioribus *Proſper Alpinus*, *Jacobus Bontius*, *Guilielmus Piſo*, *Margraffius Tel Reynius*, *Sherardus*, *Tournefortius*. Plurimum quidem commoditatis in itinere eſſe Medicis, addit, ſed triſtiſſimos itineris eſſe caſus, quibus illi, ſi Magnates curare ſuſceperunt re irrita, ant ſiniſtre ſuccedente, extrema paſſi ſunt, quales hiſtorias recenſet *Pancirollus* & *Beverovicius*. Quibus tamen minime deterreri monet, rerum medicarum indagatores, quin primam quamque peregrinandi occaſionem ſponte lubenteſque amplectantur.

LE SPECTACLE DE LA NATURE, OU ENTRETIENS ſur les particularités de l'Hiſtoire naturelle, &c.

h. e.

PROSPECTUS NATURÆ, SIVE COLLOQUIA de ſingularibus Hiſtoriæ Naturalis argumentis, &c.

Tomi I Partes duæ.

Trajecti, 1733, 12 maj.

Alph. 1 pl. 2, cum Tabb. æn. 4.

Cum optandum omnino eſſet, ut teneræ etiam ætatis juvenes, quibus melior vitæ pars tædioſo atque præpoſtere inſtituto linguarum ſtudio acerba redditur, naturæ ejusque operum notitia aliqua mature imbuerentur; Compendium aliquod rerum naturalium infantibus hoc Opere exhibere Autor inſtituit. Rationem propoſiti, & modum, quo ſcopum præfixum aſſequi ſuſcepit, partim forma Dialogi, qua Opus ſuum induit, partim perſonæ, quas colloquentibus tribuit, ſatis produnt. Fingit juvenem bonæ indolis ex ordine Equeſtri, qui, ſecundæ claſſis, ut vocant, diſcipulus, tempore æſtivo, quo ſcholæ lectiones vacant, rure in domo avunculi commoratur; qui, arcanorum

norum naturæ deliciis captus, cum nobili fœmina, atque verbi divini in iſta Parochia miniſtro, poſt prandium juveni rerum naturalium hiſtoriam enarrat. Ille, in muſeum reverſus, quæ ab hoſpite accepit, diligenter deſcribit, atque verbi divini Miniſtro corrigenda exhibet. Hiſce natalibus Opus hoc deberi fingitur. Juvenili vero captui licet accommodatum ſit, atque hiſtoria potius naturæ recenſeatur, quam principia ejus explicentur; operam tamen Autor dedit, ut ex puris atque nobiliſſimis fontibus, Commentariis puta Academiarum, quæ Londini & Pariſiis florent, *Malpighii*, *Redii*, *Willugtibeji*, *Leuwenbœckii*, aliorumque ſolertiſſimorum naturæ ſcrutatorum, ſcriptis, ea, quæ proponit, hauriret. Ut naturalium rerum dulcedine juveniles animos felicius ineſcaret, prioribus hiſce *Tomis* ea duntaxat proponit, quæ de avibus, inſectorum generibus variis, animalibus terreſtribus, piſcibus, & plantis, notatu digniſſima ipſi viſa ſunt, pollicitus, ad reliqua Naturalis Hiſtoriæ capita ſe ſequentibus *Tomis* tranſiturum. Cum igitur Autori propoſitum ſit, hoc Compendio illa excerpere, quæ in majoribus voluminibus ab aliis fuſius pertractata fuerant, quorum Autores in margine paſſim commendat, ut plura ſitientes, ubi ſitim reſtinguere poſſint, intelligant; nobis aliquid inde promendi otium feciſſet, niſi de propria penu ſubinde nonnulla addidiſſet, quæ methodum ac doctrinam ipſius luculentius produnt. Proponamus ſpeciminis loco illa, quæ de certo inſectorum genere, quod Grillo-talpa vocatur, exponit, quo nomine animalculum hoc propterea donatur, quod talparum more ſub terra habitet, atque grillorum ſtrepitus imitetur. Corpus ejus, tres circiter pollices longum, duobus cornibus ab anteriori parte, totidemque a poſteriori, munitur, quibus animal in tenebris, quas incolit, de quovis imminenti periculo tempeſtive admonetur. Definit corpus ejus in caudam prælongam, duabus alis brevibus admodum ornatum, atque brachiis duobus, ſerra gemina præacuta armatis, præditum. Nidus ejus, ſub terra effoſſus, modica foſſa cingitur, atque magnitudine ovum gallinæ æquat, in cujus centro ingens ovulorum ejus copia conditur. Niſi enim probe contecta hæc ovu-

la, inſimul vero aliquantum aeri expoſita eſſent, deficiente calore neceſſario, nulla animali proles ſperanda eſſet. Alia præterea ratio Grillo-talpæ ſuadet, loca, quibus ovula ſua reponit, ſolicite munire, eaque foſſa provide cingere. Eſt enim certi generis nigrum animalculum,ſub terra prorepens, quod generi Grillo-talparum vehementer infenſum,vel ovula earum,vel pullos, devorare ſolet. Semper igitur nonnemo ex familia inſecti hujus juxta foſſam excubias agit, hoſti prædam aucupanti inſidiatur, eumque aditu prohibet. Sin hoſtium,conjunctis viribus nidum aggredientium, impetum Grillo-talpæ familia repellere haud valeat, hæc in meatus varios, quos circa nidum propterea effodit, ut ab hoſtium inſultu tuta deliteſcere queat, ſe recipit. Appropinquante hyemali tempore, Grillo-talpa nidos, quibus ovula ſua condidit, profundius ſub terram defodit, ſemperque altius deſcendit, quam hyemale frigus penetrare ſolet. Poſtquam clementior aeris temperies rediit, iisdem gradibus, quibus hæc creſcit, animal nidum ſuum ſurſum verſus terræ ſuperficiem provolvit, ut ovula radiorum ſolarium virtute fœcundata matureſcant. Cum eadem fere admirabili cura proli ſuæ formica proſpiciat, a Grillo-talpa ad enarrandam hujus inſectorum generis hiſtoriam Autor tranſit. Populus hic eſt, eadem fere concordia, qua apes uniuntur, vivens, atque certam Reipublicæ formam conſtituens, quæ definitis legibus conſtricta regitur. Conſtruunt formicæ aliquam urbis ſpeciem, majoris longitudinis, quam latitudinis, certis plateis diſtinctam, quæ in horrea, varii generis alimentis referta, deſinunt. Ut comte urbem ſuam ædificent, plures ligni feſtucas conſarcinant, quibus tanquam columnis utuntur, ad firmandas platearum partes ſuperiores. Ad ſuffulciendos fornices columnas illas aliis lignis transverſis conjungunt, iisque juncorum, herbarum,& aridi ſtraminis,texturam imponunt, quam inclinato ad horizontem ſitu combinant, ut aquam a domibus ſuis prohibeant, in quarum aliis annonam reponunt, in aliis ovula ſua atque vermes excluſos condunt. Victu modico contentum animal, quodcunque occurrit, eo nutritur; quod conſumi nequit, communi conſilio domum reportatur, ut, ſi durabile

bile ſit, in hyemale tempus condatur. Univerſo autem populo conceſſum non eſt, pro lubitu paſſim diſcurrere, ſed aliis ex hac gente incumbit prædam agere, aliis vias, quibus domum victus portetur, explanare, aliis denique prædæ inveniendæ cauſa ſpeculatum abire. Indicio ab hiſce facto, omnis populus turmatim egreditur, ut vel piro aliquo maturo, vel ſacchari fruſto, aliiſque ejusmodi cupediis, univerſa civitas paſcatur. Ut mercator in Peruvianas terras per longinquum mare divitiarum cauſa excurrit; ita impigra hæc gens, ex imis hortorum foſſis ad ſumma tecta, aliorumque adjacentium locorum faſtigia, ad inveniendum victum adſcendit. Illud tamen iter, ubi remota atque alta loca conſcendunt, certis legibus definitur, ut eadem ſemita omnes proficiſcantur, cum major libertas conceſſa ſit, ubi per campum prædæ cauſa diſcurrunt. Virides illos pulices terreſtres, qui magnam florum copiam corrumpunt, & prunorum atque pirorum teneriora folia filamentis ſuis implicant, maxime in deliciis habent. Illos venantes, magnam plantarum partem, antequam fructus matureſcant, perrepunt. Pulices hi, ſive in ovulis ſuis adhuc deliteſcant, ſive jam excluſi ſint, arboribus noſtris iſtud damnum inferunt, cujus formicæ vulgo accuſari, atque propterea crudeli & injuſta cæde a nobis trucidari, ſolent. Maxima propterea ipſorum cura in eo verſatur, ut frumenta atque omnis generis grana, quæ in diem ſervari poſſint, conſarcinent, quorum germina dentibus arrodunt, ne in ſubterraneis caveis natura humidioribus nova germina protrudant. Æſtivus tamen hic ipſorum labor non tam curæ alimentorum per hyemem, quam prolis educationi, deſtinatus eſſe videtur. Licet enim omnis civitas clauſis portarum repagulis ſub terra per hyemem deliteſcat; parum tamen conſumere, ſed, aliorum inſectorum more, alto ſapore ſepulta jacere, videtur. Incredibilem prolis, ſimul ac ovulis egreſſa eſt, curam univerſa civitas gerit, ut communi totius gentis cura pulli omnes nutriantur ac educentur. Ex ovo egreſſæ vermiculorum forma, vix duorum arenæ granorum magnitudinem æquant; tunc, communi victu, qui æqualibus partibus ſingulis diſtribuitur, per aliquod tempus ſuſtentatæ, fila nectunt,

Digitized by Google

iisque, tanquam velo candido ac pellucido, ſe involventes, cibum porro haud capiunt. Sic in Chryſalides transformatæ ſunt, quas nonnulli pro ipſis formicarum ovulis male accipiunt, cum non niſi nymphæ ſint, e quibus juniores formicæ tandem egrediuntur. Licet vero parentes opus non habeant involutæ hoc peplo proli de victu proſpicere, magno tamen labore illius educatio ipſis conſtat. Subinde enim pro caloris ac frigoris, humiditatis, aut ſiccitatis, diverſa temperie neceſſe eſt, fœtum hunc a parentibus vel altius ſub terra condi, vel ad ſummam ejus ſuperficiem magis admoveri, ut vel radiorum ſolarium virtute fœcundetur, vel æſtu ſolis extorridus, roris dulcedine reficiatur. Sed mittimus argumentum, quod omnium oculis expoſitum, nauſeam Lectori creare poterat, niſi aliqua excuſatio ab Autoris inſtituto, teneræ ætatis juvenes erudientis, peti poſſet. Ut vero eorum quoque ſpecimen, quæ de avibus enarrat, proponamus, hiſtoriam excerpere juvat, quam de miro aquilarum in Pyrenæis montium jugis uſu recenſet. Lectori inde conſtabit, ipſum *Plinii* veſtigiis quandoque inſiſtere, atque ea, quæ certa ac explorata ſunt, dubiis quibusdam rebus diſtinguere, quæ apud paucos fidem invenient. Narrat, virum Equeſtris ordinis, cum in montibus illis aliquando Reipublicæ cauſa diverteret, atque, conciliata ob negotiorum gravitatem incolarum illius regionis gratia, a Viro generoſo ad prandium invitaretur, exquiſitas epularum delicias admiratum, vehementer tamen obſtupuiſſe, nihil apponi, quod non aliqua ſui parte truncatum eſſet. Hoſpitem, obſervato ancipiti ejus mœrore, promi condi ſui gulam accuſaſſe, qui nihil, quod ante non avidius delibaverit, apponere ſoleat, atque, ut fabulam explicaret, addidiſſe, aquilas in illis regionibus, quæ fertiliſſimæ ſint, & omnis generis deliciis abundent, nidos ſuos in rupibus inacceſſis ædificare, quos obſervantes ruſtici, confeſtim in montium horum radicibus tuguriola ſibi exſtruant, quibus a furore animalis tuti deliteſcant. Interea aquilæ, tum mas, tum fœmina, communi aura pullos educantes atque nutrientes, prædam acturæ excurrunt, atque gallinarum, anſerum, agnorum, caprarum, porcorum, &c. incredibilem copiam domum advehunt. Sylve-

ſtribus

ſtribus feris inprimis delectantur, atque pullos ſuos perdicibus, anatibus ſylveſtribus, leporibus, alunt. Ruſtici, in tuguriis latentes, obſervato parentum diſceſſu, ſcalarum ope conſcenſis rupibus nidum trepidi ingrediuntur, prædam ſuffurantur, ejusque loco, ne feroci beſtiæ fraus ſuboleat, aliorum animalium inteſtina apponunt. Teſtatur Autor, duos tresve ejusmodi nidos inſtruendo quotidie ſplendide atque opipare convivio Viri alicujus illuſtris abunde ſufficere. Videtur Autor non incongruum exiſtimaſſe, Operi, quod inſtituendæ juventuti deſtinatum eſt, fabulas nonnullas intexere, quibus juveniles animi magis exſtimularentur, eorumque ſtudium in addiſcenda rerum naturalium hiſtoria acueretur.

JO. LAUR. MOSHEMII, SEREN. DUCIS Brunſuic. a Conſiliis rerum ſanctiorum, Abbatis Mariævallenſis & Michaelſteinenſis, rei Scholaſticæ per terras Guelphicas Ephori Generalis, Theol. Doct. & Prof. Diſſertationum, ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinentium, Volumen. Accedit MICH. GEDDESII Martyrologium Proteſtantium Hiſpanorum, Latine verſum ex Anglico.

Altonaviæ, ſumtibus Jonæ Korte, 1733, 8.
Alph. 2.

Dudum eſt, quod Viris Celeberrimis ſolenne fuit, ut disjectas vage exiguæ molis ſchedas, ſeparatim antehac in lucem emiſſas, denuo perluſtrarent, novisque acceſſionibus auctas, conjunctim edi curarent. Quapropter S. Rev. *Moshemii* inſtitutum nihil apud viros bonos & æquos indiget excuſationis, quippe quod infinitis ſeſe exemplis tuetur. Haud enim ab re viſum eſt ei, Viris quibusdam doctis, & negotiatori librario, ſatisfacere, atque has Diſſertationes, quibus nonnullis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ momentis lucem attulit, uno Volumine comprehenſas cum ſacra communicare civitate. Nec tamen veterem, qua olim

Digitized by Google

olim prodierunt, formam illas retinere voluit, ſed eas tantum non omnes locupletavit, & variis additamentis auxit. Quid? quod & ſtilum & orationem illarum Diſſertationum, quas juvenis exaravit, curatius emendare, haud conſultum duxit, quo lectori pateret intelligenti, ſenſim exercitatione & oratione eo ipſum perveniſſe, ut ſine fuco, ſimpliciter, & apte, animi ſui declararet ſenſa. Nos, more inſtitutoque noſtro, ſumma omnium capita breviter indicabimus, ad ipſam lectionem eos, quorum intereſt, excitaturi. Sed verbis hic non ita multis ſumus uſuri, eo quod in variis ephemeridibus eruditis, eo tempore, quo ſeparatim exierunt Diſſertationes, confectis, compendiaria earundem jamjam exſtat enarratio.

Prima *de ætate Apologetici Tertulliani, & initio perſecutionis Chriſtianorum ſub Severo*, inſcripta eſt. Sunt, qui poſt annum 200 eum conſcriptum volunt, & *Caveus* quidem A. 202, *Dodwellus* atque *Baſnagius* A. 203, *Pagius* vero A. 205. Hi vero omnes initium perſecutionis *Severi* minus accurate conſtituerunt: quam ob rem mirum haud eſt, quod a vero aberraverint. Chriſti ſacris fidem adjungentes, *Severo* imperante, ante edicta ejus vexati ſunt. Hanc quidem rem loca *Tertulliani*, *Clementis Alexandrini*, ex Actis item Scillitanorum Martyrum, ex *Oroſio*, ac *Freculpho*, excerpta, extra omnem collocant dubitationem. Ea vero, quæ *Dodwellus* & *Baſnagius* objiciunt, tanti haud ſunt, ut ab hac aliquem dimoveant opinione. Longius adhuc proceſſerunt Viri Clariſſimi, *Joſephus Scaliger*, ac *Petrus Allixius*, quippe qui, mortuo jam *Severo*, librum hunc compoſitum eſſe, in animum, ut crederent, induxerunt. Hoc illi uno disjuncti ſunt, quod prior poſt A. 210, alter contra poſt A. 211, aliquod temporis, quo exaratus fuerit, intervallum commemorato aſſignet Apologetico. Rationes vero, quibus pugnant ingenioſiſſimi Viri, inferiores ſunt, quam ut magna probandi valeant virtute. Sunt alii, qui vel ante A. 200 natales quærunt libri, vel ad ipſum hunc annum referunt. Multum vero hi diſſident ſententiis, eo minus audiendi, quo incertiores ſunt, quid decernere debeant.

Hoc

Digitized by Google

Hoc unum omni vacat dubio, nec amplius verti in lite debet, *Severo* imperante, ſigillatim poſt motus *Albini* compreſſos, librum hunc in literas a *Tertulliano* relatum eſſe. Hi autem, quicquid ſibi perſuadeant alii, A. 197 ſedati ſunt; id quod ex ſerie rerum a *Severo* tum temporis geſtarum, ex obſidionis Byzantinæ, nec non nominis *Auguſti*, Caracallæ dati, tempore, omni ſine negotio demonſtratur. Cum igitur bellum in *Albinum* A. 197 abſolutum eſſet, eodemque anno Romam revertiſſet *Severus*, in plurimos crudeliter animadvertit, in quos vel leviſſima cadebat ſuſpicio amicitiæ cum *Albino* contractæ. Hanc Imperatoris crudelitatem ipſe docet Apologeticus, & egregius in eo locus *Cap. XXV pag. 302.* Conſentit *Herodianus Hiſtor. Lib. III Cap. VIII pag. 146.* Non minus ſcite *Spartianus* eandem rem enarrat in Vita *Severi Cap. XVI pag. 180*: cujus teſtimonium id præterea eximium habet, quod *Tertulliani* verbis eleganter reſpondet. Hæc crudelitas cum ſtatim adventum ejus conſecuta ſit, nec ante, quam ad Parthos debellandos diſcederet, id quod A. 198 contigit, deſierit; conſequens eſt, ut A. 197 & 198 ita in humanos proceres ſævierit. Ex his incertum videtur eſſe, utri horum annorum Apologeticus aſſignandus ſit. At nihilo tamen minus, rebus omnibus diligenter circumſpectis, veri ſimillimum eſt, eum anno, quem poſtremo loco commemoravimus, exaratum eſſe. *Herodianus* loco indicato ſcribit, *Severum*, antequam, *Albino* trucidato, Romam rediret, Galliam pacaſſe, res Britanniæ ordinaſſe, aliaque perfeciſſe, quæ tempus quoddam requirunt. Ex quo perſpicuum ſit, exeunte A. 197, ipſum revertiſſe ad urbem. Certum quidem eſt, eorum ſupplicia, quibus *Albinianæ* ſeditioni diem dicebat, brevi adventum ejus ſecuta. At res tamen ad *Tertullianum* tam cito perferri haud potuit, qui Carthagine librum hunc literis mandavit. Idem etiam *Tertullianus* ludos publicos ac ſpectacula proxime racemationem, hoc eſt, perveſtigationem eorum, quos averſæ a ſe voluntatis accuſabat *Severus*, hominum præceſſiſſe narrat. Jam vero in Quinquennalia omnium ea conveniunt optime, quæ perhibet ille. Subveniunt Hiſtorici, qui ſtatim poſt adventum ejus

ludos victoriæ cauſa exhibitos eſſe docent. Vide *Herodian. Lib. III Cap. VIII pag. 147*, *Spartian.* in Vita *Severi Cap. XIV pag. 150.* Quinquennalia haud dubie quinto Imperii ejus anno ſunt edita. Ergo A. 198 medio circiter hanc Chriſtianorum defenſionem in literas retulit *Tertullianus.* Ex his apparet, primum annum & initium vexationum, quas ſub *Severo* Chriſti ſuſtinuerunt amici, annum proxime præcedentem fuiſſe.

Pag. 85. Conſequitur *de turbata per recentiores Platonicos Eccleſia* Commentatio, quæ altera pæne parte major hic exhibetur, quam antea fuit edita. Inter eas cauſas, quibus res Chriſtiana varie fuit agitata, haud poſtremum Philoſophiæ, cui olim operam divinæ ſapientiæ dederunt ſtudioſi, locum aſſignandum eſſe, nemo unus dubitat hodie. Multum inprimis detrimenti ſacræ civitati Philoſophiæ illud genus, quod *recentiorem Platoniſmum* vulgo vocant, attulit. Sub Seculi nimirum a nato Servatore ſecundi exitum Alexandriæ in Ægypto Secta quædam Philoſophorum, *Ammonio*, cui *Sacci* cognomen erat, autore, caput extulit, cujus jam *Potamon*, qui imperante *Auguſto* ibidem vixit, jecerat fundamenta. Ab his qui erant, cum in nullius verba magiſtri jurarent, *Eclectici* appellati ſunt, eo quod ipſis liberum erat, id quod optimum ſibi videretur, undecunque colligere & in ſuam diſciplinam transferre. Ex hac aliqui Chriſti ſacra receperunt, & ſcholam poſtea rexerunt Alexandrinam. In his *Athenagoras* primus fuit, quem *Pantænus*, & *Clemens Alexandrinus*, cujus ætate *Ammonius* ille vixit Alexandriæ, ſecuti ſunt. Hi in morum doctrina Stoicos, in ratiocinandi arte *Ariſtotelem*, in plurimis autem rebus *Platonem*, conſectabantur. Iſta ſecta brevi temporis ſpatio maximam orbis Romani partem occupavit, adſcito ſibi *Platonicorum* nomine. Ex *Ammonii* ſchola *Plotinus* exiit, qui totam fere Italiam hac infecit doctrina. Diſcipulus hujus eruditus, at levis, *Porphyrius*, Siciliam & alias Romani orbis Provincias ea replevit. In Alexandrina ſchola, quam ipſe condiderat *Ammonius*, hoc Philoſophiæ genus per multa regnavit Secula. Ex Ægypto ad Syros tranſiit, & præſertim Antiochiæ, quæ Syriæ caput eſt, conſedit. In Græciam *Plutarchus* quidam, Athenienſis, hanc intulit

Digitized by Google

intulit philoſophandi formam, qui poſtea Athenis ſcholam inſtituit, ex qua *Syrianum*, *Proclum*, *Iſidorum*, *Damaſcium*, magna tunc nomina, prodire juſſit. Verum, cum Imperatores Servatori nomen darent, paulatim de familiæ hujus ſplendore detractum eſt aliquid. At multi tamen Chriſtiani, poſt *Conſtantinum M.* Philoſophos hos haud parum Reipublicæ fructus afferre arbitrabantur. *Julianus* præter modum ei favit. Hoc vero opinione citius mortalium rebus erepto, res *Platonicorum* in dies diminutæ ſunt. Seculo quinto Scholæ tam Alexandrinæ, quam Athenienſis, gloria & dignitas perierat. Seculum autem ſequens ultimam rebus ſectæ hujus cladem attulit, Imperatore *Juſtiniano*, aut ſolum eos vertere, aut ad Chriſtianorum religionem accedere, jubente: quorum illud antetulerunt, &, *Agathia* teſte, in Perſiam profecti ſunt. Poſt hæc tempora oblivione & obſcuritate ſenſim oppreſſi ſunt. Dictis plura addere nihil attinet, ne, quæ ad præcipua Philoſophiæ recentioris *Platonicæ* fata & hiſtoriam pertinent, pluribus verbis, atque neceſſe eſt, perſequamur. Jam in brevi veluti tabula, quantum detrimenti ex his *Platonicis* civitas Chriſtiana ceperit, adumbrare decrevimus. Chriſtianorum doctiſſimi ad hanc Philoſophiam ſeſe applicabant, rati, parum inter Chriſtianam ac *Platonicam* diſciplinam intereſſe diſcriminis, & utramque certo modo ſatis commode conjungi poſſe. Mirum hoc eſt, quod hanc *Ammonii* peſtem, qua nulla unquam capitalior Chriſti acciderat diſciplinæ, non cautius fugerint, ſuisque rationibus rectius proſpexerint. Is enim, Chriſtianis parentibus natus & in Chriſtiana religione inſtitutus & educatus erat, at virilem ætatem adeptus, ad avitam religionem & multorum Deorum cultum deficiebat. Tum vero, ut ſolent transfugæ, capitale odium ex civitate Chriſtiana, quam reliquerat, ſecum retulit, atque illa, quam a Chriſtianis hauſerat, cognitione ad novum illud, quod meditabatur, Philoſophiæ genus conſtituendum, abuſus eſt. At, re non bene putata, multi, licere ſibi *Chriſtum* & *Ammonium* ſimul ſequi, arbitrabantur. Nam Philoſophia *Eclectico-Platonica*, aut, ſi mavis, *Potamonico-Ammoniana*, Chriſtianis præceptis temperata, & paulo ali-

ter inſtructa & diſpoſita, omnium olim concelebrabatur ore. Hinc *Clementi* & *Ammonio Origenes* operam dederat, quem *Platonicis* ſcitis doctrinam Chriſtianam adulteraſſe, conſtat inter omnes. Is multis uſus eſt diſcipulis, qui ſummis inter Chriſtianos muneribus paſſim præficiebantur. His quidem ea philoſophandi ratio in profligandis Gnoſticorum ineptiis nonnihil attulit adjumenti, at multo plura civitati Chriſtianæ inflixit vulnera. Sunt vero hæc mala partim externa, partim interna. Tria ſunt, quæ exterius regnum Domini noſtri afflixerunt: 1) idonea erat hæc diſciplina ad enarrandas rationes illas, quibus doctores Chriſtiani veterum ſuperſtitionum vanitatem demonſtrabant; 2) ad argumenta, quibus Chriſtiani Antiſtites divinitatem ac præſtantiam religionis ſacroſanctæ extra litem ponere ſolebant, novis inventis, ut fictis multorum, qui Deos coluerunt, miraculis, convellenda. Ex quo factum eſt 3), ut alii a Chriſtianis deſciſcerent, ut *Julianus*, Imperator, & ad veteres ſordes reverterentur, alii vero novam ſibi religionem, ex præceptis Chriſtianis & antiquis ſuperſtitionibus conflatam, exemplo ***Ammiani Marcellini***, ***Chalcidii***, ***Symmachi***, atque ***Themiſtii***, comminiſcerentur. Ad inteſtina mala hoc in primis pertinet, quod Chriſtiani, huic Philoſophiæ dediti, Chriſtianam religionem variis erroribus contaminarunt; id quod exemplo probatur Scriptoris *Clementinorum*, qui Judæus fuit, & huic ſectæ favit, at certa tamen ratione, philoſophico nimirum quodam religionis genere, teſte ipſo libro, religionis Chriſtianæ veritatem defendere voluit, dum, præter alia, credidit, dolis ac fraudibus licere veritatem tueri: quæ doctrina veterum Ægyptiorum erat, a quibus eam *Pythagoras* & *Plato* acceperunt. Ab his ad recentiores manavit *Platonicos*, &, Chriſtianorum non ultimam partem per illos infectam eſſe, verba & doctrina *Origenis*, *Chryſoſtomi*, & *Syneſii*, nobis argumento ſunt. Nec ſolum hæc nova Philoſophia varios genuit in doctrina errores, ſed ritus etiam & cærimonias ſacras auxit ac depravavit. Exemplis hæc omnia idoneis corroborat S. Rev. Autor. Ceterum ex his perſpicuum fit; litem a *Franciſco Balto*, *Ignatianæ* familiæ ſodali, motam ſine multo negotio compo-

Digitized by Google

componi poſſe. Erant nimirum Patres Eccleſiæ Eclectici, quia ex omnibus ſcholis meliora ſeligebant ac tutiora, & *Platonici*, quia plus ex *Platone*, quam ex aliis, mutuabantur. Neque hic loci ſilentio prætereundum, id quod in *Novis Actis A. 1734 Menſ. Mart. pag. 125* jam obſervavimus, eandem Diſſertationem *Cudworthianæ* Converſioni inſertam eſſe.

Tertium locum *de cauſis ſuppoſitorum Librorum inter Chriſtianos Seculi primi & ſecundi* occupat Diſſertatio. Duplex Philoſophiæ genus primis quatuor Seculis civitatem Chriſtianam vehementer conturbavit. Alterum, cum Servator naſceretur, floruit, & per duo, & amplius, Secula cœleſti doctrinæ moleſtum fuit. Iſtud vero tempore, quo Liberator noſter mortalibus ſeſe conſpiciendum præbuit, in ſolis Orientis regionibus plerisque, Syria, Chaldæa, Phœnicia, Ægypto, quin & in Palæſtina, obtinuit, & παλαιὰ φιλοσοφία a *Porphyrio* vocatur. Ab *Hermete*, *Zoroaſtre*, *Orpheo*, & aliis, ſua derivabant ſcita, & de Deo rebusque divinis multa perplexe atque obſcure diſſerebant, qui nudam γνῶσιν jactitabant, fanatici homines. Ex his primorum trium Seculorum prodierunt Hæretici, *Valentiniani*, *Menandriani*, *Simoniani*, *Cerinthiani*, nominibus quidem diſtincti, ſed in eadem principia & fundamenta conſentientes, communi *Gnoſticorum* nomine noti, quo & ipſe eos appellavit *Porphyrius*. Opiniones hominum male ſanas *Irenæus* expoſuit ac profligavit, & *Col. II, 8 ſeq.* nec non in poſteriori *Petri*, viri divinitus acti, Epiſtola, in *Judæ* item Epiſtola, & in *Joannis* prioribus divinæ patefactionis capitibus, ad easdem reſpicitur. Hi Hæretici, qui *Simonem*, Magum, parentem & autorem habuiſſe certa ratione dici poſſunt, magnis ſub nominibus commentitios compoſuerunt libros, non mediocri numero: quorum alios idcirco confinxerunt, ut Philoſophiæ ſuæ Orientali majorem conciliarent exiſtimationem, alios propterea, ut, Chriſtum ejusque familiares ſuis faviſſe ineptiis, imperitæ perſuaderent multitudini. Credebant antiqui homines, fas eſſe, veritatis cauſa mentiri. Præter cognitionem ignoti cujusdam Dei nihil admittebant, omnemque adeo morum doctrinam contemnebant. Monſtroſæ hominum veſanorum opiniones, ex Pag. 217.

ſuis principiis ductæ, hic multis commemorantur verbis. Secretos arcanosque Domini ejusque Legatorum ſermones, ſibi traditos, a ſe in literas relatos eſſe, ſciſcebant. Iidem animam ſuam ex earum ordine animarum eſſe fingebant, ex quo Servatoris anima fuerit: hincque eveniſſe docebant, ut eo cognitione & virtute minime eſſent inferiores. Viſionum ope ſibi multa innotuiſſe, prædicabant alii, hacque ex viſione acquiſita ſcientia nihil certius eſſe, diſputabant. Ejusmodi ſcita pariebant morem libros confingendi nothos, divinisque eos hominibus ſupponendi. Itaque hujus improbitatis non omnes in univerſum Chriſtiani antiqui poſtulandi ſunt, ſed maxima pars tam malæ notæ voluminum ab illis nequitiæ magiſtris profecta eſt. Nec tamen negandum, homines veræ in Deum pietatis ignaros, at vehementiori in Chriſti diſciplinam ſtudio animatos, a piis, quas vocant, fraudibus ſeſe haud abſtinuiſſe. Quo in numero Autor Actorum *Pauli* & *Theclæ*, & *Hermas* habendi. Plurimas etiam hujus generis fallacias novum illud Philoſophiæ genus peperit, quod in Ægypto Seculo tertio emerſit, paulo ante a nobis conſideratum.

Pag. 269. Diſſertatio quarto locô poſita *de vera ætate Apologetici, quem Athenagoras pro Chriſtianis ſcripſit*, agit. Planum hic facere Venerandus laborat *Moshemius*, A. 177 hanc Apologiam in literas eſſe relatam, cum plerique, eam Anno P. C. N. 166 ſcriptam eſſe, antehac exiſtimaverint. Ita errat *Jo. Clericus* in *Bibliotheca antiqua & nova*, Gallice exarata, *Tom. XVII Part. II pag. 464*, dum ab Autore noſtro putat oſtenſum, Apologiam, quam *Athenagoras* pro Chriſti amicis exaravit, uno tantum anno recentiorem eſſe, quam vulgaris ferat ſententia: undecim annis, id quod rationes melius ſubducenti patebit, dicere debuiſſet.

321. In Diſſertatione quinta, in qua *de ſtudio Ethnicorum Chriſtianos* imitandi diſſeritur, lectiſſimis planum fit exemplis, hos *primum* dictionem & formulas loquendi, *ſecundo* nonnulla dogmata, *tertio* doctrinam moralem, *quarto* denique jus ſacrum ac diſciplinam publicam Chriſtianorum, imitatos eſſe.

In

In Diſſertatione ſexta, *Demonſtratio Sectæ Nicolaitarum adverſus doctiſſimos ejus Oppugnatores* inſcripta, contra *Jo. Cocceji* amicos, qui *Nicolaitas* ex veterum indice Hæreticorum exturbant, multis rationibus probatur, ſectam hanc re vera olim, cum viverent Apoſtoli, exſtitiſſe. Originem ejus ita exponit: *Nicolaum*, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Diaconum, virum alioquin optimum, facto quodam aut dicto incaute prolato, libidinoſis hominibus, ut nomine ſuo abuterentur, occaſionem præbuiſſe. Per illos vero, quos κρατοῦντας τὴν διδαχὴν τῶν Νικολαιτῶν appellavit *Joannes*, vir divinus, non ipſos intelligi vult *Nicolaitas*, ſed eos, qui clam cum iis ſeſe conjunxerint. Cum hac Diſſertatione *Supplementum* aliquod ſociatur, in quo illa adverſus Virorum quorundam eruditorum, quibus ea haud arriſit, tela munitur. Pag. 389. 457.

Diſſertatio ſeptima *de Joanne in fervens oleum conjecto* ad Cel. *Heumannum* Epiſtolæ locum ſuſtinet. Narrant, præter *Tertullianum*, veterum alii, *Joannem*, juſſu *Domitiani*, in ollam ferventem conjectum. Cel. *Heumannus* ſingulari Commentatione efficere conatus erat, in fabulis hæc eſſe numeranda. *Moshemius* contra, Vir ſummus, nec ad fabulas, nec ad hiſtorias, narrationem hanc eſſe referendam, ſed, propter veterum monumentorum inopiam, in medio rem omnem relinquendam eſſe, contendit. Reſpondit ingenioſiſſimus Adverſarius Epiſtola comta & eleganti, cui aliam repoſuit Diſſertatiunculam *Moshemius*. Tota lis in Bibliotheca, ut dicitur, Bremenſi reperitur. Epiſtola *Moshemiana* Reſponſoria in hac Collectione nono apparet loco. 497. 535.

In Diſſertatione decima oſtenditur, *certo hodie & explorate conſtitui non poſſe, utrum Ebion quidam novæ Sectæ autor exſtiterit olim inter Chriſtianos, nec ne?* Docetur nimirum, eos, qui *Ebionem* aliquem exſtitiſſe negant, tantis haud eſſe argumentis inſtructos, ut omnem ex aliter ſentientium animis dubitationem eximere queant: at nec hos tamen ita robuſtos eſſe demonſtratur, ut nemo æquis viribus cum illis dimicare valeat. Mentem itaque Cel. Viri non ſatis perceperunt, qui illis eum accedere arbitrantur, *Ebionem* quendam non modo fuiſſe aliquo tempore, ſed eundem hominem pro viro quoque pio atque honeſto habuiſſe. 547.

Unde-

Digitized by Google

Pag. 576. Undecima Diſſertatio *de Gallorum Appellationibus ad Concilium univerſæ Eccleſiæ, unitatem Eccleſiæ ſpectabilem tollentibus*, inſcripta eſt. Nondum magni motus conquieverunt in Gallia, quos *Clementis XI*, Pontificis Maximi, lex in Novum *Paſch. Queſnellii*, Presbyteri & Patris, ut vocant, Oratorii Pariſienſis, Teſtamentum lata, quam Conſtitutionem vulgo, ſeu Bullam Unigenitus, appellant, hoc Seculo excitavit. Pergunt, qui, repudiato Pontificis arbitrio, Concilium Eccleſiæ univerſæ appellarunt, propoſitum conſtantia tueri, patriaque cedere malunt & vitæ commoditatibus, quam Decretum, quod iniquum judicant, ſuffragiis ſuis approbare. Galli vero, dum ad Concilium univerſale Eccleſiæ appellant, ſibimet ipſis & aliis, quibus addicti ſunt, dogmatibus refragantur. Provocant idcirco ad Concilium, quia, Eccleſiam univerſalem, in Concilio præſentem, Pontifice ſuperiorem eſſe, nec falli poſſe, cenſent. Jeſum Chriſtum arbitrantur ſacras dirimendi lites poteſtatem Eccleſiæ conceſſiſſe, quæ in Conciliis per Epiſcopos repræſentetur: more vero majorum ac jure humano ita comparatum eſſe, ut Pontifex Romanus Concilia cogat, & in illis præſideat. Ex quo liquet, eas Eccleſiam non ut Monarchiam, ſed ut Rempublicam aliquam, ſibi concipere animo, in qua potiores Senatus ſupremi partes ſint. Hæc vero ſententia, cum Præſules Romanæ ſedis quodammodo coerceat & certis contineat finibus, neque, in ſe ſpectata, inconcinna plane videatur eſſe, adverſatur tamen notiſſimo Gallorum dogmati de unitate Eccleſiæ externa, cujus centrum in Romano collocant Pontifice. Perſuaſum nimirum hujus eſt amicis, ex mandato Chriſti ſpectabilem quandam & externam in Eccleſia unitatem eſſe oportere: ejus autem vincula Doctores & Antiſtites eſſe: quolibet in cœtu homines Epiſcopo conjunctos eſſe debere, Epiſcopum Archi-Epiſcopo, hunc Primati Provinciæ, Primatem Romano Epiſcopo: & in hoc quidem totius unitatis fontem reſidere ac principium: a quo ſi quis deſciſcat, unitatis eum violatæ, quo nullum atrocius crimen ſit, reum eſſe. Sic generatim ſeſe habet Romani cœtus ſententia, quam *Petrus Nicolius*, *Thomaſſinus*, *Boſſuetus*, aliique, copioſe ac diſerte explicant. In eadem

dem perſtant ſententia ipſi illi, qui a Pontifice Maximo ad Concilium provocant, teſte *Gilberto Burneto*, qui hoc ex *Fabro, Picguæo, Brayerio*, viris, quos Sorbona quondam habuit, integerrimis, audivit, & *Lud. Ell. du Pin*, aliisque, quorum fidem in dubium nemo vocare poteſt. De iſta vero unitate Eccleſiæ non niſi ambigue ac valde perturbate loquuntur. Sed, quomodocunque ſibi concipiant eam animo, non poſſunt appellationibus ſuis conciliare. Obſtant hæ morali unitati, quæ ex humana perfectaque animorum ſententiarumque cum Romano Præſule conſenſione originem trahit. Quod ſi jus divinum flagitat, ut ab hujus nemo deſciſcat ſententia, Concilium, ſi aliter ac caput Eccleſiæ pronuntiaret in rebus fidei, graviſſimum ſcelus committeret, & ſacram tolleret communionem. Obſtant eædem appellationes unitati phyſicæ. Qui Romano Pontifici obſequuntur, ipſique Galli, ſacroſanctum Eccleſiæ caput ipſum vocare non verentur. Quid hac eorum tritius eſt ſimilitudine, qua corpori Eccleſia, Pontifex autem capiti ejus, comparatur? Nulla hujus alia vis eſſe poteſt, præter hanc: omnes gratiæ theſauri uni Maximo Pontifici a Chriſto collati ſunt, & ab hac in reliqua redundant Eccleſiæ membra: ſicut venæ & arteriæ a corde tractæ & profectæ in corpus omne ducuntur, uti arbores ex radice ſuccum trahunt, quemadmodum vitales ſpiritus ex capite in reliquum corpus diffunduntur: ita a Pontifice in eos, qui ipſi dignitate ſunt proximi, ab his in Epiſcopos, ab his in univerſam ſanctorum multitudinem, omnia Spiritus Sancti dona deſcendunt. Ex quo ſequitur, ut, avulſi inſtar ab arbore rami, aut membri amputati ac mortui, ſeſe habeant, quotquot Pontificis & Eccleſiæ conjunctionem deſerunt. Cum hac quoniam Galli opinione Concilium appellant, ii vero tam prudenter & graviter agunt, ac ſi membra abſciſſa, aut ramum truncatum, vivere tamen, nec capitis indigere, aut in brachiis & pedibus a corpore ſciſſis vim quandam judicandi, an caput vivat, an extinctum ſit, an recte membra gubernet, an vero ſecus, ineſſe diſputet. Nec civilis unitas locum habere poteſt, his appellationibus ſtantibus. Quælibet civitas arcto quodam colligata eſt vinculo: cujus quidem unitatis apex & fons is eſt,

qui Rempublicam gubernat & adminiſtrat. Atque hoc unitatis genus plus ceteris arridere videtur Gallis: vicarius Chriſti & caput ſacri imperii Pontifex eſt, ad quem ideo reliquæ vaſti corporis partes referri debent. Quæ cum ita ſint, fruſtra ſunt Galli, quod ad Concilium provocant, his poſitis principiis. Nam omnis unitatis civilis cuſtodia in obedientia & obſequio conſiſtit in Decreta, legesque Principis. Quod ſi quis morem gerere legibus diutius nolit, ſed alium ſibi poſcat judicem, is, dum id fecerit, conſociationem cum capite Reipublicæ rumpit. Ita, dum Galli Concilium appellant, Pontificis obtemperare recuſant Decreto, deſciſcunt a mandatis ejus, & alium ſibi flagitant, qui cauſam dicat. Quomodo hoc ſecunda integraque Eccleſiæ unitate fiat, cujus principium ſit Pontifex? Nunc igitur, ex quo Galli appellarunt, nec per hos, nec per Præſulem, licet unitatem ſervare amplius. Nam Pontifex Gallos pro Hæreticis, & Galli Pontificem viciſſim pro Hæretico, habent. Ex quo poſtremum, in quo cauſæ cardo vertitur, emanat conſectarium: aut inficeta illa fabula de ſpectabili quadam Eccleſiæ unitate in exilium omnio mittenda eſt, ſi juſte velint appellare Galli, aut vero, ſi hanc nolint ex animo ejicere, ab omni a Pontifice ad Concilium provocatione abſtinendum.

Pag. 621. Finit Diſſertationes *Moshemianas Specimen Tractatus edendi de turbis ſacris in Eccleſia Goslarienſi a tempore Reformationis, exhibens turbas primas Sacramentarias, Kniggio & Graverto autoribus.* Eſt hæc ſcriptio prodromus majoris Operis, quod *Georgius Wilb. Trumphus*, qui Goslariæ gregem Domini hodie paſcit, nunc parat: e cujus etiam calamo ipſa hæc manavit Commentatio, quippe qui, præſidente tum *Moshemio*, Reſpondentis functus eſt partibus. In optatis nobis nihil eſt magis, quam ut docto Viro per muneris ſacri curas & labores Hiſtoriam illam, quam meditatur, perficere, & in lucem edere, liceat.

663. Additur recenſitæ hactenus Collectioni *Michaelis Geddeſii Martyrologium eorum, qui in Hiſpania ob profeſſionem religionis Proteſtantium ſupremo ſupplicio affecti ſunt*, a S. Rev. *Moshemio* ex Anglico Latine verſum. Eſt ille *Geddeſius* ex recen-

Digitized by Google

recentioribus gentis Britannicæ Scriptoribus unus, idemque eruditus & copioſus. Vixit is decem annos Ulyſſipone, quæ caput eſt Luſitaniæ, & inter mercatores Anglos, quorum magna in hac urbe degit multitudo, ab A. 1678 uſque ad A. 1688 ſacri Oratoris muneri præfuit. Eo tempore magnum in conquirendis ac ſtudioſe legendis Hiſpanorum & Luſitanorum Scriptoribus induſtriam poſuit: ex quibus, quæ civibus ſuis præ ceteris cognitu neceſſaria putavit, diligenter excerpſit, & patrio edidit ſermone. Hoc *Martyrologium* in *Miſcellaneis Autoris Diſſertationibus, (Miſcellaneous Traits in three Volumes, the third Edition,)* Londini 1730 Voll. III in 8 editis, Tom. I pag. 445-474 invenitur. Collecta ſunt in eo nomina & mortes enarratæ ſummorum hominum, quos Inquiſitores Hiſpani ideo lento igne torreri juſſerunt, quod dogmata in Sacris Literis tradita Decretis Romani Pontificis anteponerent.

Librum claudit *Laudatio funebris S. Rev. Viri, Jo. Andr. Schmidii, Vallis Mariæ Abbatis, Theol. Doct. & Prof. Publ. Ord. Collegii ſui Senioris, d. 28 Jun. A. 1726 recitata a Jo. Laur. Moſhemio.* Eximiæ ſunt incomparabileſque laudes, quibus *Schmidium* ornavit *Moſhemius*, ſed quas minime capit hujus paginæ anguſtia. Quod reliquum eſt, in votis habemus, ut alterum Diſſertationum ad Hiſtoriam Sacram pertinentium Volumen, quod in Præfatione Vir promiſit Celeberrimus, Deo ſecundo & propitio, in lucem exire jubeat. Pag. 699.

LETTRES A UNE DEMOISELLE CATHOlique Romaine, ſur la neceſſité d'examiner la Religion, &c.

h. e.

EPISTOLÆ AD FOEMINAM ALIQUAM Catholico-Romanam, de Neceſſitate examinandi Religionem; Autore DES VOEUX, cujus exſtat Diſſertatio de Miraculis Abbatis Pariſii.

Digitized by Google

Hagæ Comitum, apud Iſaac. Beauregard, 1734, 8.

Plag. 8½.

Pag. 5, 6. Bina hic exſtant *Epiſtolæ*, quarum nos ſummam recenſituri, a *priori* capiemus initium. Sunt, qui cœcam in rebus ad religionem pertinentibus fidem commendant: alii vero dogmaticam in iis dubitationem & examen ſapienti convenire homini arbitrantur. In illo ſunt numero Muhammedani & Catholico-Romani: cum his autem omnes, qui ſapiunt, Proteſtantes ſeſe conjungunt. Atque horum quoque veſtigia, ut fas eſt, Autor ſequitur, qui erudite in hoc ita verſatur argumento, ut examen unicam eſſe viam explorandæ veritatis, ſanumque ad iſtud

7. inſtituendum devinctum hominem, planum faciat. Conſiderat eo conſilio 1) rationes, quæ ad aliquid fide recipiendum movere poſſunt hominem; 2) animi indolem, dubitationi oppoſitam, ſine qua examen proprie dictum eſſe nequit. Quatuor exſtant cauſæ, quæ nos, ut aliquid pro vero habeamus, commovere poſſunt: 1) recepta inde a prima infantia opinio, 2) præſumta autoritatis ſententia, 3) ratiocinatio, qua veritatem ſcrutati ſumus, 4) ipſius Dei autoritas, qui nos, rem quan-

8 - 17. dam veram eſſe, credere juſſit. Autor priora duo motiva, ut loquuntur, credibilitatis, ut prudenti homine indigna, rejicit

17 - 25. & aſpernatur. Tum vero tertium & quartum, commemoratis præſertim rationibus, maximo vult in pretio haberi. Ex quo conficit, examen requiri ad religionem, ſive illi, ſive huic,

21 - 48. obſequamur. Indoles animi, de rebus religioſis minime dubitantis, aut eſt ignorantia, aut incredulitas, aut credulitas, aut fidei obſequium. Ignorantia, incredulitas, & credulitas, vitia ſunt, homine quovis, qui rationi paret, indigna. Fontes horum & cauſæ, nec non alia, quæ hinc enaſcuntur, vitia, ejusmodi ſunt, nihil ut iis inſulſius & capitalius accidat homini. Ut adeo ejus ſit, his omnibus vitiis, quæ ſobriam impediunt dubitationem, ſe exuere, quo ad religionem inducatur examinan-

48 - 50. dam. Reſtat obſequium fidei: quam qui a Deo nactus eſt certitudinem, is non amplius dubitat. Verum illuc non pervenitur, niſi per viam dubitationis & examinis. Poſtquam

Autor

Autor hanc generalem poſuit legem, neceſſarium eſſe ad veritatis explorationem examen; Scripturam Sacram vocat in auxilium, atque ex ea demonſtrat ejusdem in religionis negotio neceſſitatem. Recitat varia ex iis exempla, ut *Saræ, Gen.* Pag. 52-59.
XVIII, 10-14. coll. *XVII, 19; Zachariæ, Luc. I, 18; Thomæ, Jo. XX, 25-27; Gideonis, Jud. VI, 17; Hiskiæ, 2 Reg. XX, 8.*
Addit præterea hæc loca, *Matth. XIV, 28, Luc. I, 38,* coll. *29,* 59-83.
Exod. IV, 1, Eſ. I, 3, VIII, 20, Act. VII, 41, 42, XVII, 11, Hoſ. IV, 6, VI, 6, Phil. I, 9, 10, Jer. V, 4, VIII, 7, Eph. IV, 18, V, 8, 1 Theſſ. V, 4, 5, Col. I, 13, 1 Petr. II, 9, Jo. I, 9, III, 19-21, V, 39, XII, 35, Pſ. XIX, 9, XXXII, 9, CXIX, 105, Sirac. XIX, 4, Gal. I, 8, Prov. I, 24, 31, IV, 18, XII, 15, XIV, 12, XVI, 2, 25, XVIII, 2, 15, XIX, 2, 16, XXI, 2, 16, Job. XXI, 14, Deut. XXVIII, 28, 2 Theſſ. II, 10-12, Rom. I, 28, X, 2, XVI, 17, 2 Cor. IV, 3, 4, 5, 1 Cor. II, 14, 15, X, 15, 1 Jo. IV, 21, 1 Theſſ. V, 21.
Conſulto nos, & eo, quo collocata ſunt, ordine, hæc eximia excerpſimus oracula, quorum virtute ac nervo, ubivis indicato, neceſſitatem explorandæ & examinandæ, cui quis addictus eſt, religionis eruditus extra controverſiam poſuit Autor. Sub finem Epiſtolæ commonefaciendam duxit fœminam, ad quam ſcripſit, Romano-Catholicam, ut religionis examine nihil ſibi prius, nihilque haberet antiquius. Lutetiæ ſcripta eſt Epiſtola, ſicut finis ſignificat, pridie Cal. Nov. anni 1720. 83-85.

Altera, quæ annexa eſt, Epiſtola idem ſic pertractat argumentum, ut partim ad præcipuas reſpondeatur objectiones, partim ut, præ aliis hominibus, eos, qui Catholico-Romanam profitentur religionem, ad examen accuratius inprimis divinitus devinciri obſtringique, manifeſtum reddatur. Data hæc eſt Lutetiæ 4 non. Nov. A. 1731. 89.

TRAITÉ DES BORNES DE LA PUISSANCE Eccleſiaſtique & de la Puiſſance Civile, &c.

• h. e.

TRACTATUS DE LIMITIBUS POTESTAtis Eccleſiaſticæ ac Civilis; una cum Indice Chronologico artium, quibus Pontifices ad extendendam poteſtatem ſpiritualem uſi ſunt, & rerum, ex hiſce artibus, præſertim in Gallia, conſecutarum, nec non eorum Actorum, quæ ad Lites illas pertinent, quæ hodieque agitantur. Autore ex Primi Conclavis Senatoribus uno.

Amſtelodami, apud Franc. Changuion, 1734, 8 maj.
Plag. 13½.

Eſt illud, quod in hac ſcriptione pertractatur, argumentum ex eorum numero unum, quæ magnorum & eximiorum Virorum recentiori ætate exercuerunt ingenia. Hi, qui Proteſtantes appellantur, alios ſuo excitaverunt exemplo, ut in hujus diſquiſitione rei ſtudioſius, quam factum erat antehac, elaborarent. Cultior etiam Gallia Viros tulit illuſtres, qui jura Principum circa ſacra, a Romanæ ſedis Præſulibus denegata, ſuis rurſus aſſeruerunt Regibus. Ex his unus eſt Ill. Autor ejus Tractatus, cujus modo indicem ſignificavimus. Conſtat ille Introductione quadam brevi, ac *binis Partibus*, quæ eam
Pag. 1. conſequuntur. Introductio, quæ initium affert Libri, propoſitum indicat. Eccleſia conſideratur, vel ut Corpus politicum, vel ut Corpus myſticum & ſacrum. Eſt illa Corpus aliquod politicum, ſi quidem ad eum referatur ſtatum, cujus ipſa membrum eſt. Eadem Corpus quoque myſticum eſt, habita Jeſu Chriſti ratione, cujus illa eſt ſponſa. Corpus politicum eſt ſocietas populorum, per easdem leges unitorum, ſub eodem ca-
2. pite temporario. Corpus myſticum eſt ſocietas fidelium, per eandem fidem unitorum, ſub uno capite ſpirituali, ut gloriam Dei conjunctim promoveant, & quisque ſuam propriam curet ſalutem. Papa eſt caput ſpirituale, ut vicarius Jeſu Chriſti. Ita vero duæ Poteſtates ſupremæ ad gubernationem Eccleſiæ con-

conjunctæ & conſociatæ ſunt. Temporaria prima eſt in ordine naturali; Eccleſia enim in ſtatu eſt, non vero ſtatus in Eccleſia. Spiritualis vero prima eſt in ordine ſupernaturali. Hæ duæ Poteſtates in alienam ſæpe involant jurisdictionem; cum difficile ſit negotium, id, quod cujusque proprium cenſendum, accurate diſcernere. Qui in hac elaborarunt materia, illi non raro quadrata rotundis miſcuerunt, ſive adulatio eos commoverit, qua placere alterutri Poteſtati ſtuduerunt, ſive cum jure factum confuderint. Ea, quæ in factis animadvertitur, confuſio inde præterea exoritur, quod, filo Hiſtoriæ neglecto, res multorum Seculorum intervallo disjunctæ inter ſe uniuntur. Ad facta igitur rite examinanda neceſſarium judicavit Autor, ut ab eo caperet initium, quod inter Judæos olim, atque inter Imperatores Romanos, inde a *Conſtantino* uſque ad *Juſtinianum*, ſancitum erat. Namque hæc illa ſunt tempora, quibus Diſciplina Eccleſiaſtica cummaxime vigebat. His jactis fundamentis, ea anquirit, quæ ſub tribus Regum Galliæ Stirpibus geſta ſunt. Atque hæc quidem *priorem* conſtituunt Partem, quæ facta contemplatur. Quo loco ſtatus Eccleſiæ Judaicæ primum ante oculos ponitur Lectorum.

Apud Judæos una eademque perſona ſæpius & Rex & Summus erat Sacerdos. Unde functio cujusdam ſacerdotalis non Pag. 3. eſt pro actione Poteſtatis politicæ habenda. Sic multa fecit *Moſes*, ut delectus Dei Orator, & *Aaron*, qui Summus erat Pontifex. Primum exemplum, ex quo judicari poteſt, Deum Reges cum Sacerdotibus conſociatos voluiſſe, novus ille Rex eſt, quem populo Judaico promiſit Deus *Deut. XVII & XVIII. Saul*, cum, abſente *Samuele*, rem faceret divinam, mulctabatur. *David* curam habuit arcæ. *Uſias*, manu prehendens arcam, morte plectebatur. *David* ſummi Pontificis obibat functionem, *2 Reg. VI*, *1 Paralip. XVII. Salomo* abdicavit *Abjatharem* ſacrificio, & *Sadocum* inſtituebat, multaque alia jura ſibi vindicabat circa ſacra. Ab his haud diverſa de ejus ſucceſſoribus, *Joſaphato*, *Joaſo*, *Ezechia*, *Joſia*, in Sacris Codicibus legimus relata. Poſt captivitatem Babylonicam, Judæi pote-

Digitized by Google

poteſtatem rerum & ſacrarum & civilium uni mandabant per-
ſonæ. Hac demum utraque poteſtate per ſeptingentos annos
conſervata, *Ariſtobulus*, *Hircani* filius, & Regem ſeſe, & ſum-
mum Sacerdotem, declarabat. Bini hi tituli minime inter Ju-
Pag. 6. dæos ſeparabantur. Haud aliter ſtatus Eccleſiæ ſub Impera-
toribus Romanis comparatus erat. Simul ut Romani Impera-
tores ad Servatoris accedebant diſciplinam, ſacræ res ab eo-
rum pendebant nutu,& Concilia ab ipſis convocabantur. Ar-
gumento illuſtri ſunt Autori *Conſtantinus M.* & hujus filii,
Conſtans item & *Conſtantius*, *Gratianus*, *Theodoſius M. Arca-
dius*, Filius, *Honorius I*, *Theodoſius II*, Filius *Arcadii*,
Valentinianus III, *Marſianus*, *Leo*, *Majorianus*, *Juſtinus*, &
Juſtinianus, qui præ ceteris res Eccleſiaſticas ſua rexit autori-
13. tate. Atque hic idem ſtatus Eccleſiæ Gallicæ ſub tribus Regum
Francorum ſtirpibus obtinuit. Incipit Autor a *Chlodoveo*,& us-
que ad *Henricum IV* procedit.

46. *Altera Pars*, quæ quæſtionem Juris ſolvit & explanat, *quin-
que* illuc pertinentes continet *Diſſertationes*. Quarum prima
de gubernatione Eccleſiæ generatim, & *de ejus diſtributione*
65. *inter Poteſtates,temporariam ac ſpiritualem*; ſecunda *de Au-*
76. *toritate Regis in adminiſtratione fidei*; tertia *de Autori-*
89. *tate Regis in diſciplina ad cultum Eccleſiæ ſpectante*; quarta
de Autoritate Regis, quantum ea ad Perſonas Eccleſiaſticas
106. *attinet*, & quinta denique *de Autoritate Regis in admini-
ſtratione bonorum Eccleſiaſticorum*, inſcribitur. Multa in hac
prudenti pertractatione inveniuntur, & lectu in primis digna,
128. & quæ cum cura expendi mereantur. His declaratis, Index
ille ſequitur Chronologicus, in quo artes Pontificum Romano-
rum enodantur, quemque in principio pleniorem recitavimus.
129. Recenſio a Seculo octavo, tum vero ſigillatim ab A. 1073 &
192. *Gregorio VII*, inchoatur, & uſque ad A. 1733 continuatur: in
qua non pauca ſingularia, quæ ad ſacras lites,in Gallia cum
Romanis Præſulibus agitatas, pertinent, cupidis harum rerum
Lectoribus proponuntur.

DE

Digitized by Google

DE MIRACULIS, QUÆ PYTHAGORÆ, APOLlonio Tyanenſi, Franciſco Aſſiſio, Dominico, & Ignatio Lojolæ, tribuuntur, Libellus; Autore PHILELEUTHERO HELVETIO.

Duaci, typis Petri Columbii, 1734, 8.
Alph. 1 pl. $5\frac{1}{2}$.

Non Duaci, ſed in Helvetia, natum eſſe hunc Librum, non ſolum Cl. Autoris adſcitum nomen indicat, ſed ejus quoque Dedicatio ad tres Helvetiæ Theologos, quorum ſe profitetur diſcipulum. In Præfatione prælonga oſtendit, non ſe hic functum eſſe labore inani, cum Papææ regiones pleniſſimæ adhuc ſint ſuperſtitionum falſorumque miraculorum, nec nunc deſint in Eccleſia Pontificia, qui libris editis pugnent pro falſiſſimis inſulſiſſimisque miraculis. Qua occaſione de magnæ famæ Pariſienſi Diacono, *Pariſio*, multa diſputat, præclare copioſeque docens, eum nec ſapientem vereque ſanctum virum fuiſſe, nec vera edidiſſe mortuum miracula. Totum Opus *ſeptendecim* conſtat *Capitibus*, in quorum *novem prioribus*, præmiſſa de miraculorum natura meditatione, non ſolum enarrantur miracula, quæ edidiſſe *Pythagoras*, & ceteri quatuor, in titulo libri nominati, feruntur, ſed accurate etiam de ingenio, moribus, ac doctrina eorum, diſputatur. Hinc *Cap. X, XI, & XII*, vera fuiſſe eorum miracula, hoc eſt, a Deo per ipſos patrata, Cl. Autor negat his de cauſis, quod 1) virorum illorum doctrina fuerit omnibus Dei virtutibus contraria; 2) ea miracula evertant veritatem ac divinitatem religionis Chriſtianæ; 3) poſita illorum miraculorum veritate, merus invehatur in religionem Scepticiſmus. *Cap. XIII & XIV* perdocte contendit, non a diabolo orta eſſe iſtorum hominum miracula, ſed a male feriatis hominibus effecta, a male ſapientibus credita fuiſſe. *Cap. XV* probatum it, ſolennem Canoniſationem *Franciſci*, *Dominici*, & *Lojolæ*, non modo Pontificum infallibilitatem penitus ſubvertere, ſed & manifeſtum facere, fuiſſe Pontifices illos cum rerum divinarum ignariſſimos,

Digitized by Google

tum etiam nequiſſimos. Subjicit *Cap. XVI, Socratem* ſanctiorem ſapientioremque, adeoque, ſi per leges divinas liceret, Canoniſatione digniorem, fuiſſe *Franciſco*, *Dominico*, & *Lojola*. Tandem *Cap. XVII* contendit, graviter peccare ſapientiores Eccleſiæ Romanæ doctores, dum ſilentio ſuo tam tetris ſuperſtitionibus vitam roburque addant, & contemnere malint, quam condemnare, cultum Deo exoſiſſimum.

Libet jam perluſtrare hæcce Capita, ex iisque proferre nonnulla Lectorum noſtrorum in gratiam. Et *quinto* quidem in *Capite* certis documentis ſibi videtur demonſtraſſe Cl. Autor, *Pythagoram* fuiſſe hominem ex mendaciis, inſania, & ſtolidiſſima ſuperbia, compoſitum. Ibidem acute oſtendit, decreta ſive dogmata *Pythagoræ* pleraque eſſe obſcura, inepta, ſuperſtitioſa, caſtiſſimo Dei cultui contraria. *Capite ſexto*, duce ipſo *Philoſtrato*, oſtendit, *Apollonium* fuiſſe hominem mendacem, ſuperbia tumentem, ſuperſtitioſum, ac fanaticum. *Franciſcum* vero, *Caput ſeptimum* docet, fuiſſe non ſolum omnium, quos terra unquam tulit, ſtolidiſſimum hominem atque ineptiſſimum, verum etiam omnium Hæreticorum, qui inde ab orbe condito ad noſtra vixerunt tempora, nequiſſimum. Hac occaſione & notam debitam inurit Cardinali *Bonaventuræ*. qui Vitam *Franciſci* ſcripſit. Colligit enim ex hac βιογραφίᾳ, *Bonaventuram (pag. 101)* habuiſſe ingenium fanaticum, nec minorem *(pag. 107)* ejus fuiſſe ſtultitiam & infantiam, quam ipſius *Franciſci*, ac *(pag. 113)* eum appellat ineptum & ſtultum Monachum. *Caput octavum Dominicum* reum agit, imo peragit, non ſolum fanaticiſmi, ſed etiam conjunctiſſimæ cum eo crudelitatis in eos, qui cum ipſo errare & deſipere recuſabant. *Caput nonum* de *Ignatio Lojola* præ ceteris lectu dignum eſt. Oſtenditur enim ibi, hominem illum tot eſſe tantisque abſurditatibus conſpicuum, ut appareat, ſectatores ejus & a recta ratione & a Chriſto eſſe remotiſſimos, qui ſequantur ducem tam fatuum, tamque religioni Chriſtianæ adverſum. *Capite decimo* hoc fundamentum ponit Cl. Autor, quod doctrina, e qua ſequatur, Deum non eſſe optimum, non ſanctiſſimum, non juſtiſſimum, non ſolum omnipotentem & omniſcium, falſa ſit, injuſte-

injuſteque venditetur pro doctrina a Deo profecta. Applicat hoc principium non tantum ad ipſam religionem Pontificiam, ſed ſpeciatim ad triumviros illos, quos & hoc nomine ſimiles eſſe contendit *Pythagoræ Apolloniique*. Hinc nec Ethnicos, ad quos Miſſionarii adeunt, exiſtimat obligatos eſſe ad amplexandam, quam illi tradunt, religionem. *Capite undecimo, Dominici, Franciſci*, ac *Lojolæ*, miracula ſubvertere religionis Chriſtianæ veritatem divinitatemque, inde probat, quod doceant hi Thavmaturgi, 1) falſum eſſe, quod Chriſtus ſolus intercedat apud Patrem pro nobis; 2) falſum eſſe, quod ſolius Chriſti meritis Deus nobis reddatur propitius; 3) falſum eſſe, quod ſolus Deus ſit invocandus, &c. *Capite duodecimo* ſubtiliter oſtendit, quantus invehatur in religionem Scepticiſmus, ſi concedatur, vere facta eſſe, quæ feruntur, *Franciſci*, *Dominici*, & *Lojolæ*, miracula. Digna inprimis eſt contemplatione comparatio miraculorum, quæ tribuuntur *Muhamedi*, cum miraculis iſtorum triumvirorum. Inde enim Cl. Autor concludit, ſi miracula eorum ſint a Deo, nihil eſſe cauſæ, cur reſpuamus religionem *Muhamedanam*. *Capite decimo quarto* acute & rigide examinat teſtes de miraculis *Pythagoræ, Porphyrium, Jamblichum*, ac ceteros, perſpicueque docet, hos vel meras proferre de remotiſſimæ ætatis rebus traditiones vulgi, vel etiam fabulas, eo conſilio effictas, ut ſufflaminarent progreſſus religionis Chriſtianæ, ſimulque retardarent Ethnicæ religionis interitum. Eodem ſe modo gerit adverſus *Philoſtratum*, teſtem miraculorum *Apollonii*, accuratum ferens de illa *Philoſtrati* hiſtoria judicium. Nec fide dignos eſſe teſtes de *Franciſci, Dominici*, & *Lojolæ*, miraculis, tam clare probat, ut, qui ei non ſubſcripſerit, manifeſte reus ſit vel ſtolidiſſimæ credulitatis, vel peſſimi conſilii. Properamus, ne juſto ſimus longiores, ad extremum hujus Libri *Caput*, in quo Cl. Autor officii ſui admonet meliora videntes Eccleſiæ Romanæ doctores, & inprimis Galliæ eruditos incolas, acumine ingenii præ ceteris nationibus inſignes, ac ſimul laxiori vinculo adſtrictos Romano Pontifici, etiam atque etiam rogat, ut zelo pro gloria Dei inardeſcentes, publice oppugnent & proſternant tam irreligio-

ſas fabulas. Negat, eos dubitare debere de felici ſucceſſu hujus conatus in tanta literarum luce. Urget denique, hoc ſuo ſilentio ipſos offendere Deum quam graviſſime.

DE IIS, A QUO ET AD QUAM SECUNDA Joannis Epiſtola fuit conſcripta, Diſſertatio J. C. H.

I. Apoſtoli inter Epiſtolarum ſuarum primordia ſeſe ἀποςόλους & peculiari obſervantia ſervos Chriſti appellant, aut ejusmodi ſigna præ ſe ferunt, e quibus autoritas Scriptoris Apoſtolica elucet. *Petrus* in poſteriori Epiſtola, ſeſe cum Chriſto adſcendiſſe in montem, perhibet, in quo Servator fulgore cœleſti fuit colluſtratus. Scriptor primæ *Joanneæ* ea docet & nuntiat, quæ ipſe audivit & vidit. Ipſe oculis ſuis vidit manibusque ſuis uſurpavit eum, qui appellatione venerabili λόγος dicitur. Quis dubitat, Apoſtolo duntaxat ea congruere? At Autor ſecundæ *Joanneæ* vocavit ſeſe πρεσβύτερον. Unde facillime innoteſcit, Autorem exſtitiſſe *Joannem* quendam, ab Apoſtolo diverſum. *Joannem*, Presbyterum, a *Joanne*, Apoſtolo, diſtinctum, memorat *Papias* apud *Euſebium Hiſt. Eccl. III, 39.* Vir Venerandus, *Erneſtus Salomo Cyprianus*, adeo non abhorret ab hac *Papiæ* ſententia, ut potius calculum album ei adjiciat. Ipſe enim ad *Hieronymi* Librum *de Viris illuſtribus Cap. IX* rotunde & luculente judicat: *Duos fuiſſe Joannes, Apoſtolum & Presbyterum, recte credimus Papiæ.* Quod autem *Joannes*, Presbyter, quondam Epheſi ſepultus ſit, non admodum ſit veriſimile, ſiquidem *Polycrates, Euſebio* vetuſtior, *Cap. LXV Hieronymi*, ſollicite recenſet ſanctos Epheſi reconditos, idque data opera, nihiloque ſecius *Joannis*, Presbyteri, mentionem a ſcopo ſuo ſejungit. Ex *Euſebii Hiſt. Eccl III, 39, Hieronymus* in loco, quem prius laudavimus, tradit, duo ſepulchra Epheſi eſſe, quorum prius *Joannis*, Apoſtoli, poſterius *Joannis*, Presbyteri, ſit. At *Euſebii* ætate, uti ſummus jam memoriæ prodidit oſtenditque *Cyprianus*, non amplius Epheſiis certo conſtabat, quo civitatis loco *Joannes*, Apoſtolus, humatus fuerit, indicibus variantibus. Quas lites compoſiturus *Euſebius, Joannis*, Presbyteri, corpus illuc transferendum exiſtimavit, ut duo ſepulchra ſarta tectaque manerent. Ex

qua

qua commemoratione denuo pateſcit, exſtitiſſe ibi quendam *Joannem*, Presbyterum, a *Joanne*, Apoſtolo, diverſum. *Joannes*, Presbyter, aliis quoque fuit in notitia. *Dionyſius Alexandrinus*, penes *Euſebium Hiſt. Eccl. VII, 25*, hunc ab Evangeliſta ſecernit, illum potius, quam hunc, Apocalypſeos Autorem fuiſſe, ratus. Poſterioris quidem ſententiæ acceſſionem repudiare liceat, ſiquidem Autor Apocalypſeos ἐμαρτύρησε τὸν λόγον τȣ̃ Θεȣ̃ καὶ τὴν μαρτυρίαν Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃, publice profeſſus fuerat *Verbum Dei*, i. e. Meſſiam, & doctrinam actaque Jeſu Chriſti, *Apoc. I, 2*. De eo autem *Dionyſius* exſtitit convictus ac certus, quod *Joannes*, Presbyter, toto cœlo a *Joanne*, Evangeliſta, diſcrepaverit. Presbyterum reputat pro utriusque *Joanneæ* Epiſtolæ, 2 & 3, Autore *Hieronymus Cap. IX* libri *de Viris illuſtribus*. Subit quidem Ven. *Jo. Alberto Fabricio* admiratio, qui *Hieronymo* id in mentem venire potuerit, cum, id qui ante *Hieronymum* dixerit, reperiatur nemo. Verumtamen non potuit non in eam deſcendere ſententiam *Hieronymus*, ſimul ac norat, *Joannem*, Presbyterum, fuiſſe alium, ac *Joannem*, Evangeliſtam. Limen ſecundæ & tertiæ *Joanneæ* Epiſtolæ prodit primo conſpectu *Joannem*, Presbyterum. Quis igitur non ſponte ſua eum intelligeret, qui totidem verbulis literisque cognominatus & appellatus fuit? Conqueritur Autor utriusque poſteriorum Epiſtolarum, ſe ſuosque a *Diotrephe* non recipi. Quis credet, quemquam Chriſtianorum tam perfrictæ fuiſſe frontis, ut *Joannis*, Apoſtoli & Evangeliſtæ, conſortium & communionem ſacram prorſus repudiaverit? Ea erat Apoſtolorum autoritas, ut literæ eorum ac nuntii, quos *theopompos* vocare moris erat, a nulla Eccleſia faſtidirentur penitus. Quin potius in rebus minoris quoque momenti ad inſtituta & conſuetudines Apoſtolorum provocare ſolebant Eccleſiæ.

II. Presbyterorum partes ac munia in eo conſiſtebant, ut nomine hujus vel illius cœtus, ad Deum colendum ſanctamque vitam peragendam confœderati, curarent ſalutem animarum & diſciplinam. Ipſi initio differebant a doctoribus & paſtoribus Eccleſiarum, maxime autem ab Apoſtolis erant diſcreti. Ipſi enim erant membra cœtus confœderati, vitæ integræ viri, ætate pro-

provecta graves, callentes diſciplinæ pacta & æquitatem. In re ſacra graviori ſeniores Judæorum, πρεσβύτεροι τȣ̃ λαȣ̃, convocabantur cum Sacerdotibus, viriſque peritia exactiori exculti, ac ſalutem cœtus ſui in conſilio habebant. Eadem diſciplinæ & conſultationis ratio ad Chriſtianos primos tranſiit. Doctores enim & Paſtores ſuas res ſibi habebant, nec nomine cœtus impeditiſſima quæque obire poterant. Presbyterorum erat invigilare iis, qui fratres docebant, & cavere, ne depravaretur doctrina genuina, vel collabefieret ſanctitatis ſtudium. Ab hac cura & inſpectione vocabantur Ephori & Epiſcopi. Mox tamen obtinuit conſuetudo, ut Presbyterorum ſeniores & diuturniori officio præſtantes dicerentur Epiſcopi. Hi ad primum illum ordinem non electione, ſed ſenio, adſcenderunt. Ambitio electionem ſuaſit ac extorſit. *Diotrephes* a *Joanne*, Presbytero, admonitiones de tuenda ſaniori adverſus Philoſophiam Orientalem, tum præcipue ingraveſcentem, doctrina ferre non poterat, arrogans ſibi principatum quendam ordinis, quo ſe *Joanni* antecedere putabat, indubie ratus, res ſui cœtus ad *Joannem* ejusque ſolicitudinem haud pertinere. Moleſtum, munera multiplicari, viſum mox cœtibus Chriſtianis novitiis. Inde accidit, ut munus docendi ordinarium Presbyteris demandaretur, quos concio univerſa deſignabat, & Presbyter, plerumque ordine primus, ſeu Epiſcopus, publica quadam cærimonia in munus ſacrum intromittebat. Ordinatio appellabatur χειροτονία, nec per ſeſe dona Spiritus Sancti peculiaria involvebat. Id pateſcit ex *Act. XIV, 23, & Can. Apoſtol. 22, 28.* Presbyterum ab Epiſcopo diſcernere cœpit jam Seculi ſecundi doctrina, ob ordinem & εὐσχημοσύνην, ſeu, uti *Tertullianus* loquitur, *ob Eccleſiæ honorem.* Inter Clericos Presbyteri jam ineunte Seculo ſecundo relati; non ordinatos enim vocarunt Laicos. *Tertullianus* non uno in loco eam affert diſtinctionem, ne quid de Canonibus Apoſtolicis dicamus, qua Doctores, Epiſcopi, ac Presbyteri, cum Diaconis vocentur Clerici; reliquus vero cœtus dicuntur Laici. Veterum in eo diſcrepant ſententiæ, utrum Epiſcopi, an Presbyteri, in locum Apoſtolorum ſucceſſerint, eosque repræſentaverint. Apoſtolis ſucceſſiſſe Epiſcopos, *Irenæus* autor eſt *Lib. III*

Cap.

Digitized by Google

Cap. III. *Ignatius* in *Epiſtola ad Magneſianos* §. 6 docet, Epiſcopum Dei loco præſidere, Presbyteros loco Senatus Apoſtolici præeſſe, Diaconis vero commiſſum eſſe Miniſterium Chriſti. Idem Apoſtolos vocavit πρεσβυτέριον ἐκκλησίας, in *Epiſt. ad Smyrn.* §. 5, 7, *pag.* 37. In *Conſtit. Apoſtol. Lib. II Cap. XXVI* leguntur hæcce ad eundem modum: *Presbyteri nos Apoſtolos repræſentare videantur vobis, ſintque doctores cognitionis Dei.* In eisdem *Cap. XXVIII pag.* 241 de Presbyteris affirmatur idem decus & elogium. Nam perhibentur inibi Apoſtolorum Domini locum tenere, veluti Conſiliarii Epiſcoporum & Eccleſiæ corona. Ut vero Epiſcopi ipſi exſtiterunt initio Presbyteri, ita non opus fuit diviſa quæſtionis captiuncula. *Clemens* in *Epiſtola ad Corinthios* §. 42 *pag.* 170 plane & diſtincte de Apoſtolis, Epiſcopos ſeu Presbyteros creantibus: Κατὰ χώρας ȣ̃ν καὶ πόλεις κηρύσσοντες, καθίςανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνέυματι, εἰς ἐπισκόπȣς καὶ διακόνȣς τῶν μελλόντων πιςέυειν. *Epiſcopi* hic commemorantur, qui erant Presbyteri. Cur enim, obſecro, Epiſcopis ac Diaconis haud interpoſuit *Clemens* Presbyteros, ſi tantum interceſſit tum Epiſcopos inter & Presbyteros diſcrimen? Presbyterorum primi ſeniores omnino inaugurarunt reliquos, ordini ſacro deſtinatos. *Hieronymus* ad *Evagrium*: *Quid facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* *Beveregius* hæc fuſius ediſſeruit ad *Can. Apoſt. pag.* 454 *ſeq.* Præpoſtere autem colligeremus, ſi in eam deſcendere ſententiam volupe foret, ut, quemvis, qui Presbyterum ordinaverit, Epiſcopum fuiſſe veri nominis, contenderemus. Apoſtoli enim ipſi ordinarunt Presbyteros. Nihilominus ſic ratiocinatum deprehendimus *Cyprianum Epiſt. IX* ad *Rogatianum*, *Epiphanium*que eadem propugnantem *Hæres.* 27 §. 6. Singularis eſt ſententia *Tertulliani*, *Lib. IV Cap.* 5 adverſus *Marcionem* ſic ſcribentis: *Ordo Epiſcoporum, ad originem recenſus, in Joannem ſtabit autorem: ſic & ceterarum generoſitas recognoſcitur.* Cum enim *Joannes* multam vitæ ſuæ partem Epheſi tranſegerit, poſteris viſus eſt Epiſcopatum indidem adminiſtraſſe. Ac indubie divinus hic Apoſtolus anſam præbuit diſtinguendi longe lateque Epiſcopum inter & Presbyterum.

terum. Doctrina enim viri, gravitas muneris, annorum numerus,& dulciſſima vitæ ratio, præſtrinxerunt animos oculosque Presbyterorum & fidelium ita,ut unice a ſuaviſſimo dependerent Apoſtolo,qui Metropolin Aſiæ habitabat, curamque ſanæ doctrinæ ac vitæ ardenter circumquaque gerebat, oſtendens ſuo exemplo, quid Presbyteris eorumque primis eſſet agendum. Eam ob cauſam, opinor, *Joannes*, Presbyter, verba & loquendi formulas ex Epiſtola *Joannis*, Apoſtoli, deſumſit,magiſtri quippe ſui. Quæ propoſitionum ſimilitudo, uniusque *Joannis* ab altero dependens conſortium, in cauſa fuit, ut *Joannis*, Apoſtoli, Epiſtolæ ſucceſſerint in ordine librorum Fœderis Novi duæ *Joannis*,Presbyteri, Epiſtolæ.

III. Reſtat, ut diſpiciamus,quænam illa fuerit *electa domina*, ad quam *Joannes*, Presbyter, priorem direxit Epiſtolam. Sunt, qui matronam honeſtiſſimam ob oculos habent,eamque nomine vel *Electam*,vel *Cyriam*. Liceat mihi ſuſpicionem quoque meam exponere. Epiſtolæ utriusque,quam dedit *Joannes*,Presbyter,unus in eo conſiſtit ſcopus, ut caveatur a prava eorum doctrina, qui in corpore & materia ponebant cum Philoſophis Orientalibus ſedem peccati, ideoque eo progrediebantur dementiæ,ut Docetis proluderent, & veritatem corporis Chriſti, quippe a peccatis remotiſſimi, inficiarentur. Præterea concordant formulæ complures & ipſa concluſio, ut facile pateat, Epiſtolam utramque eodem tempore fuiſſe datam. Quod cum perpendo, incido in verba *Joannis*, Presbyteri, quæ in Epiſtola poſteriori *v. 9* adhibet. Reſpicit enim ad Epiſtolam, a ſeſe ad Eccleſiam certam ante conſcriptam. *Ἔγραψα τῇ ἐκκλησίᾳ.* Quid luculentius proinde, quam Presbyterum ad illam ſcripſiſſe Eccleſiam, cui tum *Diotrephes* docendæ & moderandæ præerat. Eam ex Aſiaticis unam fuiſſe, nullus ambigo. Hanc in priori Epiſtola Presbyter vocat *electam dominam.* Fœminam dici *κυρίαν*, nemo facile ignorat. Eccleſiam Chriſti eſſe ſponſam & uxorem, notum præterea. Conf. *Eph. V, 25, 32, Apoc. XIX, 7, 8, Gal. IV, 26, 27, 31.* Ad integram Eccleſiam *Joannem* ſcripſiſſe, patere autumo ex illo: *βλέπετε, v. 8,* & rurſus ex illis: *πολλὰ ἔχω ὑμῖν γράφειν, v. 12. Tertullianus* ad Martyras *Cap. I*: *Domina mater Eccleſia.* Et quid impedit, quo minus audiatur *Heſychius*, cujus ſunt hæc: *Κυρία, ἐκκλησία. Μία κυρία ἐκκλησία ἤγετο Ἀθήνησιν, ἐν ᾗ τὰς ἀρχὰς ἐπιχειροτονεῖν ἔδει.* Pergami eminebat tum thronus Satanæ & cum Judæis concluſio *Apoc. II, 13.* Viderint eruditiores, an *Diotrephis* ambitio hierarchica & concluſio ejus cum philoſophicis Judaizantium Dogmatis in loco Apocalyptico deſignentur. Quod ubi certius demonſtratum fuerit, non deſperabimus de determinanda illa *domina electa.* Cœtum Eccleſiaſticum vocari *electum*, haud mirum videbitur illis, qui morem ea ætate receptum memoria tenent. Conf. *1 Petr. I, 1.*

) o (

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. I Sectio XI.

HISTOIRE GENERALE DES AUTEURS SAcrés & Eccleſiaſtiques, &c.

h. e.

HISTORIA GENERALIS AUTORUM SAcrorum & Eccleſiaſticorum, continens eorum vitas, catalogum, examen criticum, judicia, Chronologiam, analyſin & recenſionem variarum editionum Operum eorundem, &c. Autore R. P. REMIGIO CEILLIER, *Benedictino.*

Tomus I.

Pariſiis, apud Phil. Nicol. Lottinum, 1729, 4 maj.

Alph. 4.

Ne Iliada poſt *Homerum* ſcribere videatur Autor, in Præfatione, quam Prologum galeatum dixeris, negat, exhauſta jam eſſe a ſummis Viris omnia, quæ de Autoribus Eccleſiaſticis dici poſſunt; quod quidam non niſi nomina & catalo-

Digitized by Google

gum Scriptorum, absque epicriſi & analyſi, alii vero tenuem tantum vitæ deſcriptionem, dederint, copioſamque adeo reſtare in hoc campo meſſem. *Dupinium* Bibliotheca ſua Eccleſiaſtica omnia complecti ſtuduiſſe, & Operi tam vaſto fuiſſe parem: unde & magno applauſu ea excepta, & ob criſeos accurationem, recenſionis fidem, judicii ſoliditatem, & expreſſam characterum imaginem, ab Ephemeridum Scriptoribus mirifice fuerit laudata. Mox autem ſocios & fratres ſuos, dirigente R. P. *Petit-Didier*, in lectione Patrum occupatos, animadvertiſſe Operis vitia & defectus. Horum itaque Animadverſiones ab ipſo hoc ergodiocte *tribus Tomis*, quorum *primus* A. 1691 prodierit, fuiſſe editas. Nullam Operis *Dupiniani* partem non eſſe mancam; promiſiſſe illum quidem Catalogum Operum, cum ſuperſtitum, tum perditorum, ſed omiſiſſe multa; id quod exemplis demonſtrat. Analyſes librorum, quas ille dederit, nimis eſſe curtas & ſuperficiarias: inprimis criminatur omiſſam in iis mentionem argumentorum pro confirmanda doctrina Eccleſiæ Catholicæ de peccato originis, de Baptiſmo infantum, de invocatione Sanctorum, de purgatorio, &c. In recenſendis Conciliis itidem multis eum modis deficere. In judiciis de primis Eccleſiæ Patribus moderationis & verecundiæ limites ipſum tranſiiſſe, & falſa interdum iis tribuiſſe, e. g. *Irenæo*, quod ſtatuerit, animas non niſi per gratiam eſſe immortales, & damnatorum animas tandem in nihilum abituras, cum Pater hic contrarium docuerit. *Juſtinum* cum inter Chiliaſtas retulerit, addendum fuiſſe, quod non tradiderit ſanctus hic Pater eam opinionem tanquam dogma fidei. *Tertulliano*, *Origeni*, & aliis, perperam quædam vitio eum vertiſſe, in aliis vero, iisque non excuſandis, ſine cenſura eos dimiſiſſe. Malam in vertendo fidem minime omnium ei eſſe condonandam. In Chronologia minus eum eſſe exactum: in characteribus Scriptorum Eccleſiaſticorum conſignandis, & quaſi imaginibus delineandis, nunc pulchriores, nunc deformiores, quam par erat, eas exhibendo, ſæpiſſime aberraſſe. E. g. *Euſebium*, Cæſarienſem, ſi *Dupinium* audias, eſſe Virum ſincerum, pacis, veritatis, religionis,

Digitized by Google

gionis, amantem, gratia Imperatoris non abutentem ad ſe extollendum, & hoſtes ſuos deprimendos: ipſum tamen alio loco hiſce elogiis contraria de eo narraſſe. *Gregorio Nazianzeno*, tanto, tam ſancto & erudito Epiſcopo, levitatis & inconſtantiæ maculam eum adſperſiſſe; nec veritum eſſe in *S. Auguſtini* Libris Confeſſionum nimis affectatam eloquentiam, inque *S. Hieronymo, Sulpicio Severo, & Gregorio M.* nimiam credulitatem & propenſionem in fabulas, notare. Interdum inique, & quaſi ex ſtudio partium, in alio eum damnare, quod in alio laudet, e. g. in *S. Cypriani* lite cum *S. Stephano* illius moderationem extollere, hujus vehementiam taxare, cum tamen *S. Cyprianus* non minus acer & vehemens fuerit. Loca antiquorum, Pontificis Romani in univerſam Eccleſiam primatum aſſerentia, ipſum ſupprimere, aut in alienum ſenſum detorquere. In recenſendis quoque editionibus, & judicio de earum præſtantia, exactum non eſſe. Iniquam eſſe cenſuram editionis *Ambroſii*, cura Cardinalis *Montalti* publicatæ; ſiquidem non ille primus ſit, qui *Ambroſium* interpolatum exhibeat, ſed jam alii ante eum Editores id fecerint. Hæc ſumma ſunt accuſationis capita, quorum certe aliqua intelligentibus non tam vituperia, quam elogia, *Dupinii* videbuntur, quæque ſatis declarant, quem ſibi præfixum Noſter habeat ſcopum, & quomodo ipſe hoc argumentum non poſſit non pertractare. Ea vero obſignat confeſſione ipſius *Dupinii*, imperfectionem Operis ſui agnoſcentis, & in editione Latina emendatiora & ampliora omnia promittentis; ſimulque, amara ſupra propinata melle quodam iterum temperans, Opus ejus hactenus in hoc genere optimum, & in hoc ſtudio occupatis utiliſſimum, dicit. Sui porro conſilii rationem cenſor hic caſtigatorque *Dupinii* ita exponit. Exiſtimandum non eſſe, ſe, dum novam edat Bibliothecam Sacram & Eccleſiaſticam, evertere *Dupinianam*, aut acquiſitam ejus gloriam labefactare velle, (en proteſtationem facto contrariam, quali non in politicis ſolum, ſed & in literariis, ludere ſolere Gallos, minus mirabuntur cordati Lectores,) ſed propoſitum ſibi fuiſſe, amplius quiddam & abſolutius, quam quod Opere illo *Dupiniano* præſte-

 tur,

Digitized by Google

tur, in publicum dare. Igitur originalia & fontes ipſos, veritatem puriorem exhibentes, ſe conſuluiſſe, doctorumque complurium conſiliis & luminibus uſum fuiſſe; neque tamen tam Suffenum ſibi eſſe, ut hæc ſua ſummum perfectionis gradum attigiſſe putet: in hoc ſcribendi genere faciles lapſus & omnimodam imperfectionem moraliter impoſſibilem eſſe. Ita vero, ſi hanc veniam petimus, cur non damus viciſſim? Tum profitetur, tractaturum ſe de Autoribus Sacris & Eccleſiaſticis, quorum Opera ſint publicata, nec non de iis, quorum titulos ſervaverint antiqui, & de fragmentis, ſi quæ ſint, notatu digna allaturum. Acta Martyrum, quæ omiſerit *Dupinius*, merito proinde reprehenſus, Operi ſuo inſerturum, ſiquidem magnam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partem illa conſtituant: dubia autem & ſuppoſititia a genuinis probe diſcreturum; neque vitas Sanctorum, ab obſcuris ſcriptas Autoribus, Menologia Græcorum, Acta Metaphraſtæ, Speculum hiſtoriale *Vincentii*, Bellovacenſis, Legenda aurea, & quæ ſunt hujusmodi compilationes, conſarcinatæ iis temporibus, quibus veritas hiſtorica variis traditionibus popularibus, & ſæpe fictionibus, ſtudio excogitatis, fuit deturpata, reſpecturum. Sermonarios, Caſuiſtas, Myſticos ſequioris ætatis vix mentione dignos eſſe, adeoque non niſi præcipuos ſe nominaturum; Librorum Apocryphorum Catalogum contexturum, nonnullos cum epicriſi & brevi analyſi enarraturum, uti Epiſtolam *S. Barnabæ*, Recognitiones, quæ dicuntur, *Clementis*, Conſtitutiones Apoſtolicas, & hujus generis quædam alia, diſciplinam priorum Seculorum commonſtrantia; Hæreticos vero, ſive antiquos, ſive recentiores, plane omiſſurum. *Cur enim judicare*, inquit, *illos præſumam, qui ſunt extra Eccleſiam*, 1 *Cor. V*, 12. Ubi autem de Dogmatibus ipſorum Lector ſit inſtruendus, id nota paginæ ſubjecta ſe facturum. Hæccine vero fuerit Bibliotheca Autorum Eccleſiaſticorum, *Dupiniana* longe amplior & perfectior? Autores ſecundum tempus mortis, ſi cognitum illud eſt, ſe collocaturum, aut ſecundum Epocham ultimorum Operum: in Scriptoribus autem Sacris ordinem Librorum Biblicorum ſecuturum. De Scriptoribus ſuppoſititiis, ſi

Epocha

Digitized by Google

Epocha eſt cognita, acturum eo Seculo, quo Autor vixit: e. g. inter Opera Seculi V ſe collocaturum ea, quæ *S. Dionyſio Areopagitæ* adſcribuntur. Si vero de tempore, quo hujusmodi partus fuerint excluſi, non conſliterit, de iis ſe dicturum eo loco, quo de Autore, cui tribuantur, agatur. Ita *de Quæſtionibus ad orthodoxos* inter ſcripta *S. Juſtini*, & de *Ambroſiaſtro* inter Opera *S. Ambroſii*, expoſiturum. Hiſtoriam vitæ cujusque Autoris, ex ipſius ſcriptis, aut monumentis, maxime avthenticis, confectam, ſe præmiſſurum; inprimis circumſtantias, quæ ſcripta reſpiciunt, notaturum; de virtutibus autem moralibus, cum ad inſtitutum hoc non pertineant, pauca dicturum. Catalogum Scriptorum, hodie ſuperſtitum, perditorum, & ſuppoſititiorum, & analyſin cum examine critico Epochæ & occaſionum Operis ſcribendi, ex Homiliis etiam & Epiſtolis inſignioribus excerpta, adjuncturum; ex hiſtoricis autem Operibus, miſſa analyſi, quæ in his vix locum habeat, indicatis monumentis, quibus Scriptor uſus eſt, loca religionem maxime ſpectantia notaturum. Denique non niſi Operum ſex priorum Seculorum ſe exhibiturum analyſin, ſiquidem ſequentium ætatum ſcripta maximam partem ſint compilationes ex antiquioribus congeſtæ. Eſſe tamen quædam mediæ & recentioris ætatis ſcripta non negligenda. De his pluribus ſe acturum, & loca notatu digniora excerpturum. Iis, quibus non vacat Opera Patrum legere, ſe ita breviter ob oculos poſiturum, quæcunque in illorum ſcriptis maxime notabilia ſint circa credenda, agenda, & diſciplinam Eccleſiaſticam, idque non ſolum in Scriptoribus ſex priorum, ſed & reliquorum, Seculorum, ut ita catena teſtium veritatis Catholicæ ab Apoſtolorum tempore ad noſtram ætatem exhibeatur. Loca difficilia notula quadam explicaturum; erroris cujusdam admonitum, eum ingenue agniturum; loca Patrum Græcorum, quod pauci Græce intelligant, Latine allegari, Amicis & ſibi conſultum viſum; judicium de ſtilo, genio, & eruditione Autoris minime ſe omiſſurum; editiones etiam Operum & verſiones, notatis melioribus, quoad ejus fieri poſſit, enarraturum. Ceterum de editionibus Scriptorum Biblicorum com-

mendat Opus P. *le Long;* horum etiam analyſes, quod jam in omnium manibus ſint, omittit. Hiſtoriam & Acta Conciliorum, generalium & particularium, diſpoſita ſecundum ordinem temporis, ad finem cujusque Voluminis, additis in gratiam eorum, qui Collectiones Conciliorum non poſſident, præcipuis Decretis, rejicit. Primo Latine ſe ſcribere aggreſſum eſſe, & hoc ſermone tria priora Volumina conſignaſſe, ſed, Amicis ipſum monentibus, id agi, ut inſtitutum, cujus primas ſaltem lineas duxerit *Dupinius*, perficiatur, eademque adeo lingua ſcribendum eſſe, mutato conſilio Gallice ſcripſiſſe, idque plane & ſimpliciter, ſine affectatione ornatus. Denique ſe Operibus *Dupinii, Fleurii, Tillemontii, Petit-Didieri, Calmeti, Fabricii, Baſnagii, Sculteti*, omnino adjutum profitetur; &, ſi qui eruditorum ſymbolas conferre velint, eas, adſcriptis ipſorum nominibus, ſe publicaturum promittit. Habet Lector fere omnia, quæ in Præfatione de ſcopo & inſtituto ſuo Autor commemorat. Reſtat igitur, ut, adductis ſpeciminibus nonnullis, quomodo id exſecutus ſit, videamus. Subſiſtimus jam in *Tomo primo*, de ceteris dicturi ſuo tempore. In fronte Tractationis, verbum Dei ſcriptum ore divino Patriarchis tradito verbo ſucceſſiſſe, & in ſubſidium humanæ imbecillitatis divinitus datum eſſe, neque ſatis æſtimari, aut ſatis defendi, aut ſibi aliisque cognoſcendum ſatis proponi poſſe, bene ac recte aſſerit. Utinam vero huic aſſerto praxis Eccleſiæ Romano-Catholicæ reſpondeat! Jam in Tractatione ipſa, miſſis illis, quæ de vita & libris Scriptorum nemini non cognita affert, paucis ſaltem indicabimus, quam partem in quæſtionibus dubiis & controverſis eligat, ac defendendam ſibi ſumat.

In Chronologicis ſequitur computum *Uſſerii* & *Buddei*, cujus etiam Hiſtoriam Eccleſiaſticam Veteris Teſtamenti in Notis ſubinde allegat; & *Cap. I Artic. I Moſen* A. M. 2433 natum, A. 2513 populum ex Ægypto eduxiſſe, ſtatuit: *Artic. II*, ſcripta ejus genuina eſſe, quindecim argumentis ſolidis demonſtrat: Objectiones numero XII, *Hobbeſii, Peyrerii, Spinozæ*, & eorum omnium, qui aliena manu iis aliqua inſerta ſtatuunt, *Artic. III* refutat, & *Bocharti* ac *Spanhemii* autoritate aſſerta ſua munit. Ita e. g. ad Objectionem primam reſpon-

reſpondens, deſerta Vulgata, quæ *Devt. I, 1,* habet: *Hæc ſunt verba, quæ Moſes locutus eſt trans Jordanem*, ad Hebræos fontes recurrit, in quibus eſt בעבר, h.e. ad tranſitum Jordanis. Ita, octavam diluens Objectionem, per Reges Iſraelitarum, quorum mentio fit *Gen. XXXVI, 31,* unde probare nonnulli ſatagunt, hæc certe tempore Regum Pentateucho addita eſſe, intelligit autoritate regia præditos totius populi rectores, qualis ipſe fuerit *Moſes*, & quales deinde fuerint judices. In explicando loco *Devt. II, 12,* Objectionem nonam refellens, iterum Vulgatam deſerit, & pro eo, quod hæc habet: *ſicut fecit Iſrael in terra poſſeſſionis ſuæ*, vertit: *ſicut faciet*, vel, *ſicut facere inſtituit Iſrael.* Ad Objectionem, quæ ipſi eſt numero decima, de libro bellorum Domini, *Num. XXI, 14,* libro fœderis, *Exod. XXIV, 7*, libro belli cum Amalec, *Exod. XVII, 14,* libro caſtrametationum in deſerto, *Num. XXXIII, 2,* recte reſpondet, non deſignari peculiares libros extra Pentateuchum, ſed ipſas narrationes Pentateucho comprehenſas; ſiquidem ספר & narrationem quandam, & particulam libri majoris, denotet. Ultima tamen de morte *Moſis* a *Joſua* addita ſtatuit. *Artic. IV* de tempore, quo *Moſes* Pentateuchum ſcripſit, deque iis, quæ illo continentur, diſputat. Denique, de ſcriptis *Moſi* falſo tributis dum *Artic. V* agit, Pſalmum *XC*, qui in vulgata verſione eſt *LXXXIX*, non *Moſis*, ſed *Davidis*, eſſe dicit: hujus enim tempori, quo major fuerit hominum longævitas, non convenire, quæ dicantur *v. 10, 11,* & Samaritanos eum Pentateucho ſuo fuiſſe addituros, ſi *Moſis* re vera eſſet: præterea titulos Pſalmorum maximam partem avthenticos eſſe negat. Sequentes etiam Pſalmos *Moſi* nullo fundamento tribui ait. In quo ipſum ratio non ita, ut in Pſalmo *XC*, fugit. Librum etiam *Jobi Moſi* abjudicat. Tum libros plane ſuppoſititios, Apocalypſin, Aſſumtionem, Librum myſteriorum, Teſtamentum *Moſis*, rejicit.

Ad *Joſuam Cap. II* dum pergit, præmiſſa *Artic. I* vitæ ipſius hiſtoria, totum librum, nomen ejus præferentem, ab ipſo ſcriptum, exceptis iis, quæ de morte ejus narrantur, novem rationibus *Artic. II* defendit; & *Artic. III* ad objectiones reſpon-

ſpondet. Quarum prima eſt: Scriptorem, qui crebro his vocibus, *uſque ad hodiernum diem*, utatur, non poſſe eſſe coævum; quam conſequentiam nullam eſſe ait. Secundam, quando nonnulli e *Joſ. X, 13*, ubi citatur *Liber Juſtorum*, probare conantur, librum *Joſuæ* nihil aliud eſſe, quam Epitomen Annalium populi Iſraelitici, ita ſolvit, ut, *Librum* illum *Juſtorum* fuiſſe, autumet, Syllogen cantionum & epiniciorum in celeberrimas populi Iſraelitici victorias, & alios eventus memorabiles, compoſitorum. Unum ex his canticis celebraſſe victoriam *Joſuæ* contra quinque Reges fœderatos, & inde deſumta eſſe verba illa: *Sol ſta in Gabaon, & luna in valle Ajalon*, quippe quæ ſint expreſſiones audaces & figuratæ, poemati, quam ſimplici hiſtoriæ, convenientiores. Eundem librum allegatum denuo eſſe *2 Sam. I, 18*, occaſione cantici in mortem *Saulis* & *Jonathæ* compoſiti; & nomen *arcus*, quo Autor hujus Libri inſigniat hoc Canticum, (quæ eſt *Lutheri* in Gloſſa ad hunc locum ſententia,) ideo, quod elogium arcus *Saulis* & *Jonathæ* contineat, hanc conjecturam confirmare. Solvit & nonnullas alias objectiones, αὐθεντίαν libri *Joſuæ* impugnantes; & *Artic. IV* de tempore, quo idem ſcriptus videri poſſit, deque contentis ipſius; *Artic.* vero *V* de Operibus *Joſuæ* falſo tributis, decem nempe Decretis ipſius, e *Tractat. Talmud. Bava Kama*, & *Seldeno de Jure Natur. & Gent. juxta Diſcipl. Ebr. Lib. VI Cap. 11*, nec non de precatione ſub egreſſum e Synagoga Judæis uſitata, cujus *Joſuam* Autorem faciunt, paucis agit. *Cap. III* hiſtoriam libri Judicum, quam facit 317 annorum ab A. M. 2570 ad 2887, *Uſſerii* ſequens Chronologiam, & ratione temporis ea, quæ *Cap. XVII - XXI* narrantur, præmittens, breviter recenſet: Autorem vero omnino incertum, *Davidis* tamen ævo, uti e *Jud. I, 21*, pateat, quo *Jebuſæi* a *Davide* demum expulſi, tempore Scriptoris hujus libri Hieroſolymam adhuc tenuiſſe dicantur, ſuperiorem ſtatuit. *Cap. IV* librum *Ruth*, Appendicem libri Judicum, maxime probabiliter *Samueli* tanquam Autori adſcribi ait, ſtilum etiam cum ſtilo librorum *Samuelis* convenire, exemplis oſtendit. *Cap. V* de quatuor libris *Regum*, & libris *Paralipome-*

non

non, agit. Duos priores libros Regum *Artic. I* nomine quidem *Samuelis* a Judæis inſcribi ait, ſed tarde, & diu poſt tempora LXX Interpretum, id factum putat, quippe qui alias hunc titulum omiſſuri aut mutaturi non fuiſſent. *Samuelem* etiam hosce libros ſcripſiſſe, diſerte negat. Interim e *Samuelis*, *Nathanis*, & *Gadi*, Commentariis, laudatis *1 Paral. XXX, 29*, Θεοπνεύςως conflatos eos exiſtimat: idque ab *Eſdra* factum conjicit *Artic. II*, cum in quatuor illis libris Regum magna ſit ſtili conformitas, & ad antiquiora ſcripta Lector remittatur. Diluere etiam ſtudet, quæ contra hanc ſententiam, de *Eſdra* collectore quatuor librorum Regum ex Annalibus & monumentis antiquis, objici poſſint. *Artic. III*, Autorem librorum Paralipomenon ſeu Chronicorum *Eſdram* fuiſſe, contra eos, qui ſunt in hac ſententia, negat, eorumque rationes, a conformitate ultimorum libri ſecundi Paralipomenon & primorum libri *Eſdræ* verborum, item a Genealogiarum, quæ in utriſque exhibentur, harmonia, petitas, refellit. Ceterum Autoris Chronicorum conſilium præcipuum fuiſſe ait, ut nexum familiarum & partitionem terræ e captivitate Babylonica redeuntibus monſtraret. *Cap. VI Artic. I* vitam *Eſdræ* & *Nehemiæ* recenſet. *Artic. II*, *Eſdram* libri primi, qui ipſius nomine inſcribitur, indubitatum Autorem eſſe, evincit, & objectiones diluit. Secundi porro libri *Eſdræ*, qui eſt ipſe liber *Nehemiæ*, Autorem eſſe *Nehemiam*, probat, &, quæ in contrarium afferri poſſint, elevat. *Artic. III* de tertio libro *Eſdræ* ait, eum in editione Latina LXX Interpretum, juſſu *Sixti V* Romæ A. 1588 publicata, inter libros *Eſdræ* nomine inſcriptos primo loco fuiſſe poſitum; eundemque ordinem ſequi Autorem Synopſeos, quæ *S. Athanaſio* tribuatur, qui & ex tertio & primo unum faciat volumen, quæ tamen diſtinguat laudata editio *Sixtina*. Rationem hujus collocationis eſſe, quod Autor tertii libri altius, a regno nempe *Joſiæ*, hiſtoriam repetat. In Bibliis Latinis antiquioribus nunc hoc, nunc alio, loco librum illum comparere: poſt factam autem autoritate *Sixti V* reviſionem Vulgatæ tertium hunc & quartum librum *Eſdræ* ad calcem Veteris Teſtamenti extra numerum Librorum Canoni-

corum fuiſſe rejectos. Ceterum, Patres Græcos, *Origenem, Juſtinum, Athanaſium*, quod antiquitus, uti ſupra dictum, in unum volumen cum primo *Eſdræ* fuerit conjectus, illum in pretio habuiſſe, allegatis eorum locis, extra dubium ponit; hodieque eum a Græcis inter Canonicos cenſeri ait: *Cyprianum* etiam & *Auguſtinum* ejus autoritate uſos eſſe; *Hieronymum* autem primum inter Apocrypha eum rejeciſſe oſtendit: In quibus & merito ſit relinquendus, ſiquidem a nullo Concilio Canonicis inſeratur. Autorem quidem *Joſepho*, quippe qui *Antiq. Jud. Lib.* X *Cap.* 2 eum citet, & hiſtoriam de problemate inter tres corporis *Darii* cuſtodes ventilato inde, ſed paulo aliter, referat, antiquiorem, minime tamen ipſum *Eſdram*, cui in multis contradicat *Pſeudo-Eſdras*, eſſe. Librum IV, qui fertur, *Eſdræ*, licet antiqui nonnulli Patres, & maxime *Ambroſius* aliquod ei pretium ſtatuerint, & Eccleſia Romana ejus formulis in Liturgiis nonnullis utatur, tamen multo magis, quam tertium, cui & ipſi contradicat, ab *Hieronymo* fuiſſe rejectum, neque amplius Græce, raroque in antiquis MStis Latinis, exſtare, & opus impoſturis cujusdam Judæi forte, religione Chriſtiana imbuti, qui poſt N. C. vixerit, ſub finem Seculi primi, aut initium ſecundi, variisque erroribus, & falſis narrationibus, plenum eſſe. *Artic. III* de Pſeudepigraphis aliis, *Eſdræ* tributis, nempe de illis 204 libris, quos *Eſdras* intra 40 dies dictaſſe dicitur, (vid. *Eſdr. Cap. XIV*,) quosque ſibi lectos eſſe, & magna continere myſteria, *Picus Mirandulanus* aſſerit, deque decem Statutis, quæ Talmudici *Eſdræ* tribuunt, &c. agit. *Artic. IV* opinionem, quam Patres quidam, a *Pſeudo-Eſdra Lib. IV Cap. XIV* in errorem inducti, foverunt, quod *Eſdras* libros Veteris Teſtamenti, plane perditos, per divinam inſpirationem denuo conſcripſerit, copioſe refutat, &, librorum ſacrorum inſtauratorem, non niſi eos revidendo, in ordinem redigendo, atque a mendis purgando, ipſum fuiſſe, ſtatuit. *Artic. V* ventilat quæſtiones, utrum *Eſdras* antiquos characteres Hebraicos, eosdem cum hodiernis Samaritanis, mutaverit, ſubſtitutis Chaldaicis; id quod affirmat Noſter, *Hieronymi* & *Joſ. Scaligeri* autoritatem ſecutus; utrum

Digitized by Google

utrum puncta vocalia invenerit: id quod negat, eademque inventum longe recentius eſſe, *Ludovico Capello* aſſentitur; utrum Scripturam in capita & verſus diſtinxerit: quod itidem negat, primamque diſtinctionem in verſus *Origeni* tribuit, libros autem metricos, *Jobum*, *Pſalmos*, &c. ſtatim in verſus fuiſſe diſtinctos ait. *Cap. VII Artic. I* utriusque *Tobiæ* vitam enarrat. *Artic. II* multus eſt in probanda veritate hiſtorica & autoritate canonica hujus libri, diluendisque objectionibus; e. g. quod *Joſephus*, & Patres priorum quatuor Seculorum, aliique nonnulli, librum *Tobiæ* Canonicis non adſcripſerint, inde eſſe, quod Canonem Judæorum ſecuti ſint, qui hunc librum, publicatum diu poſt clauſum *Eſdræ* Canonem, habere nequeat; & quod maximam partem Patres illi anteceſſerint tempus, quo decretum Concilii Carthaginenſis III, quod aliis VI eſt, A. 397 habiti, de Libris Canonicis, unanimi conſenſu in Eccleſia fuerit receptum; uti & *Hieronymus* Præfationes ſuas in libros *Regum* & *Salomonis*, quibus durius de libro *Tobiæ* loquitur, triennio ante receptum hoc decretum ſcripſerit. Tandem concludit, licet hic liber & alii a multis Eccleſiis poſteriorum Seculorum pro Canonicis non ſint habiti, tamen Eccleſiam univerſalem Tridenti congregatam libris illis autoritatem canonicam tribuere potuiſſe, quibus multi Patres antiqui & Eccleſiæ particulares eam tribuerint. *Artic. III* de Autore libri diſquirit, vulgari opinioni, qua ab utroque *Tobia* Chaldaice ille ſcriptus putatur, haud repugnans. *Cap. VIII* multus eſt in demonſtranda autoritate canonica libri *Judithæ*, & veritate hiſtoriæ, quam ſub *Saosduchino*, Aſſyriæ Rege, cui tributum ſit nomen *Nabuchodonoſor*, omnibus Aſſyriæ & Babyloniæ Regibus commune, A. M. 3348, tempore *Manaſſis*, qui poſt reditum e captivitate curam regiminis Pontifici M. commiſerit, contigiſſe ſtatuit; & objectiones ſuo modo diluit, captivitatem, cujus hoc Libro mentio fit, non eſſe Babylonicam, ſed eam, qua Hieroſolyma ab *Aſſarhaddone* capta, & *Manaſſes* Babylonem abductus ſit. *Cap. IX*, de libro *Eſtheræ Articulis IV* diſputans, hujus maritum fuiſſe *Artaxerxem Longimanum*, undecim argumentis probat; Epocham hi-

Digitized by Google

ſtoriæ, libro hoc enarratæ, decennio, ab A. III *Artaxerxis* ad A. XIII, hoc eſt, ab A. M. 3533 ad 3543, includit; primarium Autorem libri ipſum *Mardochæum* ſtatuit; ab alio tamen ex Annalibus Regum Perſicorum nonnulla fuiſſe addita; allegatis *Jo. Franc. Buddei* ex *Hiſt. Eccleſ. Vet. Teſt.* verbis, quibus oſtendit, falſo a Pontificiis, ipſoque *Huetio*, & *Nat. Alexandro*, nobis imputari, quod totum librum *Eſtheræ* e Canone Scripturæ excludamus, ab hac imputatione abſtinet: fragmenta autem, quæ rejicimus, genuina eſſe pugnat, ad autoritatem Eccleſiæ potiſſimum provocans.

Cap. X Articulis III de libro *Jobi* exponens, hiſtoriæ *Jobi*, (quem, fide additamenti, quod ad calcem hujus libri eſt in verſione Græca & Arabica, ex poſteris *Eſavi* fuiſſe dicit,) veritatem contra objectiones tuetur, fictionibus quibusdam eam interpolatam negat; aliquot autem annis poſt publicatam a *Moſe* legem contigiſſe, adductis argumentis; & *Jobum* ipſum Arabice eam primum ſcripſiſſe, cum *Spanhemio* ſtatuit.

Cap. XI Articulis V Davidem, cujus hiſtoriam pluribus deſcribit, omnium omnino CL Pſalmorum, etiam Pſalmi XC, Autorem facit; *Aſaphi*, & aliorum ſacræ Muſices directorum, nomina, ſaltem ob compoſitam melodiam, vel quod ſpeciatim ab ipſorum choro fuerint decantandi, iis præfixa eſſe cenſet; objectiones contra hanc ſententiam proferri ſolitas diluit; de numero & ordine Pſalmorum, deque tempore, quo confecti ſint, nec non de præſtantia & uſu eorum, diſputat. XVIII vero illos, qui inter Pſeudepigrapha Veteris Teſtamenti *Salomoni* tribuuntur, Pſalmos a Judæo quodam Helleniſta poſt excidium Hieroſolymæ ſub *Veſpaſiano* compoſitos pronuntiat.

Cap. XII Articulis VI de *Salomone*, ejusque libris, agens, ſalutem quidem ipſius in medio relinquit; totius autem libri Proverbiorum, non exceptis ultimis Capitibus, quæ *Aguri* tribuuntur, ipſum Autorem aſſerit, cum ſub nomine *Aguris* & *Lemuelis* ſe ipſum deſignet; in verſione Græca & Vulgata XV ſententias in textu Hebræo non reperiundas legi monet; verba vero illa *Eccleſ. III, 19, 20, 21*, impiorum objectionem ſtatuit. *Canticum Canticorum* tanquam epithalamium ſacrum

in

in Chriſtum & Eccleſiam totum myſtice intelligendum dicit. *Librum* denique *Sapientiæ* ipſius *Salomonis* eſſe, multis argumentis probare, & communem ſententiam, qua *Philoni* cuidam antiquo ille tribuitur, refutare ſtudet; deque libris plane ſuppoſititiis, incantatoriis, & magicis, qui *Salomonis* nomine inſcribuntur, nonnulla addit.

Cap. XIII Articulis II Siracidis verſionem Græcam Collectaneorum avi ſui, in Eccleſiaſtico, qui & Panaretos olim appellatus fuit, exhibitam, ſæpe obſcuram & intricatam, exactamque adeo linguæ Græcæ notitiam ei defuiſſe, dicit. Nihilo tamen minus canonicam ei autoritatem ex Eccleſiæ decreto tribuit; epocham autem ſcriptionis in *Ptolemæi Evergetæ*, qui & *Phyſcon* dictus eſt, A. 38, hoc eſt, in A. 131 ante N. C. refert.

Cap. XIV Articulis VI de quatuor Prophetis majoribus, nec non de *Barucho*, agit. *Jeſaiam* vaticinia ſua ipſum ſub vitæ finem collegiſſe, iisque titulum præfixiſſe, ait. De *Jeremia* non prætermittit locum *2 Maccab. XV, 13 ſeq.* ex quo appareat, illum poſt mortem protectorem populi ſui, & interceſſorem apud Deum, eſſe. Caput ultimum ei abjudicat, ſed *Threnos* eidem vindicat, & objectiones diluit. *Baruchum* Epiſtolam ſuam, quam Canoni omnino inſerit, Babylone in prima commoratione, A. IV *Zedekiæ*, ſcripſiſſe, dicit. Quæ vero fertur ſecunda *Baruchi* Epiſtola, ad novem tribus & dimidiam trans Euphratem Syriace ſcripta, & Bibliis polyglottis Pariſienſibus & Anglicanis inſerta, eam tanquam ſuppoſititiam rejicit. De *Ezechielis* ætate, ſtilo, prophetiarum hiſtoria & obſcuritate in initio & fine, quem in Eccleſia lectum non eſſe ex LXX Interpretum nimis manca & vitioſa, ſed ex *Theodotionis*, verſione notat, nihil habet non vulgatum. *Danielem*, duodecim annos natum, innocentem *Suſannam* ſupplicio liberaſſe: ſomnium *Nebucadnezaris* primum *Cap. I* enarratum ætatis anno XV, A. M. 3401, alterum vero *Cap. III* A. M. 3434, expoſuiſſe; prima vice in foſſam leonum fuiſſe conjectum ſub *Dario Medo* A. M. 3445, altera vice ſub *Cyro*, cum draconem Babylonicum interfeciſſet, A. 3468. Canonicas autem eſſe

Digitized by Google

Scriptori Pontificio hiſtorias de *Suſanna*, de *Bele*, & *Dracone Babylonico*, nemo mirabitur. Inprimis autem hoc loco ea propugnat armis *Origenis*, ex *Epiſtola ad Africanum*, & tanti nobis eſſe debere autoritatem Judæorum negat, ut nihil, niſi quod illi in Canone Scripturæ habent, recipiamus. Speciatim, hiſtoriam de *Suſanna* a Senioribus Judæorum, utpote parum ipſis honorificam, ejectam eſſe, Lectoribus perſuadere nititur. Onirocritica denique varia,ſub *Danielis* nomine venditata, curioſe recenſet, rejicitque.

Cap. XV Articulis IV duodecim Prophetas minores paucis transmittens, *Hoſeam* vere ſcortum duxiſſe, ſtiloque perobſcuro ſcripſiſſe; *Joelis* ætatem incertam eſſe; *Amoſum* A. XXIII Regni *Oziæ* vaticinari cœpiſſe; *Abdiæ*, ſeu *Obadjæ*, ætatem ignorari; magnam ejus partem in *Jeremiæ* volumine, teſte *Hieronymo*, contineri; *Jonam* A. M. 3197, *Micham*, *Jeſaiæ* in verbis etiam manifeſte concinentem, A. M. 3236, *Nahumum* A. M. 3292, prophetico munere fungi cœpiſſe; *Habacucum* eundem omnino eſſe poſſe, qui, ab Angelo transvectus, *Danieli* in foſſam leonum cibum apportarit, ſiquidem ab A. IV *Jojakimi*, qui reſpondeat A. M. 3397, ad primum Regis *Cyri* annum, hoc eſt, ad A. M. 3468, quo *Daniel* ſecunda vice in foſſam leonum fuerit conjectus, annorum tantum 71 intervallum ſit. *Saphoniam*, ſeu *Zephaniam*, *Jeremiæ* maxime conſonum, A. M. 3363, *Haggæum* & *Zachariam* poſt captivitatem Babylonicam A. M. 3484, *Malachiam* denique, A. M. 3552, vaticinia ſua edere cœpiſſe.

Cap. XVI Articulis III de libris *Maccabæorum* agens, horum primum librum, Hebraice, ſeu potius Syriace, ab Autore ſcriptum, continere hiſtoriam a morte *Alexandri Magni*, hoc eſt, ab A. M. 3691 ad A. 3871. Librum II *Maccabæorum*, e diverſis partibus, inter ſe haud connexis, conſtantem, jacturam quinque librorum *Jaſonis*, quos excerpſerit, ſimulque interpolaverit Autor, peperiſſe: utrumque dudum ab *Origene*, *Hilario*, *Ambroſio*, *Auguſtino*, & tota denique Eccleſia, inter Canonicos relatum eſſe. Tertium, perperam *Maccabæorum* librum dictum, inter Apogrypha relinquit; uti & quartum,

Arabi-

Arabice ſcriptum, & Polyglottis Pariſienſibus atque Anglicanis inſertum.

Ad Scriptores Novi Teſtamenti *Libro II* Autor dum progreditur, & *Cap. I* de quatuor Evangeliis in genere, eorumque univerſali in orbe Chriſtiano receptione, deinde peculiari Capite de quolibet Evangeliſta ſpeciatim agit; extra controverſiam ipſi eſt, *Matthaeum* Evangelium ſuum Hebraice, *Marcum* autem Græce, ſcripſiſſe, & *Capitis XVI verſus 9, 10, 11*, in multis antiquis exemplaribus omiſſos, quibus Chriſtus poſt reſurrectionem *Mariæ Magdalenæ* apparuiſſe dicitur, eſſe genuinos. *Lucam*, accuratiſſimum Hiſtoriæ Evangelicæ Scriptorem, Medicum egiſſe, & probabiliter ipſum illum *Lucium* eſſe, cujus *Paulus* meminerit *Rom. XVI, 21*, *Joannem* (ab A.C. 66 Epheſi, licet *Timotheus* ibi Epiſcopus fuerit, commoratum, atque ex oleo ferventi ſalvum egreſſum,) Evangelium ſuum poſt reditum e Pathmo, nonagenario jam majorem, A. C. 97 ſcripſiſſe, autoritate *Epiphanii* aſſerit; *Caput* etiam *XXI* eidem vindicat, tanquam appendicem omiſſorum. *Lucam* vera *Acta Apoſtolorum*, de quibus *Cap. VI* exponit, A. C. 63 Romæ ſcripta, appoſuiſſe falſis, eo tempore jam vulgatis. *Pauli* vitam *Cap. VII* fuſe recenſet, deque Epiſtolis, quarum brevem jungit analyſin, eadem, quæ vulgo tradi ſolent, commemorat. Locum *Ep. Pauli ad Col. IV, 16*, de Epiſtola a Laodicenſibus ad *Paulum* ſcripta exponens, peculiarem ad Laodicenſes Epiſtolam eum ſcripſiſſe, &, quæ circumfertur, genuinam eſſe, negat. Epiſtolam ad Hebræos *Paulo* tribuit, ejusque in ea ſtilum & characterem agnoſcit, eandem ab initio etiam Seculi V in Occidente æque ac Oriente pro *Paulina* habitam, teſtimoniis multis oſtendit. In primis autem vinculis Romæ A.C. 63 illam a *Paulo*, & quidem Græce, ſcriptam ſtatuit. De ſcriptis *Paulo* falſo tributis, Epiſtolis nempe ad *Senecam*, tertia ad Theſſalonicenſes, Evangelio, Apocalypſibus, & Actis *Pauli*, ultimo *Cap. VII* Articulo agit, eaque omnia rejicit. *Cap. VIII* de *S. Jacobo*, Apoſtolo, fratre Domini, agens, filium eum *Alphai*, & *Mariæ*, ſororis matris Domini, ſtatuit. Epiſtolam ejus, quæ inter *catholicas*, hoc eſt, interprete Noſtro, *circulares*, primum tenet locum

Figuras æneas, quibus Genealogia, Heraldica, & antiquitas pacum, licet, teſte *Hieronymo*, paulatim demum tempore procedente obtinuerit autoritatem, vere tamen canonicam aſſerit. Scripta autem, huic Apoſtolo ſuppoſita, nempe *Evangelium de nativitate Mariæ*, & *Liturgiam*, repudiat. *Cap. IX*, ad *Petrum* delatus, eum principem Apoſtolorum vocat, prioremque ejus Epiſtolam Babylone, hoc eſt, Romæ, quippe quæ & in Apocalypſi ob idololatriam & flagitiorum ſentinam Babylon dicatur, circa A. C. 58 ſcriptam ſtatuit, ſimulque opinionem abſonam probare videtur, certe ne verbo quidem improbat, nempe eum in conſcribenda Epiſtola priore, judicio *Hieronymi* ab altera ſtilo & charactere diſcrepante, a *Marco* adjutum, ut eo melius lingua inſolita ſententiam ſuam exprimeret. Ad confirmandam etiam traditionem, *Philaſtrii* ſubleſta autoritate nixam, de *Simone*, Mago, Romæ pro Deo habito, & precibus *Petri* ex aere deturbato, adducit illud *Suetonii Neron. Cap. XII*, ubi in ludis *Icarum* juxta cubiculum ejus decidiſſe, eumque cruore reſperſiſſe, Hiſtoricus refert. Epiſtolam *Petri* poſteriorem circa A. 64 Romæ ſcriptam autumat. Varia denique ab Hæreticis *Petro* ſuppoſita, uti Evangelium ſecundum Hebræos, Acta & Apocalypſin *Petri*, &c. rejicit. *Cap. X*, *Joannem* Epiſtolas ſuas tres eodem fere tempore, quo Evangelium, hoc eſt, circa vitæ finem, ſcripſiſſe cenſet. In allegando loco ex *Epiſt. 1 Cap. IV*, *3*, retinet Vulgatam, quæ habet: *Omnis ſpiritus, qui ſolvit Chriſtum*. Solvere autem, ſeu dividere, Chriſtum, ipſi eſt negare ejus divinitatem, aut veram mortem atque reſurrectionem. Teſtimonium vero illud *1 Jo. V* de tribus in cœlo teſtibus genuinum eſſe, pugnat. Epiſtolam II non ad integram Eccleſiam, ſed ad matronam, cui nomen Electæ, ſcriptam ait. *Cap. XI* Epiſtolam *Judæ* inde a Seculo IV inter ſcripta canonica relatam eſſe, oſtendit. Teſtimonium vero de prophetia *Henochi*, e ſcripto quodam apocrypho illi inſertum, item diſputationem inter diabolum & *Michaelem* Archangelum de corpore *Moſis*, ex alio libello apocrypho, cui titulus: *Aſſumtio Mariæ*, citatam, demonſtrare ait, quædam in his libris vera & divina eſſe poſſe. *Cap. XII*, quo de Apocalypſi *Joannis* exponit, poſtquam autoritatem ejus canonicam

Digitized by Google

nonicam aſſeruit, non tam perſonas Epiſcoporum, quam integras Eccleſias, in reprehenſionibus illis *Cap. II* & *III* reſpici ait; viſiones a *Cap. IV* ad *XX*, hypotheſi ſerviens, tantum reſtringit ad perſecutiones Eccleſiæ ſub Imperatoribus ethnicis, de quibus tandem illa ſit triumphatura; *Cap.* denique *XX* & *XXI* ea, quæ ad finem mundi & quatuor noviſſima pertinent, uti & res ipſa docet, deſcribi, ſtatuit.

Liber III de Libris Apocryphis Veteris & Novi Teſtamenti ita comparatus eſt, ut nimius videatur Autor in ſcriptis fictitiis & ſuppoſititiis, vel & genuinis, ſed ad aliud genus pertinentibus, ſub titulo *Hiſtoriæ generalis Autorum ſacrorum*, qui quidem titulus omnibus paginis inſcriptus eſt, hoc libro, qui mole priores duos fere æquat, recenſendis. Nos autem illis, cum Viri Cel. *Jo. Alb. Fabricii* Codex Pſeudepigraphus Veteris Teſtamenti, item Codex Apogryphus Novi Teſtamenti, frequentiſſime a Noſtro allegati, item Bibliotheca Græca, ſatis uberem eorum notitiam præbeant, non immorabimur, ſed ſyllabum tantum Capitum mire miſcellaneorum, deque hujusmodi ſcriptis agentium, quæ inter Libros Apocryphos Veteris & Novi Teſtamenti haud quæſiveris, una cum paucis quibusdam obſervationibus, adjungemus. *Cap. I* agit de Libris *Adamo*, *Evæ*, *Abeli*, *Setho*, *Enoſo*, *Enocho*, *Noacho*, *Semo*, *Chamo*, *Cainano*, *Melchiſedeco*, *Abrahamo*, & aliis antiquis, falſo adſcriptis; item de Oratione *Manaſſis*. *Cap. II* de Epiſtolis Chriſti & Regis *Abgari*, aliisque Servatori tributis ſcriptis, de Evangeliis Apocryphis, Evangelio nempe ſecundum Hebræos, quod alio nomine dicitur Evangelium Nazarenorum, item *S. Petri*, Evangelio Ægyptiorum, Evangelio de nativitate S. Virginis, Protevangelio *S. Jacobi*, Evangelio infantiæ Servatoris, Evangelio *Nicodemi*, variis Evangeliis Gnoſticorum; item de falſis Actis Apoſtolorum, e. g. *S. Andreæ*, *Thomæ*, *Philippi*, *Joannis*, Evangeliſtæ, *S. Barnabæ*, quæ Actis Sanctorum paſſim ſunt inſerta: item de Epiſtolis S. Virgini & Apoſtolis falſo tributis, de Actis *Pilati*, veris & falſis; de Epiſtola *S. Barnabæ*; de falſis Apocalypſibus *Adami*, *Moſis*, *Eliæ*, *Petri*, *Cerinthi*; de Liturgiis, quæ Apoſtolis falſo tribuuntur, in quibus eminet

Digitized by Google

Liturgia *Petri*, quam *Renaudotus* in ſua Liturgiarum collectione publicavit. De his dum agit Noſter, Liturgias illas quinti & ſexti Seculi ſcriptas hunc inprimis uſum præbere ait, quod monſtrent, eandem, quæ hodie obtineat, fidem, & eundem modum ſacrificium miſſæ celebrandi, tum obtinuiſſe. *Cap. III* agit de Symbolo Apoſtolico, quod ab ipſis Apoſtolis omnino profectum aſſerit contra *Dupinium*, & traditione primum ſola, non autem ſcriptis, propagatum dicit; tabulamque addit e *Ruffino*, qua παραλλήλως inter ſe comparantur quatuor antiqua Symbola, vulgatum, Aquileenſe, Orientale, & Romanum. *Cap. IV*, de ſcriptis *Mercurio Triſmegiſto* & *Hydaſpi* vulgo tributis exponens, primorum Patrum, artis criticæ expertium, in his pro genuinis recipiendis ſimplicitatem taxat. *Cap. V* argumentum de Sibyllis, earumque oraculis, ita pertractat, ut hæc Seculo fere primo confecta, *Conſtantini* autem *Magni* ævo autoritatem ſuam maximam partem amiſiſſe, ſtatuat, editiones etiam recenſeat, nec diſſimulet, Bibliothecis quoque Patrum eadem inſerta eſſe. *Cap. VI* de *Philone Judæo* inter alia memorat, ab *Hieronymo* inter Scriptores Eccleſiaſticos eum eſſe relatum, quod crediderit, vitam primorum Chriſtianorum Alexandriæ degentium libro de vita contemplativa ab eo deſcriptam eſſe. *Cap. VII*, de *Fl. Joſepho* diſſerens, ejus quidem Hiſtoriam ſacram interpolandi audaciam reprehendit, teſtimonium autem de Chriſto genuinum eſſe, variis argumentis propugnat. *Cap. VIII*, de *Juſto a Tiberiade*, Judæo, *Joſephi* æmulo, belli Judaici Scriptore, item de *Antonio Juliano*, cujus ſolus *Minutius Felix* mentionem facit, deque *Joſepho Gorionide*, *Fl. Joſephi* epitomatore, quem Seculo ſeptimo vixiſſe, *Voſſio*, *Druſio*, & *Jac. Baſnagio* aſſentitur, agit. *Cap. IX*, de *S. Herma* ſententiam dicens, hujus ſcripta, *Irenæi*, *Origenis*, *Clementis Alexandrini*, *Tertulliani*, & aliorum Patrum, autoritate nixus, genuina & minime rejicienda ſtatuit. *Cap. XI* de *S. Clemente*, Papa & Martyre, diſquirens, ejus non primam ſolum, ſed & alteram, ad Corinthios Epiſtolam genuinam aſſerit, Canones vero Apoſtolorum, Libros decem Recognitionum, Homilias, & quæ præterea *Clementi* tribuuntur, item Acta Martyrii ipſius, inter

inter ſuppoſititia rejicit. *Cap. XI*, de *S. Ignatio* agens, ejus Epiſtolas, non quidem omnes, ſed ſeptem ſaltem eas, quas *Iſaacus Voſſius* & *Jac. Uſſerius* edidere, genuinas ſtatuit, & in refutandis *Sam. Baſnagii* objectionibus operoſus eſt. *Cap. XII* Acta martyrii *S. Ignatii*, *S. Symphoroſæ*, ejusque filiorum, & *S. Felicitatis*, ejusque filiorum, examinat, & inter genuina omnino refert. *Cap. XIII*, de *S. Polycarpo* exponens, totam ejus Epiſtolam ad Smyrnenſes, & eum quoque locum, ubi de *S. Ignatio* percontatur, genuinis adſcribit, & contra Centuriatores Magdeburgenſes & *Dallæum* armis conſuetis pugnat. Ad Acta vero martyrii quod attinet, columbam e rogo ejus evolaſſe negat, &, perperam περιστερὰ pro ἐπ' ἀριστερᾶ lectum eſſe, cum *Stephano le Moyne*, tacito quidem hujus nomine, affirmat. Denique, quæ Polycarpo ſupponuntur, ſcripta rejicit. *Cap. XIV*, de *S. Papia*, Hieræpolitano, agens, magiſtrum ejus *Joannem*, Presbyterum, a *S. Joanne*, Apoſtolo, diverſum ſtatuit, nimiamque in eo credulitatem, & erroneam de regno millenario opinionem, reprehendit, atque *Euſebii* cenſuram cum *Hieronymi* elogio ſcite conciliat. *Cap. XV*, de *Quadrato*, Apologeta & Propheta, tractans, eum Athenienſium Epiſcopum, a quo alii hunc diſtinguunt, facit, & *Publio* A. C. 125 ſucceſſiſſe, fide *Hieronymi*, ſuamque Apologiam A. 126 *Hadriano*, Imperatori, obtuliſſe, aſſerit. *Cap. XVI* de *S. Ariſtide Apologeta* & *Agrippa Caſtore* eadem, quæ & alii, paucis commemorat. *Cap. XVII*, de *Ariſtone Pellæo* agens, ei diſputationem *Jaſonis* & *Papiſci* pro convincendis Judæis, Græce circa A. 140 ſcriptam, non hæſitanter tribuit. *Cap. XVIII*, de Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis, *S. Polycarpi* martyrium, quod contigit A. 166, enarrante, & ipſo hoc anno ſcripta, diſſerens, eam, utpote unctione divina abundantem, eximie laudat. Denique ſubjunctus eſt Index copioſus rerum *Tomo* hoc *primo* contentarum.

EVANGELISTÆ MANELMI, VICENTINI, Commentariolum de quibusdam Geſtis in Bello Gallico Ill. V. FRANCISCI BARBARI, Præfecti præſidii

 Brixiæ,

Digitized by Google

Brixiæ*, *ſeu de Obſidione Brixiæ A. 1438. Nunc primum e MSto Codice Monaſterii S. Euphemiæ urbis ejusdem edidit, recenſuit, ac Notis illuſtravit D. JOANNES ANDREAS ASTEZATUS, Brixianus, Monachus Benedictino Caſinenſis, olim in Brixiana Academia Matheſeos Publicus Profeſſor.

Brixiæ, typis Joannis Mariæ Ricciardi, 1728, 4.
Alph. 1.

Præter Commentationem ipſam de obſidione Brixiæ hic comparent nonnulla Diplomatica momenta. Præmittitur Diploma quoddam *Henrici*, Imperatoris, nec non *Franciſci Barbari* Gratiarum actio, ad Brixianum populum declarata, cum Annotationibus. Ad calcem Operis adjectæ ſunt tres Diſſertatiunculæ, 1) de Anno Coronationis *Caroli Craſſi*, Imperatoris, 2) de Anno primo regni *Deſiderii*, Regis ultimi Langobardorum, & 3) tandem de nova Epocha *Ludovici II*, Imperatoris. Singula omnino ſic ſunt comparata, ut Lectoribus facile ſalivam moveant. Occaſionem ſcripto ſubminiſtravit functio extraordinaria, cui Cel. *Aſtezatus* haud ita pridem fuit admotus. A proceribus enim juſſus fuerat manum adhibere ſupremam tabulario *Euphemiano*, quod ab A. 1020 usque ad 1650 *Cornelius Margarinus*, Romanus, Congregationis Benedicto-Caſinenſis Abbas, atque Archiviſta generalis, jam dudum ſatis apte digeſſerat, & commodo copioſoque Indice illuſtrarat. Quo pacto Noſter inopinans deprehendit plurimos unaque aggregatos, licet haud adeo antiquos, Codices MStos, in iis vero tum Græca, tum Latina, tum Italica quoque. Porro ei ſeſe obtulit fragmentum chartacei Codicis, complectens plura, eaque miſcellanea, & primo quidem loco *Commentariolum hiſtorico-panegyricum Franciſci Barbari*, qui extiterat in bello Gallico atque in pervulgata Brixiæ obſidione Paciniana præfectus militiæ ſtrenuiſſimus, quod contexuit nobilis

Digitized by Google

nobilis doctusque Vir, *Evangeliſta Manelmus*, Vicentinus, qui
in duriſſima illa obſidione Brixiæ apud *Barbarum* egit. Ut
literarum ductus, quibus eminebat MStum, legere poſſet Autor,
nec non Langobardicam ſcripturam, id in acceptis refert *Phi-*
lippo Garbello, Abbati Pontevicenſi. Codicem *Manelmi* Bri-
xianum cum Vicentinis duobus contulit. Gentem *Manelmo-* Pag. 3 ſeq.
rum, apud Vicentinos nobilem, deinde exponit. *Manelmi* hujus
ætas in medium Seculum XV incidit. An plura ingenii ejus
monumenta exſtent, nondum ſatis liquet. Diploma *Henrici*
VI, Imperatoris, ex *Friderico Ahenobarbo* geniti, *Manelmi*
ſcripto præmittitur, ſiquidem illo ager Brixianus definitur, *fo-*
drum enarratur, & poſſeſſio hæreditatis *Mathildinæ*, Impera-
tori vindicatæ, exponitur. Addidit Editor notas perdoctas, 5.
quibus Brixiæ magiſtratus præcipuos, regimen, mores, inſtitu-
ta, aliaque id genus, ediſſerit. Brixiam Seculo XIII miſere
vexavit *Eccelinus*, Tyrannus: quo ſublato, paulo poſt *Huber-*
tus Pallavicinus, Marchio, per dolum eam cepit, dein libertati
reſtitutam, vigentibus ſimultatibus. Seculo XIV eam miſer-
rime diripuerunt *Scaligeri* & *Cavalcaboves*. Inde ad initium
Seculi XV Brixia paruit ditioni Vice-Comitum ac Ducum
Mediolanenſium, at A. 1426 ſeſe Venetorum in poteſtatem &
tutelam contulit. *Philippus Maria*, Dux Mediolanenſis, A.
1438 per ducem copiarum *Nicolaum Picininum* Brixiam dura
preſſit obſidione, quam deſcripſit *Manelmus*. Pacem Conſtan- 6
tienſem A. 1183 celebratam fuiſſe, ſcribit Editor, nixus Actis
Pacis ejusdem, in vulgatis editionibus Corporis Juris Civilis
occurrentibus, & morte *Ottonis*, Bavariæ Ducis, qui Conven-
tui interfuit, defunctus jam A. 1184. *Franciſci Barbari*, cujus
Baylius quoque in Lexico meminit, vitam resque geſtas per-
ſcripſit *Nicolaus Comnenus Papadopolus*, unde hic habes com-
pendium. *Barbarus* ſcripſit *de re uxoria* Libros II, Epiſto- 8.
larum ad diverſos Libros XVI, Orationes multas, Latine ex
Plutarcho vertit Vitas *Ariſtidis* & *Catonis*. *Fodrum regale* 15.
dabatur, quando Imperator electus Romam ad coronam ſuſci-
piendam proficiſcebatur. Jurejurando Brixienſes A. 1192 ſeſe
obſtrinxerunt Cæſari, quod bona fide adjuturi ſint eum ad de-

Digitized by Google

Pag. 16. fendendam *terram quondam Comitiſſa Mathilda.* *Mareſcal-*
59. *ci* afferuntur varia ſynonyma *pag. 41 ſeq.* *Fertonem* eſſe marcæ partem quartam, oſtenditur. Librum *Manelmi* ipſum præcedit Apologia *Franciſci Barbari*, & gratiarum actio ad populum Brixianum pro pileo ſibi donato in feſto *S. Fauſtini* & *S. Jovitæ*, urbis patronorum ac primorum Evangelii præconum.
60. Pilei illius donum erat inſigne equeſtre, quod quotannis viro de re militari eximie merito intra feſtum illum diem dari conſueverat. Inter impoſitionem pilei verba Abbas recitabat ex *Pſalm. CXX, 6: per diem ſol non urat te, neque luna per*
1 ſeq. *noctem.* *Manelmus* Commentario ſuo præfixit inſcriptionem, per quam Opus ſuum Eloquentiſſ. *Blondo Forojulienſi*, Hiſtorico tum clariſſimo, conſecrat, a quo tamen ſilentio potius preſſus, quam illuſtratus, fuit. Ut vero inficiari vix licet, momenta hiſtorica ſingularia, quæ alibi fruſtra quæras, *Manelmi* ineſſe Commentario; ita id a veritate haud eſt alienum, *Manelmo* haud fuiſſe cordi curam, cauſas cum eventis debite copulandi. Addimus id quoque, poni ab eo plurima tanquam notiſſima, quorum notitia vel nulla, vel exigua, hodie ſupereſt. Prædicamus vero diligentiam Cel. *Aſtezati*, qui doctiſſimis ubique *Manelmum* illuſtravit Annotationibus, & ea, quæ
66 ſeq. obiter *Manelmus* attingit, egregia paſſim luce perfundit. Subjecta eſt *Manelmi* Commentario *Oratio Clariſſimi Viri, Ambroſii, Advocati Juriſconſulti nomine populi Brixienſis, cum vexillum ac belli decora Franciſco Barbaro extra ordinem cum magnificentiſſimo apparatu in Eccleſia majori honorificentiſſi-*
69 ſeq. *me donata ſunt.* Tres adjectæ a Cl. *Aſtezato* Diſſertatiunculæ, de quibus ſtatim injecimus mentionem, a Chronologis Hiſtoricisque ut attente legantur, ſunt omnino digniſſimæ, ſiquidem lucernam olent, & ungues ſapiunt demorſos. Demonſtrat is ipſe in prima, *Carolum Craſſum* A. 881 ritu ſolenni Romæ in Imperatoris dignitatem fuiſſe intromiſſum. In ſecun-
85 ſeq. da diſquirit annum primum *Deſiderii*, Regis Langobardorum, eumque putat incidere in 757, Indictionem decimam, incertum Januarii aut Martii diem; *Adelgiſum* vero filium in ſocietatem regni fuiſſe adſcitum A. 759, Indictione XII, Ju-
94 ſeq. nium inter ac Auguſtum. Tandem ſuſpicatur, *Ludovicum II*, Impe-

Digitized by Google

Imperatorem, a *Lothario I*, Imperatore, patre, A. 843 in ſocietatem regni imperiique eſſe adſcitum.

Hiſtorie des Regiments in des Heil. Röm. Reichs Stadt Augſpurg, ꝛc.

h. e.

HISTORIA REGIMINIS S. R. I. LIBERÆ civitatis Auguſtanæ, Autore DANIELE LANGEMANTELIO. Edidit, & compluribus manu exaratis Documentis adauxit JACOBUS BRUCKERUS, Regiæ Berolinenſis Societati Adſcriptus.

Auguſtæ Vindelicorum, apud Davidem Raymundum Merzium, & Jo. Jac. Mayerum, 1734, fol.

Alph. 3 pl. 16½, cum Tabb. æn. 11½.

Bene de patria, bene de popularibus ſuis, meritus eſt, & pii civis munus cumulatiſſime explevit, Pl. Rev. *Jacobus Bruckerus*, Vir aliis ingenii monumentis clariſſimus, quod Hiſtoriam Regiminis Auguſtani, a *Davide Langemantelio*, cive bono, & rerum patriarum ſcienti, collectam, publici juris fecerit, & compluribus acceſſionibus non contemnendis, atque manu exaratis Diplomatibus, locupletiorem auctioremque reddiderit. Etenim ſingularem hoc Opus præſtabit Auguſtanis civibus utilitatem, ex quo varias Regiminis tribunitii mutationes, amplificationes, & Decreta huc ſpectantia, ex publicis Archivis depromta, diſcere, & in uſus ſuos prudenter convertere, poterunt. Id inprimis ſtudioſe egit Autor, ut dictis ſuis fides conſtaret, omniaque veritati eſſent conſentanea. Quapropter ipſa Diplomatum Cæſareorum, Confirmationum, Declarationum, Pactorum conventorum, Ordinationum, Imperatoriarum, Regiarum, Electoralium, & Principalium literarum verba, quæ monumenta publica univerſum Opus fere conſtituunt, integra inſeruit, leges fundamentales Auguſtani Regiminis ſumma fide tradidit, & Chronologicum Indicem omnium membrorum Carolini Senatus & judicum uſque ad noſtra tempora confecit, atque inſuper Figuras æneas, quibus Genealogia, Heraldica, & antiquitas patricia-

Digitized by Google

triciarum Familiarum Auguſtanarum mirifice illuſtratur, addidit. Ulterius adhuc progreſſus eſt Cl. *Bruckerus*, & Opus hoc, fidei ſuæ ab Autore beate demortuo concreditum, ampliſſima Præfatione ornavit, in qua de vera indole atque natura Regiminis tribunitii a primis urbis initiis uſque ad annum 1368, quo incipit ipſa *Langemantelii* Collectio, docte atque præclare diſputat. Multum profuit ipſi Codex manu ante hos ducentos annos ſcriptus, ex quo potiora momenta, quæ hiſtoriam Regiminis Auguſtani clariorem certioremque reddunt, in hanc Syllogen tranſtulit, & nonnunquam quædam memoratu digna de Advocatia Auguſtana, (de qua ſingularem Diſſertationem, Miſcellaneis Berolinenſibus inſertam, conſcripſit Cl. Editor,) monuit, itidemque Catalogum Advocatorum Auguſtanorum fructuoſa diligentia dedit. Ipſum Opus *quinque Libris* abſolvitur. *Libro I* de Regiminis tribunitio ab A. 1368 uſque ad 1548 agit, & ejus fundationem, confirmationem, & ordinem, commemorat; *Libro II* de mutatione Regiminis tribunitii a *Carolo V* A. 1548 facta diſſerit; *Libro III* de reſtitutione tribunitii Regiminis, ejus abrogatione, ac reſtitutione & extenſione Senatus a *Carolo V* conſtituti commemorat; *Libro IV* perpetuas illas mutationes, quas Senatus tempore belli tricennalis ab A. 1629 ad 1648 expertus eſt, recenſet; *Libro V* mutationes & conſtitutionem Regiminis per Pacem Oſnabrugenſem uſque ad præſentia tempora exponit. Hos *quinque Libros* excipit Appendix, urbis Præfectorum, ſive, uſitatiore nomine, Advocatorum Auguſtanorum, qui ab A. 1548 ad 1724 graviſſimum ſplendidiſſimumque munus adminiſtrarunt. Sequitur denique Index Alphabeticus omnium, qui in Senatu & Judiciis ab A. 1548 ad 1724 fuerunt. Ad ſingula capita deſcendere, aut quædam ſpecimina afferre ex hoc Opere, neque inſtituti ratio patitur, neque, ſat ſcimus, Lectores noſtri admodum flagitabunt. Hoc certe ex iis, quæ diximus, neque illos, qui de Advocatia Auguſtana aliquid ſcribere volunt, neque cives Auguſtanos, qui patriarum conſuetudinum antiquitatumque aliquam curam habent, commode carere poſſe hoc Libro, unusquisque, quemadmodum opinamur, facile ſuaque ſponte intelliget.

DELL

DELL' ERPETE TRATTATO, &c.

h. e.

TRACTATUS DE HERPETE, AUTORE NICOLAO PATUNA, Profeſſore Chirurgiæ Veneto, cum Præfatione, continente Hiſtoriam Herpetis Gallici, ejusque curam & ſymptomata, nec non trium & triginta illuſtriſſimorum per Italiam Medicorum & Chirurgorum totidem de hoc morbo Conſultationes; conſecratus Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo LUDOVICO PISANI, Equiti & Procuratori S. Marci.

Venetiis, typis Laurentii Baſegii, 1729, 4.
Alph. 1 pl. 5.

In Præfatione Ill. Autor propriam agit cauſam contra frivolas malevolorum obtrectationes, qui ſuſceptam Herpetis in Juvene quopiam nobili curam convitiis dilaceraverant. Inde hiſtoriam morbi tradit. Vir quidam, poſt Gonorrhæam pluribus vicibus cum Bubone ulceribusque gallicis ſuperatam, denique Herpetem miliarem in fronte & utroque femore experitur, qui paulo poſt in femore ſiniſtro in ulcus malignum degenerat. Externam ſaltem curam cum ſuſcepiſſet Autor, ulcus triginta diebus ad meliorem ſtatum deduxit, Herpete interim paſſim divagante, quo intellexit, curam internam rite adminiſtratam non fuiſſe, ſiquidem paulo poſt tumores & dolores pedum, maxime ſiniſtri, ſucceſſerunt, juncti cum Herpete tuberculari, in loco ulceris conſolidati. Mercurialium uſu ab Autore adminiſtrato, bene res ceſſerat, quem cum abhorrebat Medicus ordinarius, judicans, ex ſanguine miſſo per venam bene ſeſe habere ægrum, nec opus eſſe internis remediis, omnia peſſum iverunt. Jam claſſicum canitur, & mutuæ excandeſcunt iræ inter Chirurgum & Medicum; hic convitiatur, ille clamat, remque ad illuſtrium Medicorum & Chirurgorum tribunal

 defert,

Digitized by Google

morſicantem,qua partes exeſæ exulcerantur,cum a frictione ſibi temperare ægri non poſſint. Herpes corroſiva puſtulas loco veſicularum habet, quæ non prurientem, ſed dolentem, cutim efficiunt, cum febre ſub veſperam exacerbata, enaſcentibus exinde ulceribus phagedænicis. Denique Herpes tubercularis aut follicularis eſt ulcus folliculo duro incluſum cute, cui ſubjacet aſpera livida, ſenſu privata, donec rumpatur, quo tempore lympha mordaciſſima effluit, partes vicinas inficiens & conſumens. Cauſam proximam collocat in ſero ſanguinis depravato & acri corroſivo, ob ſalium in ſanguine exiſtentium vitia. Neque vero cauſæ externæ prorſus negligendæ ſunt, quin potius certum ſit, aerem vel pulmones ad mentem *Valiſnieri* vel poros cutaneos ſubire, ejusdemque fibras ſua intemperie male afficere. Idem præſtant reliquæ cauſæ ex claſſe ſex rerum non naturalium, quibus addenda eſt mali contagium a contingentibus ſeſe corporibus, ita quidem, ut novacula, qua Herpeticus raſus eſt, comperta ſit malum ſano corpori intuliſſe. Quod curam attinet, ſolam Chirurgi operam hic minus ſufficere, conſtanter affirmat. Depurandum eſſe ſerum, ſed parum conducere venæſectiones, quin potius, prout in malo gallico, per appropriata remedia eluendum ſit ſeri vitium. Catalogum ejusmodi remediorum, quibus expugnari Herpes poſſit, recenſet Autor, lactis uſum vere & autumno commendans, carnium viperarum cum *Antonio Muſa*, decoctam non levem virtutem habituram pollicetur. Inter abſorbentia eminenti loco collocat Magneſiam nitri, quibus decocta maxime radicis Saſſaparillæ ad latus ponenda ſunt. Antimonialia & Mercurialia non minorem ſui neceſſitatem faciunt. Externa Chirurgia requirit, lenientia, exſiccantia, maxime Saturnina, adſtringentia, ſpirituoſa, Mercurialia, & quandoqne corroſiva, cujus ſelectus arbitrium penes prudentem Chirurgum eſt, ordinata inſimul diæta, qualis huic generi morborum convenit.

OBSERVATIONES, CIRCA SCORBUTUM, ejusque indolem, cauſas, ſigna, & curam, inſtitutæ, eorum

præprimis in uſum, qui Grœnlandiam & Indiam Orientis petunt; Autore JOANNE FRIDERICO BACHSTROM, Med. Doct.

Lugduni Batavorum, apud Conrad Wishov, 1734. 8. Plag. 5½.

Novo hoc *Bachſtromiani* Opuſculi exemplo conſtat, perperam eos & inique agere, qui libros externa mole, non autem interna virtute, metiri ſolent. Illud enim, quamvis exiguum, omnis tamen ſolidioris doctrinæ, Phyſicæ, Medicæque, plenum eſt, & non ſolum ſcorbuti origines eleganti quadam ratione explicat, ſed multa etiam alia ὡς ἐν παρόδῳ attingit, quæ Lectoribus neutiquam ingrata eſſe poſſunt. Scorbutus ex Doctiſſ. Autoris ſententia eſt inquinatio ſanguinis & ſeri, aliorumque humorum humani corporis, per diætam, nutrimentaque prava, aliasque cauſas ſecundarias, contracta, cujus ope prædicti humores putredinem & acrimoniam contrahunt, quibus vaſa ſic extenduntur, labefactantur, & eroduntur, ut ex partibus debilioribus, cujusmodi ſunt gingivæ fauces & inteſtina pleraque, poſt prægreſſos dolores & tumores ad quamvis irritationem ſanguis merus profluat, in partibus vero fortioribus, poſt torporem totius corporis & artuum, maculæ & ſtriæ varie coloratæ producantur, quæ mox in puſtulas & ulcera mala, & tandem in hydropem, tabem, & mortem, deſinunt. Ad origines ejus rite perveſtigandas hæc inprimis phænomena accommodata eſſe putat: 1) Scorbutus regiones Septentrionales maxime, in iisque indigenas non minus, quam peregrinos, eos, qui navibus vehuntur, æque ac illos, qui in continenti per hiemem fuerunt, infeſtat. 2) Sed in eundem quoque incidunt morbum, qui in Indiam Orientis navigant, in fervidiſſimis ſub ipſo ſole plagis. 3) Tempore obſidionis Thorunienſis, a Rege Sueciæ, *Carolo XII*, ſuſceptæ, ultra quinque vel ſex millia militum præſidiariorum & ingens multitudo incolarum hoc ſolo morbo interierunt. Ubi ſimul notatur, hæc æſtate eveniſſe, Suecos, populum Septentrionalem, plane ab hoc morbo immu-

Digitized by Google

immunes permanſiſſe, morbum non tam cito, neque tam violenter, incolas urbis, quam militem Saxonicum, aggreſſum eſſe. 4) Cum poſt bellum Turcicum in Hungaria extremum exercitus Cæſareus circa Temeswariam in hibernia deductus eſſe, morbus hic adeo invaleſcebat, ut multa millia militum vexaret, atque etiam jugularet, & nullum quidem præfectum, ne infimi quidem ordinis, ſed ſolos gregarios milites, remediis antiſcorbuticis ſolitis, iis etiam, quæ Collegium Medicum Viennenſe commendaverat, incaſſum uſurpatis. 5) Bello Italico præſidium aliquod Cæſareum ſatis procul a mari ita hoc morbo correptum fuit, ut complures eodem fuerunt exſtincti. 6) Ad curandum malum frequens in Grœnlandia, cochleariæ etiam crudæ, copioſe ibidem creſcentis, eſt uſus. Apud Thorunienſes malum ſtatim ceſſavit, ſimulatque ſublata obſidione, apertisque portis, oleribus ſe ſatiarunt. A Medicis etiam felices curationes ſolis fere vegetabilibus acidis, & ſubacidis, & demum amaricantibus, peractæ fuerunt. Navigantes, quando in terram exponuntur, nullis aliis remediis, quam herbis ſubamaris, aut fructibus ſubacidis, intra paucos dies convaleſcunt. Ex his itaque ſatis planum eſſe arbitratur Cl. Autor, cauſas hujus mali huc uſque minus recte eſſe explicatas, quas etiam ſuo loco refutat, concluditque tandem, cauſam veram & primariam ſcorbuti nullam eſſe aliam, quam abſtinentiam diuturniorem a quocunque genere recentium vegetabilium, ſive illa climatis indoli, ſive neceſſitati, ſive neglectui, debeatur. Hancque cauſam phænomenis ſuperius recenſitis accommodat, ex iisque ſingulorum rationes enarrat. Quamvis non dubitet, alias etiam cauſas ſecundarias conjungi, malumque augere poſſe, ut nimium frigus, aer infectus, paludum locorumque humiditas & ſqualor, alimentorum pravitas, motus impeditus, ſanguinis antecedens corruptio, alii morbi, propria ad hunc morbum proclivitas, & id genus alia. Quæ cum ita ſe habeant, optima ad debellandum ſcorbutum remedia eſſe, Doctiſſ. Autor contendit, viliſſimas herbas, & fructus recentes, qui in tres ab eo claſſes dividuntur. Primam claſſem conſtituunt olera & herbæ fere inſipidæ, aut ſaltem dulces, cum omnibus arbo-

 rum

rum fructibus hujus ſaporis & naturæ, ipſa etiam teneriora gramina, dulcia, item teneriora arborum folia, imo iuli & nucamenta, primæque ſummitates per hiemem virentes. Ad ſecundam claſſem rediguntur omnia vegetabilia ſubacida & acida, omnes acetoſæ & acetoſellæ ſpecies, cum malis citriis & aliis vix numerandis baccis & fructibus, ne ejusmodi quidem radicibns, recens effoſſis, exceptis. Ad tertiam claſſem pertinent omnes herbæ, radices, & fructus recentes, guſtu amariores, vel tantum fortiores, e. g. Cochlearia, Lepidium, Naſturtium, Trifolium aquaticum, aliaque. His vero ita uti convenit, ut a lenioribus ſemper ad fortiora procedatur, neque ulla arte præparentur, ſed nuda, & cruda, ſuccique plena, id eſt, recentia, repurgatis ſordibus, (niſi forſan eorum nonnulla, præcipue duriora, vario modo coquere, aliisque cibis admiſcere, neceſſarium fuerit,) atque oleo etiam & aceto condita, aut ſucci eorum ſaccharo & melle temperati, aut ipſa denique, ſi neceſſitas ita poſtulet, vario modo conſervata, in uſum vocentur. Populis itaque Septentrionalibus, navigantibus, obſidione diuturna preſſis, item iis, qui in hibernis, & præſidiis, orphanotrophiis, xenodochiisque, & carceribus, vitam agunt, conſilia ſuggerit, qua ratione ejusmodi remedia in promtu habere queant, & quomodo iis uti debeant. Reliquos vero, qui iis abundant, monet, ne ea remediis ſpecioſis pharmaceuticis viliora & minus efficacia eſſe opinentur. Quoniam jam antiquitus ejusmodi plura atque alia etiam varii generis remedia adverſus hunc morbum commendata, alia vero damnata fuerunt, inprimis varia alimenta fumo indurata, aut muria condita, ſaleque conſervata, ea omnia ſub examen poſtea vocat, atque de harum rerum indole & virtutibus aut noxa partim a priori ex ipſis principiis, partim a poſteriori ex obſervationibus, ex experientia, pluribus diſſerit & philoſophatur, quo etiam doctis, ſi fieri poteſt, hæc perſuadeantur, magis tamen ut præjudicia docta & errores eruditi evitentur. Docte inprimis de putredine, igne, & flamma, fermentatione, aceſcentia, itemque ſulphure & arſenico, omnis, ut vocant, mineraliſationis veris principiis, aliisque pluribus, ad quæ ſubinde digreditur, diſputat.

Sed

Sed nos, ne juſto longiores ſimus, Lectorem ad ipſum Libellum quinque plagularum ablegamus, a Cl. Autore vero etiam atque etiam petimus, ut, quæ adhuc habet alia Phyſica atque Medica, ad vitam complurium millium nautarum conſervandam & navigationes longe tutius peragendas comparata, quæ ſe aliquando editurum eſſe in calce hujus Libelli pollicetur, ea primo quoque tempore, magno humani generis emolumento, publicæ luci exponat.

ANDREÆ PIOVANI, CONGREGATIONIS Oratorii de urbe, Demonſtrationes Geometricæ in triſectionem anguli plani, quadraturam circuli, duplicationem cubi, & methodum deſcribendi in circulo quemcunque regularem, & imparium laterum Polygonum.

Romæ, apud Jo. Zempel, & Jo. de Meji, 1728, 8. Plag. 16.

Poſt Dedicationem ad Regem Sardiniæ, ubi Autor ipſe in Geometria leviter edoctum ſe fatetur, Præfatio ſequitur. Et in hac iterum confitetur, ſe nunquam Matheſin profeſſum, ſed tantum animi cauſa illam didiciſſe, atque horis ſucciſivis exercitum circa talia Problemata enodanda, dum, aliis diſtentus curis, vix aliquam temporis particulam ſubripere potuerit, ut illis vacaret. Paulo poſt hæc habet: *Aſſerere tamen audeo, quod etiam, ſi meæ demonſtrationes nihil concluderent, certe (omni remota invidia,) nemo erit, licet ſumme contentioſus, qui non mirabitur novitatem, facilitatem, & aliquale ingenii acumen; quando autem vere demonſtrent, victas dent manus Algebræ ſectatores; nam, ſi ex Algebræ principiis arguunt impoſſibilem anguli plani Geometricam triſectionem circino & regula, ceterorumque horum Problematum ſolutionem, fateantur, neceſſe eſt, (condonent amabo,) eorum ſcientiam fallacem eſſe, ne dicam falſam; nam falſum non deducitur niſi ex falſo.* Dein legitur ſplendida

in

in Autorem elegia 51 Diſtichorum, ac 12 verſuum Epigramma, haud multo minus glorioſum. Tandem Præfatio, (quæ enim ſtatim poſt Dedicationem leguntur, ita inſcripta ſunt: Ad Lectorem,) ubi *Carteſium*, *Clavium*, ac *Tacquetum*, triſectionem anguli Geometricam negantes, irridendos cenſet. Nunc Opus ipſum incipit feliciter. Præmittuntur Propoſitiones tres, quarta vero angulum acutum quemcunque, quinta rectum, ſexta obtuſum, triſecare docet in æquales partes.
Pag. 45. Sed Cl. *Piovani*, non contentus hac methodo, aliam nobiliorem viam & regulam pandit triſecandi quemcunque angulum planum, ut in ſe eſt, imo & dividendi, in quot partes impares & inter ſe æquales unusquisque voluerit. Sic poſt aliam triſe-
65. ctionem angulum rectum in quinque partes vel angulos, inter
73. ſe æquales, imo eundem rectum in ſeptem partes vel angulos
79, 80. inter ſe æquales, dividi, aſſerit Autor. Hincque recte ſe detexiſſe cenſet, *Oughtredum*, *Kepplerum*, *Clavium*, ac omnes fere Analyſtas, in non toleranda abſurda deveniſſe. Nunc enar-
85. rat totam anguli peripheriam, qua via triſecare debeamus.
90, 94. Inveſtigat latus pentagoni, nec non heptagoni, circulo inſcri-
100. bendi. Problema VII ita ſe habet. Data quacunque recta linea
103. terminata, illam conſtituere latus heptagoni. Jam novum ſequitur Problema: diviſo primum trifariam angulo acuto, ad ipſius normam dividere quoque omnes alios acutos angulos, ipſe
102. Cl. Autor non totaliter eſſe dicit Geometricum, præcedentes tamen Demonſtrationes totaliter Geometricas indubitanter ſe ha-
110. bere affirmat. Sed nec dum exhauſtus eſt theſaurus Cl. Autoris, iterum de alio modo differentis dividendi angulum, in quot partes impares, & inter ſe æquales, unusquisque volue-
115. rit. A *pag. 114* uſque ad *125* totus in eo eſt Cl. *Piovani*, ut (ſunt verba ejus) Matheſeos principiis demonſtret, falſum eſſe, quantitatem continuam conſtare ex punctis indiviſibilibus. Vi verborum ſuorum, ipſe ſe id ſolide credit demon-
127. ſtraſſe, an alii itidem credituri ſint, vix aſſerere audemus. Aggreditur quadraturam circuli, ac generoſa liberalitate tres quadraturas nobis dat Geometricas, cum in tota Matheſi huc us-
179. que ne una quidem exſtiterit. Problema Deliacum dein dupliciter

Digitized by Google

citer ſolvit; ad quarum ſolutionum ultimam hæc pia addere placuit Cl.Autori verba: *Et hoc ſatis ſit pro abſolutione trium problematum tam difficilium, quorum aſſecuta veritas ſoli Deo tribuenda eſt, bonorum omnium largitori, qui facit de tenebris lumen ſplendeſcere, & cui tota ſit laus, honor, & gloria in ſeculorum ſecula.* Coronidis loco addit meditationes de mirabili natura ac proprietate anguli acuti, non excedentis tertiam partem anguli recti, pro inventione duarum, trium, vel plurium mediarum, inter duas quascunque datas lineas rectas. In monito, quod harum paginarum ultimam occupat, deſcriptio omnium in circulo polygonorum, una cum circuli quadratura, Cl. Autori videtur deſervire optime poſſe ad conſtabiliendam principiis tantummodo elementorum *Euclidis* novam figurarum curvilinearum & mixtilinearum ſcientiam. Generatim de hoc opuſculo obſervamus, non eſſe, qua optaremus, diligentia correctum, ſplendide vero, charta eleganti, nitidis typis editum, 37 figuris æri inciſis, & plurimis paginis impreſſis, exornatum, ac Autorem Geometriæ omnino non eſſe expertem, haud tamen ea probaſſe, multo minus demonſtraſſe, quæ titulus promittit, ac amici ejus tanto approbarunt ſtrepitu, canentes e. g.

Pag. 207.

218.

Fama Syracoſii ſileat portenta magiſtri,
Qui geminos vitreo clauſit in orbe polos.
Per quem Phœbeos ſpeculis geminantibus ignes
Uſta perit Siculis Romula pinus aquis.
Fixaque Trinacrio ſteterat, quæ littore puppis
Tracta puellari dicitur inde manu.
Nota quidem priſci ſunt hæc miracula ſecli,
Sunt tamen inventis illa minora tuis.

Ob hanc cauſam certiſſime nulli dubitamus, fore, ut, qui ipſe evolverit libellum, ac vel unam paulo attentius perlegerit propoſitionem, nos plene habeat excuſatos, quod ſpecialiorem recenſionem non addiderimus. Videntes vero, Autorem ſingulis fere titulis locum quendam e Sacra Scriptura præfixiſſe, quo forſan ſe correcturos deterreri optat, nos eum

Digitized by Google

locum, quem primus titulus præ ſe fert, unica vocula immutata, pace Cl. *Piovani*, retineamus exclamando: *Abſcondiſti hæc ſapientibus, & prudentibus, nec* (pro &) *revelaſti ea parvulis, Matth. XI, 25.*

LA VIE DE PIERRE MIGNARD, &c.

h. e.

VITA PETRI MIGNARDI, PRIMARII PIctoris Regii, Autore JO. MONVILLIO, &c.

Amſtelodami, ſumtibus Societatis, 1731, 12 maj.

Plag. II.

Maximam ſibi exiſtimationem arte ſua comparavit *Petrus Mignardus*, dignusque adeo, neque immerito, viſus fuit Doctiſſ. *Monvillio*, cujus vita paulo copioſius a ſe enarraretur. Primas ejus lineas nos quidem ex Libello hoc ducturi ſumus. Primam lucem adſpexit *Petrus Mignardus* Trecis in Campania ſitis, Anni 1610 medio Novembri. Familia ejus ex Anglia oriunda eſt, Galliam vero jam olim petiit, ſedemque ibi fixam ſibi conſtituit. Pater ipſi fuit *Petrus Morus*, qui nomen hoc gentilitium cum *Mignardi* nomine mutavit, hocque ad filios etiam propagavit. Cujus rei hæc occaſio fuit, quod, cum ipſum aliquando & ſex ejus fratres, qui omnes amplis in exercitu muneribus præfecti erant, *Henricus IV*, Galliæ Rex, vidiſſet, propter eximias corporis dotes inſigniter collaudavit ipſos, his uſus verbis: *Ce ne ſont pas là des Mores, ce ſont des Mignards.* Quæ verba propterea non licet Latine vertere, quod alias omnis eorum lepos periret. Fratrem habuit *Petrus* noſter, de cujus vita in præſentia dicimus, *Nicolaum*, qui arti pictoriæ ſe tradidit, magnum poſtea in ea nomen conſecutus. *Petrus* vero Medicinæ deſtinatus erat. Poſtquam vero pater ejus incidit forte fortuna in aliquot imagines, a filio hoc tunc duodecenni clam & remotis

motis omnibus arbitris ſatis eleganter confectas, ſtatim judicavit, natum & hunc eſſe arti pictoriæ, atque hinc genio eum ſuo permiſit. Biturix fuit, ubi, duce *Bouchero*, artis ſuæ jecit fundamenta. Poſtea *Trecas* reverſus ſub *Franciſco Gentilio*, hinc in Fonte bellaqueo ſub præſtantiſſimis magiſtris, & denique *Voeti* opera, artem pictoriam magis excoluit. Verum nondum id *Petro* ſatis fuit. In Italiam quoque cogitavit, Romamque profectus, cum *Du Frenojo* familiarem amicitiam, antea jam inchoatam, magis confirmavit, artemque ſuam politiorem indies reddidit, imo ad ſummam perfectionem perduxit. Neque ita fuit abſconditus, quin ea arte omnium in ſe oculos atque principum quoque virorum gratiam converteret, ipſiusque etiam ſummi Pontificis & purpuratorum Patrum gratiam ſibi conciliaret. Poſt aliquod tempus alias quoque Italiæ urbes peragravit, ubique ſuorum operum nactus admiratores. Ubi vero Romam rediit, magis magisque clarus, magis magisque ſummis Viris gratus, larium ibi conſtituendorum rationes iniit, atque in matrimonium etiam *Acrolaræ*, Architecti Romani, filiam adſcivit. Annos fere 22 Romæ commoratus erat, cum, a Rege Galliarum revocatus, eo ex Italia diſcederet. In itinere variis in Galliæ urbibus ſubſtitit, & inſignia artis opera edidit, omniumque benevolentiam, humanitatem, & amorem, ubique meruit. Ab ipſo denique Rege, *Ludovico XIV*, & Cardinale *Mazarinio*, benevole acceptus, ſpem opinionemque de ſe conceptam per totum vitæ tempus non tam ſuſtinuit, quam ſuperavit, ita, ut in dies fere ſingulos eorum, qui ipſius operam requirerent, ipſius picturas admirarentur, ipſius virtutes ſumma gratia, ex ſummis principibusque viris & fœminis complecterentur, & magis velut excitarent, qui ipſius amicitiam ex doctis ingenioque præditis viris conſectarentur, & ſancte colerent, numerus augeretur. Figulinum tamen illud odium evitare prorſus ipſi non fuit integrum. Cum vacua Pictoris Regii Primarii dignitas, eaque *Brunno* collata eſſet a *Colberto*, magnopere ea re offenſus, abitum propemodum ex Gallia paravit. Mutavit tamen conſilium, & magis magisque inclaruit, annoque 1687 in numerum nobilium relatus, poſt mortem *Brunni*

A. 1690 dignitatem, ſibi olim præreptam, Pictoris ſcilicet Primarii, impetravit, Director ſimul & Cuſtos Conclavis picturarum & delineationum Regiarum, neque minus Director & Cancellarius Academiæ Pictorum Regiæ, Director item operarum Gobelinenſium, conſtitutus. Ipſius cura verſio Gallica Latini Carminis de arte pictoria, a *Du Freſnio* compoſiti, in publicam lucem prodiit. In arte ſua adeo excelluit, ut par ipſi eſſet nemo, omnesque omnium illuſtrium Pictorum dotes virtutesque ſingulari quodam beneficio in eo collectæ viderentur. Cumque alia atque alia eſſe conſtet picturarum genera, & in ſingulis tantum ſingulos artifices excellere, *Mignardus* ubique ſui fuit ſimilis, & in quolibet genere tam exercitatus, ut huic unico tantum deditum fuiſſe crediđiſſes. Magna in ipſo fuit inveniendi vis, magna delineandi peritia, magna lucis & umbræ recte diſtemperandæ, colorumque perite allinendorum, ars. Teſtantur ea de re tot præſtantiſſima opera, maximo ſemper atque etiam nunc ab intelligentibus rei pictoriæ exiſtimatoribus in pretio habita, quorum præcipua, eadem tamen ſatis numeroſa, accurate commemorantur. Toto enim Libello id fere unice agitur, ut, quales effigies præ aliis admirationem plauſumque ſpectatorum nactæ, a primis inde annis ſingulis fere menſibus, imo hebdomadibus, ab eo effectæ, quibus ornamentis maxime commendabiles fuerint, quomodo *Mignardus* majorem indies nominis celebritatem non minus, quam Regis principumque virorum gratiam, ſibi conciliaverit, quam diligentiſſime exponatur. Atque nos quidem laudandam quam maxime, aliisque exempli loco commendandam, putamus hanc diligentiam, utpote & picturarum amatoribus, & artis pictoriæ cultoribus, perquam fructuoſam. Ex uxore *Mignardus* aliquot liberos ſuſcepit, ex quibus filia patri præcipue adhæſit, poſt mortem parentis *Julio de Pas, Comiti de Feuquiers*, nupta. E vita enim deceſſit ille A. 1695, annos 84 & 6 menſes natus. Appendicis loco ſubnectuntur Carmen *Molierii* in exquiſitiſſimas *Mignardi* picturas, in valle Gratiæ conſpicuas; duo item Dialogi *Fenelonii*, Archi-Epiſcopi Cameracenſis, de arte pictoria, nunc primum

primum editi, & non ſine voluptate perlegendi. Autor omnia ejus artis fundamenta conſuetudini cum *Mignardo* debuit. Poſt Præfationem quoque Index exſtat omnium Tabularum, ex picturis *Mignardinis* æri inciſarum.

D. Conradi Bertholdi Behrens Additiones und Verbeſſerungen der Hochadelichen Steinbergiſchen Geſchlechts-Hiſtorie.

h. e.

SUPPLEMENTA ET EMENDATIONES GEneroſiſſimæ Gentis Steinbergicæ.

Hildeſiæ, 1733, fol.

Alph. 1.

Autor Experientiſſimus & longe doctiſſimus de Genealogia ſplendidiſſimæ *Steinbergiorum* gentis admodum fuit meritus. Evolvit enim aliquot millia Diplomatum, ut ſeriem inde formaret Genealogicam. Et quis neſcit, jam Seculo decimo tertio *Steinbergiorum* gentem in quatuor diviſam fuiſſe proſapias? Quantus labor fuit exantlandus, ut ſingulæ diſtinguerentur perſonæ! Notabimus more noſtro unum & alterum. *Jacobus de Steinberg* genuinus fuit Autor libri, Pag. 11.
qui ſub nomine *Hippolithi a Lapide* fuit editus, adjutus a 19 ſeq.
Lilienſtromio, Pomeraniæ Sueciæ Præſide. Geſta *Erneſti de Steinberg*, Viri Per-Illuſtris, hic ſolide enarrantur, unici jam propagatoris copioſiſſimæ olim & fœcundiſſimæ gentis *Steinbergicæ*. 46.
Bernardus, Epiſcopus Hildeſienſis, A. 1143 confirmavit Comitum *de Aſſeburg*, *Hermanni* & *Henrici*, fratrum, piam donationem, qui curiam ſuam in Derneborg cum Oratorio in ea ſito tradiderant Hildeſienſi Eccleſiæ, ut ad regulam *Auguſtini* inibi conderetur cœnobium. Attulit Autor 57.
complura denuo Diplomata. Familia *Burchtorpiorum* A. 1494 adhuc fuit in vivis. *Henningi* iter, Venetiis Conſtantinopolin & Alexandriam Ægypti A. 1611 initum, verbis *Henningi*

 hic

Digitized by Google

Pag. 63 ſeq. hic fuſe ſatis percenſetur. In Tabula prima Genealogica *Steinbergiorum* Generoſiſſimorum ortus ab *Henrico Piermontano* arceſſitur, qui ad annum 831 ponitur. *Bodoni* ad annum 1024 attribuitur uxor, dicta *de Woldenſtein*. Liceat nobis pauca ex iis addere, quæ in lectione Diplomatum & Hiſtoricorum librorum, uſui non uni profutura, notavimus. Pro certo novimus ex Diplomate Comitum *Woldenbergicorum*, Woldenſteinium A. 1296 demum fuiſſe conditum: ex inductionis regula patet, ante *Lotharium*, Saxonem, nobiles ac miniſteriales a teſtimoniis, in chartarum publicarum fidem ſubnotatis, abfuiſſe, necdum Comites ineunte Seculo undecimo nomen a domicilio vel locis poſſeſſis obtinuiſſe: in Diplomatibus Seculi XII & XIII obvii ſunt Viri nobiles & Comites *de Perremunt*: amnis Permunt, nunc *Viermunt*, exſtat penes oppidum Lüde, ibique Emmeram influit, unde patet, *munt* eſſe idem ac *oſtium*, *os*, i. e. *mund*, *mündung*. Ad Tabulam quintam notamus, *Aſwino de Steinberge* ad A. 1283 tribui generum *Henricum de Achem*: *Aſwino*, filio, ad A. 1344 aſſignari *Richardem*, filiam *Henrici de Luthardeſſen*, uxorem, nec non filiam *Swenecam* ad annum 1324. Omittimus alia. Quis enim ignorat, facile aliquid inventis digeſtisque addi?

JOANNIS FRID. BERTRAMI, CONSILIArii Eccleſiaſtici penes Principem Friſiæ Orientalis, Eccleſiaſtæ Aulici, & Scholarchæ, Hiſtoria Critica JOANNIS A LASCO.

Pars II & III.

Aurici, ſumtibus Prænumerantium, 1733 & 1734, 4.

Alph. 1 pl. 15.

Vitam *Joannis a Laſco*, quam ὁ πάνυ *Theodorus Haſæus* ac Pl. Reverendi *Harkenrohtii* promiſerant, ſpe orbis literati impleta, ad finem produxit *Bertramus*, Venerandus Friſiæ Eccleſiaſtes, uſus eo fine lingua Teutonica. *Ubbo Emmius* fere ſolus antehac de immutatis ac repurgatis per Friſiam Orientalem

Digitized by Google

lem ſacris conſuli poterat. Excuſate proin peccavit Cl. *Salig* in *Hiſtoria Auguſtana Confeſſionis*, ſi, quod Autor perhibet, *Emmium* ſecutus ſubinde impegit. *Emmio* Noſter tribuit nævos haud unos, haud videns, qui ille conſiliorum & actionum deſtinationes, ſcopum & affectum, Hiſtoria ſua demum A. 1592 edita, noſſe potuerit de iis, quorum ætatem vivendo ne quidem attigerat. Quæ ab *Emmio* fuerant prætermiſſa, vel minus curate notata, ea hic paſſim diluuntur & emendantur. Adjunguntur hic Supplementa *Partis primæ* & *ſecundæ*. De *prima* dicemus, ubi ea ad nos pervenerit liberalitate S. Rev. Autoris, quippe hic locorum fruſtra quæſita. In Præfatione ad *Partem III* promittit Autor editionem nonnullorum a ſeſe ſcriptorum, quæ verſantur adhuc intra penetralia Veſtæ. Nominatim promittit 1) *Inſtitutionem Evangelicam de Sacra Cœna*; 2) *Theſes Sacris Literis conformes & Theologicas de vera & Evangelica pietate*; 3) *Pietatem Lutheri*. Apprecamur eo fine Autori vires annosque. In Introductione ad *Partem II* exponuntur fata Reformationis Eccleſiarum Friſiæ Orientalis inde ab anno 1519 ad annum uſque 1540. *Ennonis* vidua, *Anna*, aſſentiente fratre *Chriſtophoro*, Comite Oldeburgico, delegit Antiſtitem rei ſacræ primarium *Joannem a Laſco*. Ordinibus Provincialibus & populo nullas in ea electione fuiſſe partes, Autor oſtendit adverſus *Emmium* & *Nicolaum Bleſdickium*. Electio incidit in annum 1543. Agenda Eccleſiaſtica Luneburgica tum per Friſiam Orientalem erant recepta. Secundum ea vitam inſtituit primo *Joannes a Laſco*, habitus vulgo pro *Lutheri* ac *Melanchthonis* fautore. At ſenſim varia in iis notavit, adſtipulante *Bramio*, renitente autem pauliſper *Gellio*. Inprimis corruptelas morum acriter inſectatus eſt: urſit diſciplinam Eccleſiaſticam: vehementer concertavit cum *Franciſcanis*, Embdæ reſiduis: imagines e templis Embdæ eliminandas curavit: cum *Anabaptiſtis*, *Mennone*, *Simoni* & *Davide Joris*, controverſias exercuit haud paucas. Inter hæc Autor *Davidem Georgium* haud obſcure in gratiam *Godofredi Arnoldi* excuſare voluit, nec tamen inficiatus, *Davidem* illum ſeſe nonnunquam *Davidem tertium* & *Chriſtum ſecundum* appellaſſe, imo vaticinia

Pag. 132 ſeq. 135 ſeq. 138. 150 ſeq. 157 ſeq. 166 ſeq.

cinia nonnulla, de Meſſia ſcripta, & divinitus inſpirata, ad ſeſe traxiſſe deſignandum. Quo ipſo *Arnoldi* fides labefactatur, quantum videlicet ad hoc momentum attinet. *Davides* ille venditabat miſſionem Apoſtolicam, quæ ceteris Doctoribus Ec-
Pag. 170. cleſiæ antecellat. *Laſcus* in alliciendo & convincendo illo *Davide* omnes contendit nervos, prudentiamque paſtoralem
188. adhibuit egregiam. Inde vero ab anno 1544 *Laſcus* præ ſe
203 ſeq. tulit, ſeſe de ſacra cœna cum *Calvinianis* ſentire. Exinde turbæ enatæ fuerunt impeditiſſimæ, quæ in cauſa fuerunt, cur
205. *Laſcus* Regiomontum diſceſſerit, imaginum in templis obviorum oſor & deſtructor, gratiæ Dei univerſalis meritique Chri-
227 ſeq. ſti univerſalis orthodoxus aſſertor. Cum Libellus interim in Friſia Orientali introduceretur, *Laſcus* ſeſe contulit in Angliam, paulo poſt Embdam reverſus, & receptionem Libelli interim fruſtra diſſuadens, qui tamen temperabatur in Friſia
240. Orientali per Formulam quandam. *Laſcus*, ob turbas Interimiſticas ab *Anna* Comite dimiſſus, ſeceſſit Bremam d. 24 Sept. A. 1549. unde Hamburgum, & inde in Angliam, rurſus ſeſe contulit.
260 ſeq. Controverſiis Interimiſticis ſepultis, ſucceſſit lis Sacramentaria Nordenſis, *Fuſipedio* de ſacra Cœna ad *Laſci* ſententiam accedente, & Agenda Eccleſiaſtica Luneburgenſia reprehendente,
269 ſeq. quæ ibi dudum fuerant recepta. *Laſcus* per Daniam rediit exeunte A. 1573 Emdam, pauloque poſt *Calviniani* Helvetici oppido multi appulerunt eodem, nec non Leeram ac Nordam, qui ſenſim *Lutheranos* coercuerunt, re ipſa adhibentes illud: Veteres
277 ſeq. migrate coloni. *Laſcus*, dum excitaret diſſenſiones ob Catechiſmum novum condendum, denuo dimittitur, abitque in Po-
284 ſeq. loniam. Catechiſmi Embdani originem & fata Autor ſcite exponit, ac, *Nicolai Selnecceri* in illum Annotationes, adhuc in-
290. editas, proxime editum iri, ſperare nos jubet, quocum tamen
306. errorem *Laſci* de ſacra Cœna pro *ἀκατακρίτῳ* reputare nolumus, ſiquidem *καρδιογνωσία* Deo eſt propria, iique haud de-
313. fuerunt, qui *Laſcum* ſecus docuerunt. Noſtram non facimus cenſuram in Theologum Vitebergenſem, D. *Zeibichium*, ex-
318. promtam de *Eraſmo Albero*. An judicium de Theologia *Mennonis* non ſpiret moderationem nimiam, aliis relinquimus di-

judicam.

judicandum. *Auguſtinus* enim monuit, non pie vivi ab eo, Pag. 318.
qui haud recte credat. In *Chriſtiani Auguſti Saligii Hiſtoria Confeſſionis Auguſtanæ* nonnulla emendantur. *Pars tertia tribus* conſtat *Capitibus*, quibus *Laſci* acta & vita reliqua exponuntur. 306.
Laſcus Londini exſtitit Ephorus Eccleſiæ peregrinorum, ac peculiarem formam Miniſterii Eccleſiaſtici in ea introduxit, ſecundum quam in ſacra cœna vinum e vitris bibebatur per circulum, & genuum incurvatio abrogabatur. Inde diſceſſit, mortuo Rege *Eduardo VI*, in Daniam, porro Embdam, Francofurtum ad Mœnum, in Palatinatum inferiorem, Ducatum Würtembergicum, rurſus Francofurtum, & tandem in Poloniam. 332. 364 ſeq.
Hoſpinianus ac *Godofredus Arnoldus Tom. I Hæreſiol. Lib. XVI Cap. 31 pag. 9* putant, Weſtphalum iterum litis Sacramentariæ reſuſcitatæ fuiſſe autorem imprudentem. At, eam narrationem veritati haud congruere, hic oſtenditur. 382 ſeq.
Obiit *Laſcus* Cal. Jan. A. 1560, natus annos 61, in Polonia. Laudamus merito S. Rev. Autoris diligentiam, moderationem, emendationis ſui ſtudium; quo nonnulla ipſe notavit ac correxit, antea a ſeſe conſcripta: gratulantes ei de tanta Hiſtoriæ internæ Eccleſiaſticæ peritia, nihilque magis optantes, quam ut Hiſtoriam Eccleſiaſticam Friſiæ Orientalis ac Regionum adjacentium colligere, ac cum orbe erudito communicare, dignetur.

ANGELI MARIÆ PEVERATI, FERRARIENSIS, Annotationes in CRISPI SALLUSTII Hiſtoriam de Conjuratione Catilinæ & Bello Jugurthino, nec non Synopſis de Hiſtoria ad Nobiliſſ. Virum, Comitem FRANCISCUM MARIAM DE RIMINALDIS.

Ferrariæ, typis Bernardini Pomatelli, 1731, 4.
Plag. 9½.

Vel ex Cel. *Fabricii Biblioth. Latin. Lib. I Cap. IX* cui non conſtat, quot doctiſſima nomina ad illuſtrandas *Criſpi* reliquias certatim ſua contulerint? Imo noſtra memoria Viri Cl. *Waſſius*, *Cortius*que, tam ſtrenue rem egiſſe videntur, ut fere nihil in iſto Hiſtoricorum coryphæo relictum putaveris, quod, ſi non ante, certe ab his Duumviris, plane excuſſum fuerit. Aut ergo, quos nominavimus, Angli Germanique docta Opera Cl. *Peveratus* non vidit, aut, quod iſti doctiora propoſuerint, hic pueris ſcribere voluit, niſi forte excipias, quæ de voce *opes pag. 33*, *procax pag. 78*, *utibile pag. 105*, præter morem doctius dixit. In reliquis unus eſt ex multis, ſapitque cum vulgo, quod erroribus ſuis plerumque pertinaciſſime inhæret. At Noſtrum, ipſo in Præfatione fatente, ad ſcribendum permoverunt, quæ *Salluſtii* de Conjuratione Catilinæ & Bello Jugurthino veteri editioni, A. 1490 impreſſæ, in margine appoſita erant. Scilicet tanta ei videbantur, ut orbi erudito ea invidere diutius nollet. Sparſa ſunt per hunc Commentarium, ut *pag. 36, 39, 40, 41, 45, 47, 48, 50, 65, 66, 79, 83, 104, 105, 108, 134,* quibus addas, quæ de Hiſtoria in principio Libri leguntur. A manu *Tertii Rufii Aproniani Aſterii* profecta cenſet, quia in calce ejusdem libri legebatur: *Turtius Rufius Apronianus Aſterius V. C. & I N L. excomm. e domeſt. protect. trium largit. Expræf. urbis Patritius & Conſul ordin. legi & diſtinxi Codicem fratris Macharai non mei fiducia, ſed ejus, cui ſi & ad omnia ſum devotus arbitrio XI Cal. Maji Romæ.*

Diſtinxi emendas gratum mihi munus amici
Suſcipe cenſor eris ſedulus incubui
Tempore quo Penates circo ſubjunximus atque
Scenam Euripo extulimus ſubitam:
Ut lud s curru que ſimul variumque ferarum
Certamen junctim Roma teneret ovans,

Ternum

Ternum quippe ſophos merui: terna agona vulgi
Per caveas plauſus concinuere meos.
In quæſtum famæ cenſus jactura cucurrit
Nam laudis fructum talia damna ferunt:
Sic tot conſumtas ſervant ſpectacula gazas
Feſtorumque trium permanet una dies:
Aſteriumque ſuum vivax transmittit in ævum,
Qui partas trabes tam bene donat opes:
Quisque legis relegas felix parcasque benigne
Si qua minus - - - - præteriit animus.

Accuratius in *Aſterium* inquirere nil juvat, qui fere nihil aliud habet, quam quod inepti gloſſatoris eſt, quæ *Peveratus* variantium lectionum nomine in ſcenam protraxit. Igitur & *Aſterii* & *Peverati* notulas examinet, qui temporis prodigus. Nobis enim brevitatis ſtudioſis non licet eas reformare. Si quod tamen Libello pretium, hoc eſt, quod, quæ adhuc ſcripta latuerunt, nunc, etſi male, neſcimus, *Peverati*, an operarum, culpa, cuſa legere queas.

Wilhelm Friedrich Piſtorius Amœnitates Hiſtorico-Juridicæ, &c.

h. e.

VARIÆ DISSERTATIONES, OBSERVATIONES, Conſilia, & Opuſcula, cetera, quæ Hiſtoriam Imperii Germanici, & Jus Civile, Publicum, Feudale Germanicum, antiquitates itidem ac conſuetudines, illuſtrant, tum ab aliis elaborata, ſed huc uſque nondum typis impreſſa, tum primum compoſita a GUILIELMO FRI-

Digitized by Google

FRIDERICO PISTORIO, Illuſtriſſimo Comiti Erbacenſi a Conſiliis Aulæ.

Pars III.

Francofurti & Lipſiæ, apud Adami Jonathan Felſeckeri hæredes, 1733. 4.

Alph. 1 pl. 21, Tabb. æn. 2.

Pergit in contexendis Amœnitatibus Hiſtorico-Juridicis Conſultiſſ. *Piſtorius*, & de Antiquitatibus Germanicis, Hiſtoria, & Jurisprudentia, tum publica, tum conſultatoria, bene atque præclare mereri conatur. Videamus, quid boni nobis afferat nova hæc Sylloge. Primum locum ſibi vindicat *Chartularium Mellnenſe*, ſive *Extractus librorum publicorum civitatis Mellnenſis de anno 1318 uſque ad annum 1593.* Debet hoc Chartularium Cel. *Meiero*, Magnæ Britanniæ Regi a Conſiliis Aulæ, qui ejus quoque partem in libro de uſurarum ſemiſſalium juſtitia publici juris fecit. Ex locutione, quæ in Chartulario hoc *n. VI* occurrit, *perpetue hæreditandum*, illorum opinio confirmari videtur, qui inter proprietatem & hæreditatem antiquis temporibus diſtinctionem comminiſcuntur, ita, ut hæreditas quidem propria, proprietas vero non ſemper fuerit hæreditaria. Ex *n. XXVI*, *XXXI*, & *XXXIII*, diſcimus, medio Seculo XIV linguam Germanicam in Judiciis & Curiis quidem nonnunquam, ſed tamen nondum univerſim, uſitatam fuiſſe. Charta, quæ ſub *n. LXIX* invenitur, ſatis liquido comprobat, non *Rudolphi I*, uti vulgo creditur, temporibus in deſuetudinem abiiſſe linguam Latinam in Protocollis, Regiſtraturis, & aliis actibus judicialibus. Hæc enim charta A. 1460 ſcripta eſt. *N. LIV* docet, qua ratione Juris Romani vocabula ſenſim ſenſimque in fora Germanica immigraverint, cum hic hæreditatis diviſio *hæreſcindium* vocatur. *N. LXIII* ſervitutum tigni immittendi & ſtillicidii mentio fit, quas antiqua Jura Germanica plane igno-

ignorant. Verba, *an der Hochtid to Wynachten*, quod *n. LV* commemorat, vocabulum *Hochzeit* primitus quemlibet feſtum diem denotaſſe, probant. Secundum locum tenet Reſponſum: *An Princeps Imperii Auguſtanæ Confeſſioni addictus pecuniam, ad templa ditionis ſuæ pertinentem, ab illorum præfectis ſalva conſcientia poſtulare, & ad ædificationem ergaſtuli adhibere queat?* quod affirmat hanc quæſtionem, eandemque ex antiquitatibus Eccleſiaſticis egregie illuſtrat. Succedunt tertio *Meditationes Piſtorianæ de mediis, quibus in exſtirpandis hominibus vagabundis Magiſtratus Chriſtiani uti debent.* Monet, Magiſtratus Chriſtiani officium eſſe, non confeſtim patibulo aut rota experiri adverſus delinquentes, ſed media circumſpicere, quæ imminens malum quam leniſſime avertant. Quodſi vero nihilo minus malum ingruat, de acrioribus, ſed talibus, remediis ſolicitus eſſe debet Magiſtratus, quæ neque nullum majus incommodum ſecum ferunt, neque regulis humanitatis adverſantur. Atque, ſi hæc etiam omni prorſus utilitate carent, tandem gladium, quem ad puniendos maleficos a Deo accepit, in manus ſumit, eundemque adverſus improbiſſimos homines ſtringit. Inter facillima & expeditiſſima media in eradicandis vagabundis refert prudentem & Chriſtianam ſcholarum inſtitutionem, orphanotrophia & xenodochia, domosque militibus valetudinariis & ſenibus alendis deſtinatas. Præterea ſuadet Principibus, ut omnibus ipſorum ditioni ſubjectis occaſionem præſcindant, ne turpi & ignavo otio vitam tranſigant, & per luxum, libidinem, atque immoderatos ludos, patrimonia ſua profundant. Sed fortaſſis hæc non ſufficient. Alia itaque remedia adhibeat Magiſtratus, neceſſe erit. Communiter tanquam optima ſalutariaque prædicant Doctores fuſtigationem & relegationem. Verum hæc ad ſpuria ex Autoris & noſtra mente pertinent. Fuſtigatio & numellorum pœna uſum aliquem afferre poſſet Reipublicæ, ſi præjudicatas & perverſas opiniones populus & inprimis opifices deponerent, neque homines illis pœnis affectos pro infamibus, aut ſaltem levis notæ macula laborantibus, reputarent. Præſtantiora magisque ſalubria

Digitized by Google

remedia ſunt, ut Magiſtratus furum & prædonum occultatores, receptatores, & adjutores ſeveriſſime atrociſſimeque puniant, majori diligentia vias a ſceleratiſſimis nebulonibus purgent, ergaſtula & alias domos ædificent, nequiſſimos illos homines arctiſſime in illis cuſtodiant, & duriſſimis laboribus fatigent, aut ad caſtellorum munitiones, triremes, metalla, aliasque publicas operas, condemnent. Si hæc remedia omni fructu deſtituuntur, tunc exaſperet pœnam Magiſtratus, & gladii aut patibuli loco, rotæ, ignis, aut aliud gravius acerbiusque ſupplicium in improbiſſimos ejusmodi homines ſtatuat. Excipit has Meditationes quarto loco Reſponſum, quo diſquiritur, *quid fundatio præbendæ involvat?* Sequitur V *Hiſtorica Relatio de Præfectura Bæbemſtein Pegniz.* VI a) voces *Molungen* & *Mund-Recht* explicat. Erat autem *Mund-Recht* jus pupilli, cujus parens miniſterialis aut ſubditus domini fuerat, & in eo conſiſtebat, ut judex pupillo ſufficientes dilationes ad ſui defenſionem concedere cogeretur. VI b) occurrit *Hiſtorica Relatio Civitatis Imperialis Wimpffen in Suecia.* VII legitur *Jo. Heſſi Hiſtorica Relatio Monaſterii civitatis Kizingenſis.* VIII *litem Grumbachianam cum Epiſcopo Herpibolitano, Autore* Georgio Arnoldo *conſcriptam;* IX *varia Anecdota de Cardinalis* Clœſelii *relegatione ex Viennenſi urbe, & literas* Rudolphi & Matthiæ *mutuas*, complectitur. X *Obſervatio de Barattaria* agit, & *ſententiam memorabilem, d. 12 Dec. A. 1732 a Camera Imperiali latam*, continet. XI *de Banni Declaratione contra Status Imperii ob non ſolutam Imperii ſteuram, & antiquo contra negligentes procedendi modo*, exponit. XII, *Succeſſorem in Principatu ad debita ab Anteceſſore conflata ſolvenda adigi non poſſe*, probat. Finem imponunt huic Opuſculo XIII *Obſervationes quædam, ad majorem explicationem & ſenſum antiquarum Latinarum & Germanicarum Epiſtolarum, etiam aliarum Bavaricarum Hiſtoriarum & Antiquitatum, facientes.*

M. Jo.

Digitized by Google

M. Jo. Andr. Fabricii Entwurf einer vollſtändigen und nach Mathematiſcher Lehrart geſchriebenen Logick, &c.

h. e.

DELINEATIO COMPLETÆ ET AD METHOdum Mathematicam accommodatæ Logicæ, cum arte ratiocinandi de veriſimilibus, in uſum juventutis Academicæ.

Vinariæ, literis Mumbachianis, 1733. 8.
Alph. 1 pl. 2.

Autor Cl. in Academia Jenenſi juventutem Academicam Philoſophica rudimenta edocens, quæſivit Libellum Logicum, a refutationibus alienum, labores excipiendi multa calamo ſublevantem, prælectioni publicæ patentem, perſpicuum, ſolidumque pariter ac ſufficientem, notioni *Fabricianæ* de Logica congruentem, vili pretio comparandum, & tum in doctrinarum nexu, tum vita communi, utiliſſimum. Quo fine adornavit translationem Logicæ *Rüdigerianæ* Germanicam, at a mercatoribus librariis ſusque deque habitam. Quod igitur ab aliis fruſtra quæſivit, in ſe ipſe invenit, quamvis, qua felicitate, ipſe definire non audeat. Conatum vero ſuum ipſi fini fuiſſe dicatum, omnino fert præ ſeſe. Docet quoque Lectorem, *Senſum veri & falſi*, a *Rüdigero* editum, vendi uno Joachimico & duodeviginti groſſis Miſnicis: a ſeſe ducentas perlectas eſſe Logicas: ac Syllogiſticen in nullo libello Logico tam evidenter & perſpicue fuiſſe expoſitam. Logicæ Cel. *Chriſtiani Wolfii* perſpicuitatem ineſſe ac nexum demonſtrandi, ultro largitur. Laudat exiguum ſuum Libellum, *de cognitione animorum humanorum* inſcriptum, alterumque, cui nomen eſt *Oratoria Philoſophicæ*. Merito ſuus ſtat honos diviſionibus, cumulate a Cl. Autore prolatis. Indolem metho-

methodi & Mathematicæ & Philoſophicæ ſolicite diſtinguit, quatenus utraque ab objecto ſuo in ipſa Mathematum & Philoſophiæ pertractatione determinatur. Id tamen certum eſt, Mathematicis deberi primam rigidæ & nativæ demonſtrationis applicationem. Unde eis id laudi erat ducendum potius, quam ſugillandum. *Objectum* hic appellatur *Gegenſtand*, & *ſubſtantia* vocatur *ſelbſtandig ding*. In plurimis voculis Philoſophorum abſtractis vocabula Latina fuerunt retenta. Quin ex *Rüdigeri Senſu veri & falſi* admodum multa huc ſint translata, nemo facile dubitabit. Inprimis id pateſcit ex argumentationum ſpeciebus. An tractatio, generatim de Philoſophia ſuſcepta, de memoria & imaginatione, poſſibilitate, aliisque, paſſim admixtis, per ſeſe ad Logicam ſpectent, aliis dijudicandum relinquimus. Forſan & alia alii notabunt, ut ſunt philoſophandi genera hoc tempore varia, eademque inter ſe diverſiſſima. Ceterum placet nobis Libellus ob meditandi dicendique ordinem, ſupervacua evitandi ſtudium, in cogitando nervum & acumen, ſermonem denique ſatis caſtum, atque iis, qui argumenta philoſophica *ſcriptis* proponunt, quammaxime commendandum. In regulis, quæ ad dijudicanda aliorum ſcripta vel hiſtorica, vel dogmatica, faciunt, Autor Cel. *Wolfium* fuit ſecutus. Nec tamen obſcure harmoniam repudiat præſtabilitam. Ita inter hæc ubique ſeſe gerit, ut nil eorum omittat, quæ in libris Logicorum præſtantiſſimorum recentiſſimis pertractari ſolent. Libertatem ſentiendi vult intactam, ſed ſaluti generis humani conformem, & virtute temperatam. Quæ de educatione ſcholaſtica afferuntur, ſua non egent laude, nec prudentiorum deſtituuntur ſuffragiis. Quæ autem proferuntur de 4000 Joachimicis, ſtudioſo literarum neceſſariis, ea omnino luce radiarent ſua, dummodo ardor diſcentium & ingenium cum nummis poſſent tuto conjungi. Si Principes de ſubſidiis meliorum ingeniorum curas ſerias foverent, & inſtitueretur ſtudioſorum delectus, deſperandum utique non eſſet de fundi literarii emolumentis. Sed id populus curat ſcilicet!

)o(

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. I Sectio XII.

STEPHANI DE CHAMPS, BITURICI, E Societate Jeſu, de Hæreſi Janſeniana ab Apoſtolica ſede merito proſcripta Libri III. Opus A. 1645 ſub ANTONII RICARDI nomine incboatum, exinde bis locupletatum, quinquies editum, nunc ex ipſo Autoris Autographo auctius & emendatius prodit, cura & labore P. STEPHANI SOUCIET, e Societate Jeſu.

Lutetiæ Pariſiorum, ſumtibus Martini, Montalanti, Coignardi, filii, & Guerini, 1728, fol.
Alph. 6 pl. 6.

Quantopere politiſſima Jeſuitarum Societas Pontifici Maximo labores ſuos ſtudeat approbare & commendare, vel inſcriptio hujus Operis loquitur, quæ directa eſt ad Papam *Innocentium, verticem membrorum omnium Eccleſiæ, patrem Chriſtianæ plebis, Apoſtolatus principatu cuilibet Epiſcopatui præferendum, immobilis fidei fundamentum, Petram, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ, firmamentum omnium, cæ-*

 lorum

lorum janitorem, & reliqua. Elogia hæc & alia ex *Auguſtino* maximam partem ſunt collecta, ut ii, qui *Auguſtinum* crepant, videant ex cauſæ ſuæ patrono, quantum decretis Pontificis maximi ſit tribuendum. In Epiſtola nuncupatoria ad Papam oſtendere laborat Autor, *Auguſtinum* in deciſionibus Romæ peractis acquieviſſe. Afferuntur præterea Elogia, in *Innocentios* Papas a Scriptoribus collata. Notatur *Joannes Wiclefus*, qui crediderit, *ſe poſſe ſalvari per pratenſam fugam ad ſtatuam Auguſtini*, ideoque ſeſe *Joannem Auguſtini* vocarit. In Præfatione oſtenditur, *Janſeniſtas* callide uti libello, quem de multiplici quinque propoſitionum ſenſu Summo Pontifici obtulerint, ratos, propoſitiones illas ſenſu, non *Janſeniano*, ſed *Calviniano*, eſſe damnatas. Sed hoc ipſum eſt, quod Autor pernegat. Id quidem ita conficit. Pontificem, docet, in ipſo conſtitutionis ſuæ aditu profiteri, propoſitiones illas eſſe *Janſenii* opiniones. Dein monet, de *Janſeniano* duntaxat propoſitionum illarum ſenſu litem exſtitiſſe. Porro addit, propoſitiones illas, legitime intellectas, proſcriptioni patuiſſe. Præterea ad acta Romana & mentem *Innocentii* provocat. At *Janſeniſtæ* objiciunt, ſenſum *Janſenianum* illarum propoſitionum uti Conciliis ſuperiorum temporum, ideoque damnari non potuiſſe; adhæc ad *Auguſtini* ſententias confugiunt, quas ſecum facere dictitant. Autor credit, *Janſenium* ſua dogmata peculiaria ex *Calvino* & ejus ſectatoribus deſumſiſſe per plagium, ac illud diſcrimen inter ſenſum propoſitionum *Calvinianum* & *Janſenianum* eſſe commentitium. Quare Librum Polemicum primum inſcripſit: *Janſenius Hæreticorum plagiarius*; alterum: *Janſenius pridem cum Hæreticis damnatus*. Tertium vero vocavit *Janſenium poſt Hæreticos S. Auguſtini corruptorem*. Opus hoc, primo quidem ſub ficto *Antonii Ricardi* nomine cœptum, ſubinde crevit & auctum eſt cum incrementis *Janſeniſmi* per Gallias. Quæ enim *Antonii Ricardi* nomine prodierant, *Janſenianum* dogma de libertate potiſſimum tetigerunt. Poſtea *Calvinianorum* libros, quos a *Janſenio* expilatos credit, diligenti verſavit manu, ut rapinarum veſtigia oſten-

Digitized by Google

oſtenderet. Promittit tandem; ſe poſtremum *Innocentii X* Edictum ita defenſurum, ne alias Apoſtolicæ ſedis ſanctiones violet, quibus cautum eſt, ne quis in libris editis illam agitet controverſiam, quæ Dominicanos Patres inter & Jeſuitas de divinæ gratiæ auxiliis graviſſima quondam exarſit. Qui haſce delibarunt de gratia controverſias, facile intelligunt, litem potius eſſe de vocibus metaphyſicis, in Theologiam translatis, quam de rebus Theologicis. Præfixa eſt Tractationi ſatis operoſæ ac diffuſæ Conſtitutio *Innocentii X*, A. 1653 promulgata, nec non literæ Epiſcoporum Galliæ ad eundem Pontificem, eodem anno ſcriptæ. *Libro primo* continentur *Diſputationes octo*. *Prima* de *Janſenii* furtis generatim agit, cujus quippe non ignobilis diſcipulus librum *Petri Molinæi*, Calviniſtæ, cujus Autorem ignoraverit, quemque recens editum eſſe putarit, merum *Janſenii* compendium eſſe, quolibet ſacramento contenderit. Ex reſponſione *Vincentii Lenis* & aliorum *Janſeniſtarum* ad crimen *Janſenio* intentatum confirmat Noſter ſuam de plagio accuſationem. Id oſtendere laborat nominatim de libero arbitrio, ex *Janſenii* mente intellecto, *Diſputatio ſecunda*. *Tertia Diſputatio* de gratia efficaci; *quarta* de peccandi neceſſitate; *quinta* de ignorantia invincibili; *ſexta* de eo, an Deus jubeat impoſſibilia, quod *Janſenius* affirmaverit; *ſeptima* de Chriſti morte pro omnibus, & de divina homines ſalvandi voluntate, quam *Janſenius* negaverit; *octava* de gratia ſufficienti, quam *Janſenius* pronuntiavit ſemper eſſe efficacem, ad eundem ſcopum tendunt, ut defuncto *Janſenio* macula plagii eo tenacius inuratur inſideatque. *Liber ſecundus* repræſentat *Janſenium* cum Hæreticis damnatum, & quidem Conciliis, tum Tridentino, tum Provincialibus, Senonenſi, Colonienſi, & Moguntino, nec non literis Pontificum bullatis, Academiarum Decretis, & unanimi plurimorum Doctorum conſenſu, id quod *Diſputatione prima* ediſſeritur. Sequuntur *ſeptem* aliæ *Diſputationes*, ut numerus octonarius expleatur, & ſummæ argumentorum congruant *Libri primi Diſputationibus*. *Liber tertius*, qui *Pars ſecunda* appellatur, eundem ordinem argumentorum & numerum

Pag. 4.

107.

Diſputationum ſervat. *Diſputatione prima* de *S. Auguſtini* autoritate agitur. Id Noſtro non probatur, quod *Janſeniani* pugnant, ea omnia ad Catholicam pertinere fidem, quæ *S. Auguſtinus*, adverſus *Pelagianos* ſcribens, affirmavit. Elogium de vita, moribus, & Operibus R. P. *Stephani de Champs*, e Societate Jeſu, eſt ſatis magnificum & peramplum, a R. P. *Soucieto* congeſtum. Familia *Camporum* eſt tertia ſtirps *Agardorum*, quæ Avaricum, Biturigum Cuborum caput, quondam illuſtravit, & ex ea natus fuit *Stephanus Agardus a Campis*, patre *Claudio Agardo*, Camporum & Turellorum Domino, 3 id. Sept. A. 1613, educatus in Collegio Societatis Jeſu, quod Biturici floret, A. 1630, ſtudiis eloquentiæ confectis, ordini Jeſuitarum adſcriptus, paulo poſt ad Philoſophiam excolendam in Pariſienſe Collegium miſſus, &, elapſo biennio, Flexiam Andegavorum. A. 1635 munus docendi Grammaticam, ſeu infimum, nactus, Flexienſe Lyceum ad quadriennium nobilitavit. A. 1639 exeunte Cadomi Eloquentiam profiteri cœpit, ſtilumque formavit ſic terſum, (*) ut idem orationis lumen & flumen in Theologica quoque ſcripta tranſtulerit. Anno ſequenti ſtudium Theologicum Lutetiæ ingreſſus, Patres Eccleſiæ volutavit, ſuavitatum poeticarum non oblitus. A. 1642 publicis formis expreſſus prodiit Lovanii, ac deinde Rothomagi, *Cornelii Janſenii*, tum defuncti, Opus Theologicum, cui *Auguſtinus* eſt nomen, cura *Liberti Fromondi*, Doctoris Lovanienſis, & *Henrici Caleni*, Theologiæ Licentiati. *Stephanus de Champs Janſenium* oppugnabat initio ſervata quavis modeſtia, abſtinens prorſus a nomine *Janſenii:* oſtenſurus, ſemina *Janſeniſmi* in *Wiclefi*, *Lutheri*, *Calvini*, & *Uſſerii*, doctrinis dudum latuiſſe. Sic nullum incurrebat Curiæ Romanæ odium, quæ Theſium *Anti-Janſenianarum* editionem

(*) Juſtiſſimus dolor R. P. *Soucieti* ita prolatus: *Linguæ veteres & eruditæ negliguntur. Autores primi ne legi quidem poſſunt, nedum intelligi; ſi leguntur, leguntur Gallice; interpretationes infidæ, corruptæ, depravatæ, conſuluntur.* Quid Galli ad apertum hoc civis ſui teſtimonium?

Digitized by Google

nem Lovanienſibus prohibuerat. Diſputavit ea publice Pariſiis *Stephanus*, *Janſenii* amicis repugnantibus, & aliis contraria proferentibus. Stetit pulchre Diſputator, ſi *Soucieto* credimus, ediditque paulo poſt *Defenſionem ſacræ Facultatis Pariſienſis latæ d. 27 Junii A. 1560, ſeu Diſputationem Theologicam de libero arbitrio, Autore Antonio Richardo, Theologo, Pariſiis, A. 1645. Libertus Fromundus* ſub nomine *Vincentii Lenis Theriacam* in *Petavium* & *Stephanum* noſtrum ſcripſit. Reſpondit A. 1648 *Stephanus*. Hinc Opus præſens natum, cujus Autor obiit prid. Cal. Sext. A. 1701 Flexiæ. Index rerum copioſus Operi limam ſubjungit, idque claudit.

MEMOIRES SECRETS DE LA COUR DE France, &c.

h. e.

MEMORIÆ ARCANÆ AULÆ GALLICÆ, quibus ſecretiores artes Conſilii ſanctioris ſub LUDOVICO XIV impubere continentur.

Tomi III.

Amſtelodami, apud Franciſcum Girardi, 1733, 12.
Alph. 2 pl. 19.

Sine omni Præfatione Commentarii hi in lucem prodeunt, incertum, qua de cauſa ita protruſi ab Editore, quicunque ille fuerit, ut nec de conſilio eos edendi, nec de Autore, nec de pretio eorum, vel verbo monendos Lectores duxerit. Titulus arcana jactat, quod ut ſuo loco relinquamus, haud paulo plus tamen ille promittit, quam præſtat, quando generatim ſecretiores artes, *(intrigues,)* quibus uſi Proceres Conſilii ſanctioris, Rege, *Ludovico XIV*, impubere, rem publicam adminiſtravere, earumque enarrationem uberiorem pollicetur. Neque enim niſi quatuor annorum res geſtas attingunt hi Commentarii, qui, initium facientes a Calendis Januariis anni poſt Seculum XVI duodequadrageſimi in anni quinqua-

Digitized by Google

geſimi primi Menſe Decembri deſinunt. Fieri tamen poteſt,
ut Autor tituli ſecretiores illas artes machinationesque ad tur-
bulenta illa tempora, quæ Galliam inteſtinis diſſidiis palam af-
flixere, unice reſtrinxerit, quo pacto ſi res habeat, reprehendi
ille equidem poſſe non magnopere videtur. Sed quoquo mo-
do res de inſcriptione Libri hujus habeat, quod ad ipſum il-
lum, &, quos complectitur, Commentarios, attinet, in *le Lon-
gii* Bibliotheca, qua is patriæ Hiſtoriæ monumenta omnia ſum-
ma fide diligentiaque percenſuit, nulla eorum veſtigia repe-
rias. Commemorat quidem inter alia Commentarios ma-
Pag. 490. nuſcriptos *Nicolai Goulaſii*, Domini *de la Mothe*, ea, quæ ſub
tutela *Annæ*, Reginæ, geſta ſunt, enarrantes, quibus, in Bibliothe-
ca Herculis Muſagetæ noſtrorum temporum, Celſiſſimi Prin-
cipis *Eugenii*, Sabaudiæ Ducis, latentibus, continuari ait Com-
pendium ejusdem *Goulaſii* hiſtoricum rerum geſtarum *Ludo-
vici XIII.* Sed diverſum haud dubie Opus præſens, quod, mi-
rum eſt, diligentiam Viri in conquirendis ſimilibus ſcriptis,
illuſtri, quod editum proſtat, Operi inſervituris, parem vix un-
quam habituri, effugere potuiſſe.

Scriptum eſt ſtilo facili ac plano, Lectoribus turbulentam
temporum illorum, quibus Gallia ad infeliciſſimum illum ſta-
tum, quem ſub Regibus, *Franciſco II*, *Carolo IX*, & *Henrico
III*, diſſidiis internis oppreſſa, viderat, relapſura videbatur, fa-
ciem luculenter ob oculos ponit. Fidem dictorum omnium
ut nemo præſtiterit, ita, qui attentius cuncta rimabitur, non una
reperiet, quæ damnare non poſſit, nec tamen ubivis temere
87. inveniat. Sic Funditorum, *(Frondeurs,)* factionis aulæ *Maza-
rinio*que, Purpurato, adverſæ, originem hanc tradit Anonymus
noſter, pueros eo tempore Lutetiæ Pariſiorum verſus collem
Divi *Rochi* jactis e funda lapidibus ſeſe petiiſſe invicem; inde
Bachaumontium, filium Præſidis Curiæ Parlamentariæ, *le
Cogneuxii*, dum genio indulgens horas aliquot una cum ami-
cis falleret, mutuo ſumta voce, id agere ſe, inquientem, ut ſen-
tentiam parentis, velut adhibita funda, valide oppugnet, anſam
nomini Funditorum *(Frondeurs)* procudendo ſuggeſſiſſe. Sic
120. *Mazarinii*, Purpurati, cui prænomen non *Julii* tantum, ſed
Rai-

Digitized by Google

Raimundi Julii, faſti Baptiſmatis ſacri aſſignant, patriam, Piſcinam Marſorum, ſitam in Bruttiorum agro ditionis Columnenſium, magno ejus commodo, obſervat Autor Anonymus, latuiſſe tum temporis factionis contrariæ aſſeclas, utcunque omnia explorantes ſolicite, quæ ad depellendum eum adminiſtri negotiorum publicorum in Gallia primarii dignitate facere quocunque modo poterant. De ea enim ſi conſtitiſſet, minime omnium impetraturos eos fuiſſe a ſe, ut id faſtigii in Gallia, magnorum ingeniorum feraciſſima, obtinentem ferrent hominem, non externum modo, ſed & natum in oppido, quod una cum univerſo Regno Neapolitano Hiſpanorum, hoſtili odio tot annos adverſus Gallos flagrantium, imperio parebat. Sed potiſſima horum Commentariorum laus non tam ſimilibus obſervationibus, quam pleniori turbarum, quas factioſi homines alias ex aliis dedere, enarratione, continetur, cum alibi, tum eo inprimis, profutura, ut mores & ſtudia illuſtrium, qui in ea tempora incidunt, Virorum in Gallia propius cognoſcantur.

Chriſtian Gottfried Hoffmanns Einleitung in das Jus Publicum des Heil. Röm. Reichs, ꝛc.

h. e.

CHRISTIANI GODOFREDI HOFFMANNI, S. R. M. Boruſſ. a Conſiliis Sanctioribus, & JCtorum Ordinis in Academia Viadrina Præſidis, Introductio in Jus Publicum Germanicum, quæ non ſolum veram hujus diſciplinæ faciem juſto ordine repræſentat, verum etiam perfectam Bibliothecam Juris Publici, in qua Scripta, ad Jus Publicum Germanicum pertinentia, veluti Collectiones Legum & Actorum Imperii, Syſtemata Juris Publici, Commentarii in Leges fundamentales, præcipue Scripta Pacem Weſtphalicam illuſtrantia, adducuntur, aperit.

Franco-

Digitized by Google

Francofurti ad Viadrum, apud Jo. Godofredum Conradi, 1734, 8.
Alph. 1 pl. 18.

Jam plurimis ingenii monumentis, quæ excellentem doctrinam, judicium ſubactum, diligentiam ſummam, oſtendunt, immortalitati fauſtis ominibus nomen ſuum conſecravit Ill. *Hoffmannus*, inſigne Francofurtanæ Academiæ ornamentum. Nec nunc deſinit Vir præſtantiſſimus bene mereri de Jurisprudentia, ſed hoc ipſo, quod nunc in manibus habemus, Libro præclariſſimo mirifice obſtrinxit ſibi ſolidioris Jurisprudentiæ cultores. In prioribus hujus Libri plagulis breviter, ſed perſpicue, tradit facilem atque expeditam in intimos Juris Publici receſſus penetrandi viam, docetque, quibus illud fundamentis innitatur, quam utilitatem habeat, quæ ſcientiæ illud ornent, quæ ab illo diverſæ ſint, quis denique ordo in illo addiſcendo tenendus ſit. Poſt accuratum de unaquaque diſciplina conceptum, nihil utilius, nihil ſalutarius, vel inveniri, vel excogitari, vel fingi poteſt, quam exacta librorum, qui ad unamquamque diſciplinam ſpectant, cognitio, præcipue in illis diſciplinis ea maxime neceſſaria eſt, quæ facta & voluntatem hominum reſpiciunt, quorſum pleræque Jurisprudentiæ partes referri debent. Non adeo quidem magni res momenti eſt, conſcribillare ejusmodi Volumina, & ille profecto, qui per hunc laborem ſingulare ſcientiæ & doctrinæ ſuæ monumentum ſe edere putat, inſanum ſui amorem apertiſſime prodit, & ſe ignorare, quantum inter laborioſum fructuoſumque, & doctum atque ſpeculativum Opus interſit, fatetur. Requirit ſufficiens librorum notitia occaſionem libros ipſos oculis uſurpandi, diligentiam omnia accurate annotandi, integritatem nihil celandi, ordinem, qui evolutionem faciliorem reddat, maturum ſcripta, quæ materiæ inſerviunt, colligendi, & ſuo quodque loco inſerendi judicium, ſigillatim incredibilem in minimis leviſſimisque rebus obſervandis patientiam. Etſi quidem exilis videatur hæcce opera; nihilo minus ob egregiam, quam præſtat, utilitatem eidem manus admoverunt *Lynckerus*, *Beyerus*, *Struvius*, JCti ſelectiſſimi.

Digitized by Google

ſimi. Permoverunt tot illuſtres Anteceſſores Illuſtrem Autorem, ut in hujus fructuoſiſſimi laboris ſocietatem perveniret, & ſexcentas, quæ ejusmodi Operum Scriptori ſeſe offerunt, difficultates, boni publici cauſa, magno animo devoraret. Accedebat rara, quæ Autori ad perficiendum hoc Opus obtigit, felicitas, quod inſtructiſſimam pretioſiſſimamque poſſideret Bibliothecam, ita, ut non aliunde petere ſubſidia, aut ex Catalogis deſcribere libros, neceſſe habuerit, ſed propriis oculis videre, & accurate inſtructam Juris Publici Bibliothecam dare potuerit. Ipſa enim experientia ſatis abunde docet, quam parum fidei tribuendum ſit ejusmodi librorum recenſionibus, & quemadmodum errores, qui ſemel irrepſerunt, ex libro in alium, inauſpicato ſidere, transferantur. Si in cauſam horum errorum inquiſiveris, non aliam fuiſſe invenies, quam quod non ipſe libros, quorum titulos recitat, viderit, ſed aliis nimis confidenter ſiſus fuerit Autor. Inde fieri ſolet, ut utiliſſima librorum notitia in pæne inexſuperabilem confuſionem redigatur. Hos ſcopulos feliciſſime evitavit Ill. Autor, qui omnes, quos hac Bibliotheca complexus eſt, libros, ſi pauciſſimos excipias, in numeroſiſſima libraria ſupellectile ſua ſancte religioſeque ſervat. Quapropter, ut eo majori ſtudioſis hominibus uſui eſſe queat hæc Bibliotheca, integrum libri cujuslibet titulum appoſuit, ſi rubrum plus complectitur, quam nigrum, ſtudioſe indicavit, nullum, quod ad materias, quæ in hoc Libro occurrunt, pertinet, ſcriptum facile omiſit, & Annotationes frugi pleniſſimas, in quibus librorum hiſtoriam, fata, & diverſas editiones, Collectionum ſeriem, commemorat, & occulta & latentia Autorum nomina detegit, adjecit. Judicium de libris, quos attulit, ferre, ob nimiam, quam animo præviderat, dicendorum copiam, noluit. Meliorem de libris ſententiam dicendi occaſionem ipſi præbuit Liber, quem fundamenta Juris Publici Germanici inſcripſit, & ad cujus ordinem hanc Bibliothecam compoſuit. Spectat hic *prior* Bibliothecæ Juris Publici *Tomus* ad generalem Juris Publici partem, & libros, qui Leges

Imperii fundamentales explicant, & Imperatoris & Regis Romanorum electionem & reſervata, recenſent itidemque ultra tria millia Scriptorum continet. Speciales Juris Publici materias alter, qui propediem in dias luminis auras exibit, *Tomus* juſto ordine percenſebit, quem avide & magnopere præſtolamur.

NUOVE ED ERUDITE OSSERVAZIONI, STOriche, Mediche, e Naturale, &c.

h. e.

NOVÆ ET ERUDITÆ OBSERVATIONES Hiſtoricæ, Medicæ, & Naturales, Doctoris HIERONYMI CASPARI, Veronenſis, Medici primarii civitatis Feltrenſis, ab ipſo ſcriptæ, & dedicatæ civibus ſuis Veronenſibus, cum Diſſertatione ejusdem de monſtroſa & rara mola, in eadem urbe obſervata, & duabus eruditiſſimis Epiſtolis CAROLI FRANCISCI COGROSSI, Profeſſoris Publici Patavini, ad Autorem.

Venetiis, prelo Bartholomei Locatelli, 1731, 8.

Plag. 5.

In Præfatione, Doctiſſimi & Clariſſimi *Valliſnerii*, quem Præceptorem olim habuit Autor, tanta verborum energia laudes canuntur, ut pietas in magiſtrum luculentioribus aliis argumentis non indigeat, quam quod eundem ad principatum inter Doctores medicos paulo indulgentius evexerit, *de quo gloriari potuerit Italia, obtinuiſſe virum, qui celeberrimorum inter Ultramontanos Medicorum famam unus æquare poſſit.* Hoc ſuadente, Autor in Iſtriam profectus, epidemicorum, eo tempore graſſantium, morborum hiſtoriam condere aggreſſus eſt, additis plurimis rerum experimentis quotquot tredecim annorum ſtudio cumulari poterant. Inde, quo Obſervationum practicarum

rum dignitatem omni theoria potiorem demonſtraret, ſpeculationum lubricam conſtantiam & diſſentiendi libidinem, in Scholis Medicorum ſolennem, exemplis ab *Hippocrate* ad noſtram ætatem acriter caſtigat. Quo facto, empiricum ſe eſſe malle, quam fluctuantem theoretam, profitetur. Inde eſt, quod, hiſtorica morborum relatione contentus, methodicam eorundem declarationem per diagnoſes & ætiologias non adeo magni fecerit, contentus, epidemicorum quorundam malorum originem, progreſſum, afficiendi modum, aut decurſum, annorum ſtationibus, ventis, aeris turbulentiæ, ad normam antiquiſſimorum in arte doctorum attribuiſſe. In quo, quamvis minus ornate, pro ſeculi indole, dixiſſe videatur, apte tamen dicere non deſiit, utpote qui, Theoria, uti præfatus eſt, fere abjurata, magiſtram artis experientiam adoptaverit unice. Tumoribus glandularum in vulgus deſævientibus, quo tempore nec mammæ ſequioris, nec teſticuli potioris ſexus impunes relicti fuerunt, quin in tumoris conſenſum traherentur, evacuantium alterantiumque remediorum uſus ad regulas artis judicioſe adhibitus fuit. Parum tamen ſanguinis miſſum, niſi vel ſolennium excretionum ſuppreſſio, vel delirii atrocitas, quod inſimul cum febre conjunctiſſimum fuit ſymptoma, venæſectionis neceſſitatem imperaſſet. Hac occaſione prodigus fuit laudum in teterrimos medicaſtros Græcos, qui teſticulum tumentem ægrorum, quo compendium medicinæ facerent, ſecando abſtulerunt, quos cum recta ratione ſic feciſſe perhibet. Nec curioſa minus eſt de vermibus cutaneis morlachorum Commentatio, qui morbus gentem mirum quantum exercuiſſe dicitur, naſcentibus ſub cute in tumore quodam vermibus, nec pruritum ſaltem, ſed & dolorem, excitantibus, & ex loco in locum ſeſe moventibus: vermem ſegmentis pluribus diviſum duobus punctis nigris, qua parte proboſcidem eſſe conveniebat, conſpicuum, deſcribit, quæ puncta tracheæ animalculi eſſe poterant. Foras acceſſiſſe, nec in corpore genitos fuiſſe, iſtiusmodi vermes, prudenter & judicioſe autumat, quandoquidem iſtud malum non niſi ſordidæ vitæ hominibus acciderit. Circa ejusmodi vermium

originem modeſte contra *Ettmüllerum*, ejusdemque de Sironibus mentem, quam in *Actis* hiſce noſtris *Menſ. Octobr. A. 1682 pag. 317* expoſuit, diſputat, cujus ingenui moris gratiam habemus.

AD VIRUM NOBILISSIMUM, ATQUE EXCELlentiſſimum Dominum, Doctorem ALBERTUM HALLERUM, Medicum & Anatomicum apud Bernenſes Helvetos clariſſimum, de Vaſis Linguæ ſalivalibus atque ſanguiferis Epiſtola CHRISTOPH. JACOBI TREW, Medic. Doct. Reipubl. Norimb. Phyſici Ord. Academiæ Caeſ. Nat. Cur. ut & Commercii Literarii Phyſico-Technico-Medici Sodalis.

Norimbergæ, typis Jo. Erneſti Adelbulneri, 1734, 4.
Plag. 2, cum Tabb. æn. 4.

Quem Cl. Vir, *Coſchwizius*, nunc in divis, ſuperioribus annis paſſus eſt humani ingenii gloriæ cupidioris lapſum, quo factum ſcilicet, ut pro novis ductibus ſalivalibus agnoſceret venas quasdam ſublinguales, jam ſic acriter perſtrinxerant alii, inter quos eſt ipſe, ad quem Epiſtola doctiſſima Autoris dirigitur, ut denique famæ boni Viri parcendum eſſe omnes autument, in quo ſcilicet, utpote Anatomicarum rerum peritiſſimo, quæ laus eidem deroganda non eſt, id ſaltem, quod in pluribus aliis, taxandum, ſucceſſum inveniendæ novitatis, quam inveniri poſſe merito ſuſpicabatur, ſicut & inventa paulo poſt eſt, conſilio non reſpondiſſe. Qui ductus ſuos ſalivales novos felicius expoſuit Cel. *Waltherus* noſter Exercitatione de Lingua humana, Lipſiæ A. 1724 edita, labore *Coſchwizii* hactenus ſterili excitatus, non omnino nihil induſtriæ ejus, qui primas lineas duxiſſe videtur, debendum fatetur. *Si Ariſtarchus non fuiſſet*, ait *Seneca*, *nec Clitias extitiſſet*, ille meditatus eſt, hic perfecit. Haud difficulter cognovit, ſpurios eſſe iſtos ductus, Autor, poſtquam, impletis cera rubra arteriis viridi vero venis lingualibus, ea

Digitized by Google

ea ipſa vaſa, quæ nervum noni paris ſuperincedunt, ex venarum numero eſſe detexit, quo unico, nempe a Cl. Autore *Coſchwizianos* ductus, repetitis quidem vicibus quæſitos, non vero inventos fuiſſe, locumque illum, qui a *Coſchwizio* indicatur, venis occupari, rei nullitas nondum conſtaret, niſi defectus ductuum excretoriorum in os, quos ipſe *Coſchwizius* vel deſiderat, vel nimis anguſtos allegat, quales ſcilicet paſſim ex ſubſtractis immediate lentiformibus glandulis emergunt, contra eundem militarent. Laudanda ſunt Cl. Autoris conamina, quibus ſubtiliorem Anatomiam illuſtrare feliciter aggreſſus eſt.

GE. LUDOV. OEDERI, V. D. M. G. O. R. Conjecturarum de difficilioribus Sacræ Scripturæ locis Centuria. Accedit Diſſertatio de ſenſu Scripturæ Sacræ myſtico, cum Indicibus.

Lipſiæ, apud Jo. Frider. Gleditſchii filium, 1733, 8. Alph. 1 pl. 19.

Nota eſt Max. Rev. Autoris in hoc genere induſtria: notæ ſunt & amantur a multis ſuo merito ipſius Obſervationes ſacræ, quarum loca pluſcula in Præfatione vindicare ſtudet adverſus S. Rev. *Wolfium*. Qua autem moderatione res geratur, ex hoc exordio patet: *Supereſt J. C. Wolfius, laude ampliore, quam nactus eſt, cum ſit nactus ampliſſimam, digniſſimus, qui cum cive ſuo, incomparabili* Fabricio, *inſignem præſtat communi patriæ in toto cultiori orbe celebritatem, præſtabit etiam poſteris.* Clauditur longiuſcula diſputatio, nec injucunda, ſed quam in compendium referre non licet, ita: *Tu vero, Lector, mecum huic meritiſſimo Viro longævitatem & fauſta omnia precare*, &c. Jam breviter argumenta Conj. 1.
Obſervationum plerarumque indicemus. *Pſ. L, 16 ſeq.* a *Nathane* ipſum *Davidem* notari, & conſcientiam illius excitari de *Uriano* facinore, putat. *2 Cor. VI, 1, συνεργοῦντες* interpretatur, non in nudis cohortationibus ſubſiſtimus, ſed *ſimul manum admovemus.* *Jud. XVII, 11,* אחד ſignificat primum filium; 2. 3.

Conj.4. lium; primogenito ſuo Michas ſubſtituit Levitam. *Deut.*
5. *XV*, 7, מאחר אחיך, *ex una tribuum tuarum. Mal. II, 2, 3,*
ſterilitatem minatur Deus hortis Sacerdotum, ex ſimo hoſtia-
6. rum alias pinguibus, ipſosque cum illo disjecturum. *Jud.*
XIX, 18, indicatur, Levitam miniſterio functum domus Dei, *am-*
bulat Levita את בית יהוה, *cum domo Dei,* ut *Henoch cum*
7. ipſo *Deo.* *2 Sam. XVI, 21, 22,* cærimoniam publicam intelligit,
qua in ſuo contubernio ſe eſſe velle in poſterum pellices pa-
tris *Abſolomus* ſignificavit, ut hodie fieri ſolet in Principum nu-
8. ptiis, per procuratorem celebratis. *Luc. XXIV, 2,* πρὸς ἑαυτὸν
9. ſignificat *domum.* *Luc. XXII, 36,* Chriſtus præcipit de gladio,
10. non quo utantur diſcipuli, ſed quem patiantur. *Matth. V,*
2 ſeq. eadem concio eſt, quæ refertur *Luc. VI,* pertinetque ad
11. ſolos Apoſtolos vel diſcipulos. *Rom. II, 15,* τὸ ἔργον τȣ̃ νό-
μȣ eſt *potiſſimum legis*, hoc eſt, hominem de officiis edocere.
Hæc etiam naturæ lumine hominibus innoteſcunt: non item
12. σαββατισμὸς, ſeu *quies*, de qua tertio præcepto. *Matth. V, 19,*
ἐλάχιστος in regno cœlorum, hoc eſt, contemtiſſimus Apoſto-
13. lorum, eſt *Judas Iſchariotb.* *Jud. XX, 38,* ipſa vox חרב eſt
Symbolum vel teſſera Iſraelitarum cum his, qui in inſidiis col-
14. locati ſunt. *Pſ. XLIX, 8,* non eſt, quod nobis metuamus ab
hominibus pravis: neque enim quisquam eorum alterum fa-
16. ti legi eximere poteſt, &c. *1 Cor. XV, 29,* ὑπὲρ τῶν νεκρῶν
refert ad præceptum *Deut. XXI, 6,* *quid abluimur ſuper mor-*
tuo, quæ ablutio ſignum eſt, illum nos olim non poſſe accu-
17. ſare; ſi is non reſurrecturus eſt. *Gen. IV, 23,* defendit in-
terpretationem ſuam de *Lamecho* confeſſionem fidei edente
adverſus objectionem, quod duorum a ſe interfectorum men-
20. tionem ille faciat. Comparat nimirum *Eſ. IX, 5,* & *Mich. II, 2,*
item *Ruth I, 21,* ubi ſubjecti ejusdem bina nomina. *Gen. XXV, 1,*
Keturam non demum poſt fata *Saræ* duxit, ſed *duxerat* ea
21. viva *Abrahamus.* *Matth. XIII, 52,* ſcriba bonus *ejicit* ex ani-
22. mo ſuo omnes errores & opiniones præconceptas, &c. *2 Cor.*
IX, 5, εὐλογία eſt modica liberalitas, πλεονεξία inſignis copia.
25. *Levit. XVIII, 18,* non pertinet ad matrimonium cum ſorore uxo-
ris, quod alias prohibitum, ſed ad polygamiam in univerſum.

Vox

Digitized by Google

Vox חסר in Scriptura nunquam ſignificat probrum, ſemper Conj. 26.
benignitatem, amorem, &c. per inductionem. Radix ערץ ni- 27.
hil aliud ſignificat, quam in Kal *formidavit*, in Niphal *for-*
midatus eſt, in Hiphil *formidare fecit*, ſive *terruit*. Ad for- 29.
mulam ſacramentalem, ***hoc eſt corpus meum***, nihil facit *Exod.*
XII, *11*, ſed facit *Deut. XII*, *23*. *Num. XIII*, *33*, accuſatur ab 30.
exploratoribus gravis aer & peſtilens ſolum regionis Cananææ.
Phil. II, *12*, non de ſalute æterna agitur, ſed de incolumitate 33.
Eccleſiæ Philippicæ. *Pſ. XXXIV*, *19*, & *LI*, *19*, habent alluſio- 34.
nem ad *Deut. XXIII*, *1*. Radix גור *domi manere* ſignificat, *ti-* 35.
mere nunquam, licet poſſit nonnunquam ita verti non incom-
mode, per inductionem. Non eſt locus Sacræ Scripturæ, un- 45.
de certo conſtet נחל ſignificare *vallem*, per inductionem.
Jo. VI non de *ſpirituali* aliqua *manducatione* agitur, quam 46.
formulam nunquam excogitatam optat, ſed de ſacramento non
ita multo poſt inſtituendo. Ad *1 Sam. I*, *6*, apologia habetur 49.
Peninnæ, ad quam minime pertinet vox צרה *Apoc. I*, *1*; ἐν 50.
τάχει non pertinet ad γενέσθαι, ſed ad ἔδωκε, vel ad δεῖξαι.
1 Sam. I, *14*, vertit, *& puer excuſſit* in ſignum Naſireatus ſui 55.
lagenam vini, cujus proxime facta erat mentio. Radix הרה 56.
ſignificat non conceptionem, ſed uterum monticuli inſtar tu-
mentem. *1 Sam IV*, *11*, coll. *Pſ. LXXVIII*, *63*, filii *Eli* non in 58.
prælio, ſed igne cœleſti, periere. *Danielis* LXX Hebdomades 61.
ad excidium populi Judaici pertinent. *Luc. II*, *49*, vertit, *an* 63.
neſcitis, me eſſe oportere inter hos, qui patris mei ſunt? *1 Sam.* 64.
XV, *29*, *victoria Iſraelis* non eſt epitheton Dei, ſed victoria
proprie dicta. *Phil. IV*, *3*, *σύζυγος Pauli* eſt uxor. Epiſto- 74.
la ad Philippenſes ſcripta eſt ante utramque ad Corinthios. 75.
Matth. IV, *1-5*, Chriſtus a Satana per aera raptus eſt. Sed
etiam ad glorificationem in monte *Matth. XVII*, &c. ipſe ſe 78.
& Apoſtolus ſubito rapuit. *1 Cor. III*, *1*, σαρκικοὶ ſunt, qui ad 79.
externam ſpeciem plus, quam par eſt, reſpectant. *Matth. XI*, 81.
26, εὐδοκία reſpicit illam, de qua *Luc. II*, *14*. *Marc. XV*, *22*, 82.
portant Chriſtum deficientem milites eadem cauſa, qua cruce 83.
ante levaverant. *Eſther. I*, *8*, ſignificatur, ſolutos fuiſſe convi- 84.
vas *Ahaſveri* a legibus conviviorum Perſicis ſobrietatem com-

mea-

Digitized by Google

mendantibus, ita, ut integrum eſſet etiam ultra ſobrietatem bi-
Conj. 88. bere. *Pſ. LXXVIII, 25*, ſenſus eſt, *idem, quod principes viri*
89. *ederunt omnes*. *Jo. IV*, 48, ἐ μὴ πιςεύσητε ſignificat, *non*
90. *poſtulo, ut mihi credatis*. *Samuel*, qui *Saulo* apparuit, ipſe fuit Propheta, per οἰκονομίαν divinam ad occaſionem præſtigia-
91. rum Endoreæ mulieris excitatus. *Ebr. XI, 3*, *Æones*, quos fi-
92. de intelligimus *connexos*, ſunt periodi œconomiæ ſalutis. Iidem
93, 94. ſunt *æones Ebr. I, 2*, propoſiti. Et γενεαὶ *Eph. III, 39 ſeq. Ebr. XI, 6, Qui ad Deum accedere vult, eum oportet credere, ſe eſſe*, hoc eſt, minime interire, & præmia parata eſſe quæ-
95. rentibus ipſum. De uſu vocis καινὼν in Novo Teſtamento. Obiter *Act. I, 25*, ἴδιος τόπος eſt locus ſeu loca, ubi novus Apoſtolus fungi munere ſuo debuit. Idem ſignificat καινὼν, quo-
96. ties eo verbo utitur *Paulus*, Apoſtolus. Epiſtola ad Galatas
97. *Pauli* ultima, qua vale quaſi rebus humanis dixit. Quæ de unctione extrema dicuntur in Epiſtola *Innocentii I* ad *Decentium Eugubinum*, nihil juvant recentiorum de illo Sacramento
98. doctrinam. *Col. II, 8, 9*, πᾶν τὸ πλήρωμα ſunt omnia membra Eccleſiæ, quæ in Jeſu Chriſto tanquam capite connectuntur. Recuſa hic ſunt, quæ contra *Wolfianam* Philoſophiam diſputare Autori viſum fuit alias in Programmate ſcholaſtico. Utrum loco ſat apto, ipſe viderit; quam bene hic diſputet, forte
99. alias quæretur. Ad ſolum ſtatum exinanitionis pertinere *unctionem* Domini noſtri Jeſu Chriſti, docet, & *Jo. III, 34*, legit non ἐ, ſed ἐ γὰρ ἐκ μέτρε, *de ſua menſura dat Deus Spiritum.*
100. *Matth. XXIV, 14*, legit μακρᾷ προφάσει προσέυχεσθαι, *maxima & egregia ſpecie*. De ſenſu myſtico ita diſputat Autor, ut illum plane neget, &, quæcunque adhuc dicta Scriqturæ prolata ſunt, ita interpretur, uti, ſenſu proprio & literali ad Chriſtum ea pertinere, conetur oſtendere. Eſt hæc inprimis digna Diſſertatio, quæ ab omnibus expendatur. Si enim pareat, poſſe, quæcunque in Novo Fœdere laudantur, & ad Chriſtum referuntur, Veteris oracula, ſenſu literali & proprio ad ipſum pertinere, nihil ſane eſt, quod nobis myſticus ille ſenſus præſtet. Jam id ipſum examinent, qui poſſunt. Dignum ſane opus, in quo horas collocent viri a partium ſtudiis & præ-
judi-

Digitized by Google

judicatis opinionibus liberi. Claudit librum Epiſtola ad *J. M. G.* hoc eſt, *Jo. Matthiam Geſnerum*, olim Lipſienſis, nunc Gottingenſis Academiæ inſigne ornamentum, qua defendit Autor ſententiam ſuam de *Jo. II, 3,4*, in Syntagmate Obſervationum Sacrarum *n. 30* propoſitam, adverſus diſputationem Viri Cl. *Car. Ludov. Hobeiſelii.* Sed ſatis longi jam fuimus in libro non magno, ſed novarum ſententiarum pleniſſimo, quas hoc ipſum novitatis nomen ſolum quidem commendare non debet, ſed neque ſuſpectas facere. Nihil certe hic eſt doctrinis ipſis publice receptis adverſum, nihil non modeſte, nihil non polito atque erudito genere orationis propoſitum. Itaque optamus, ut nova, quam promittit, Centuria mox feliciter exeat; ſed illud etiam, ut Catecheſeos Racovienſis refutatio, quam cum ipſo libro typis paratam habet, edi poſſit. Denique utrique libro diligentiorem optamus, quam huic contigit, Correctorem typographicum. Non decebat profecto Lipſiam noſtram, laudatiſſimamque merito ſuo officinam, prodire inde librum, in quo vix Ebræa vox eſt non turpiſſime deformata, quod quidem evitari poterat, ſi ab initio operis monenti Amico obtemperatum eſſet.

ANTONII ZANOLINI LEXICON HEbraicum.

Patavii, apud Jo. Manfré, 1732, 4.
Alph. 3 pl. $13\frac{1}{2}$.

Editis jam A. 1725 Quæſtionibus Sacris ex Codice Hebraico librum hunc ſubjungit Cl. Autor noſter, Juris utriusque Doctor, & Linguarum Orientalium in Seminario Patavino Profeſſor Publicus, quem Summo Pontifici, *Clementi XII*, dicavit, ac ejus tutelæ ſtudia, deceſſorum ejus, *Clementis V*, *Gregorii XIII*, & *Pauli V*, Pontificum, curis & impenſis conſtituta, ceu omnis religionis & Eccleſiæ fulcra, porro commendat. Adductus fuit ad hanc operam ſuſcipiendam ea ex cauſa, quod in tanto Lexicorum Hebraicorum numero nullum juventutis Patavinæ ingeniis ſatis idoneum ipſi videretur, nec ejus conditio-

 nis,

nis, ut in Catholicis Scholis ſine periculi ſuſpicione poſſet verſari. In aliis enim requiri deprehendit copiam, in aliis delectum, quædam ad interpretandum, non vero ad componendum, apta eſſe, alia nullum prorſus exemplum continere, alia nimis multa, ac proinde inutilia. Erant, quæ unam tantum ſignificationem ſingulis verbis tribuerent, cum multas habeant, nonnulla ſignificationes veras & germanas malitioſis explicationibus contaminare, arbitrabatur. Ut igitur juventuti, ad inſtituendum ſibi concreditæ, ſuo modulo conſuleret, ex hoc etiam genere aliquid conari ſe coactum, animadvertit. In quo illud vel maxime curavit, ut prima linguæ Ebraicæ elementa, eorumque uſum, vim, & ſignificationem, quód in aliis Lexicis deſiderari cenſet, diligenter explicaret, & anomalias omnes recenſeret. Verba etiam quædam Rabbinica inſeruit, quæ ad Hebraicam eruditionem neceſſaria viſa ſunt. Ceterum intra fines Sacrorum Bibliorum conſtitit, ac, ut voces derivatæ facile a ſuis radicibus diſtinguerentur, ipſas quoque characterum formas variandas curavit, nec ingenio modo, ſed oculis quoque, ſe conſuluiſſe ait. Præterea Obſervationes varias & Annotationes, ad vocum illuſtrationem pertinentes, frequenter immiſcuit, quas peculiari Indice addito cómplexus eſt.

INITIA DOCTRINÆ SOLIDIORIS. PARS prima, Arithmeticam, Geometriam, Pſychologiam, & Ontologiam, complexa; Autore JO. AUGUSTO ERNESTI, A. M.

Lipſiæ, apud Jo. Chriſtian. Martini, 1734, 8.

Plag. 18, cum Tabb. æn. 6.

In tanta librorum multitudine querebantur nonnunquam viri rerum non imperiti, deeſſe talem, quo & Matheſeos puræ, quam vocant, & Philoſophiæ, Rhetoricesque, elementa traderentur, & qui eſſet Latino, puro quidem & emendato, ſermone ſcriptus, ut, illo adhibito, idonea eruditionis fundamenta jacerentur, nec tamen ab uſu bene loquendi ſcribendique juven-

ven-

ventus obtentu ſolidioris doctrinæ removeretur, diſſidiumque adeo illud componeretur, quod ne literis majori in dies calamitati ſit, metuendum eſt, cum oderunt Philologi quidam Philoſophos, quos cum barbaros eſſe putent, eorum ſcripta delicato nimis faſtidio non attingunt: conra ea ab his illi contemnuntur, ut homines, dum verba venentur & captent, rerum bonarum omnium ignaros atque rudes. Qua ex re illud incommodi oritur, ut alteri, neglectis humanitatis ſtudiis, novas in Philoſophiam velut linguas inferant, alteram altera abſurdiorem, ac præterea novorum ſe Syſtematum conditores putent, quoties vocabulum unum alterumque innovarunt, cum res ipſa olim æque bene vel melius verbis Latinis Græcisve propoſita ſit; alteri, dum barbaros legere recuſant, neque intelligant illos, nec intelligantur, & locum convicio faciant, qui humanitatis profeſſores ſint, eos linguæ tantum Romanæ aut Græcæ magiſtros, locum in eruditis vix ac ne vix quidem tueri, & in claſſe eorum habendos, qui conſilii alterius inopes, patriæque extorres, quacunque mercedula fabulari alios linguæ ſua doceant. Eorum igitur, qui ſuam utrique doctrinæ generi dignitatem ſine contemtu alterius vindicari optant, honeſtæ voluntati ſatisfacturus Cl. Autor, dedit nobis libellum, mole exiguum, qualis eſſe debebat, qui etiam in ludis humilioribus poſſet adhiberi, & qui modico temporis ſpatio poſſet Academicis, ſi cui videretur, prælectionibus explicari, ſed ea tamen complexum doctrinæ initia, quibus fideliter perceptis, non difficile erit volentibus ampliſſimos quosque campos ingredi. Nimirum Arithmetica & Geometria hic non tractantur, in quantum vitæ proſunt, hoc eſt, mercaturæ, ædificantibus, & quæ ſunt in eo genere; quanquam, qui didicerit, quæ hic traduntur, mediocri exercitatione reliqua conſequetur facile: ſed in quantum animos agitant, acuunt ingenia, & percipiendi judicandique celeritatem illis conciliant, proſuntque adeo, dum diſcuntur, etiam ſi quis poſtea illis nunquam utatur. In Pſychologia fundamenta jaciuntur eorum, quæ poſtea in rationali doctrina, atque morali, & oratoria adeo, proponentur. In Ontologia denique, ſeu prima Philo-

 ſophia,

Digitized by Google

ſophia, ſcientia eorum, quæ enti,(ita enim τὸ ὂν vocari, nemo, credimus, hodie indignatur,) attributa ſunt,aut poſſunt attribui, in quantum ens eſt,ita tractatur,ut nomen ſcientiæ tueri poſſit, & tamen indicis aut nomenclatoris ſemibarbari vice fungi. In his omnibus doctrinæ partibus ita verſatur Autor Clariſſimus, ut facile appareat his, qui judicare aliquid hoc in genere poſſunt, non corraſiſſe aut excerpſiſſe ex aliorum operibus, quæ viderentur commoda, ſed ipſum, doctrina omni probe excultum, quæ ſua cogitatione meditationeque complexus eſt, ea verbis ampliſſimis breviter comprehenſa propoſuiſſe, nec addictum eſſe alicui Sectæ, ſed ſimpliciter, quod rectum videatur, ubique conſectari, uti nec vereatur ab iis diſſentire, quibus alii injuriam faciunt, cum vili obſequio illorum veſtigia adorant. Quidni enim malit, ut hoc utamur, Cel. *Wolfius* ab
Pag. 223. eo, ubi res fert, laudari, qui etiam audeat judicare, ſibi non ſatisfacere diſcrimen, quod ille inter *extenſum* & *compoſitum* intercedere ait, & fateatur, differentiam a ſe nullam animadverti, quique aliis etiam quibusdam in rebus diſceſſionem ab illius ſententiis ſe facere non diſſimulet. Modeſtiæ σκέψεως hoc unum damus exemplum. Cum propoſuit tres prin-
189. cipes de commercio animi & corporis ſententias, *Sed hac quoque ſententia*, inquit, *quæ harmoniæ præſtabilitæ nomine celebratur, multis multum difficultatis viſa eſt habere. Quod quanquam negari non poteſt, nolumus tamen periculoſam eam aut religioni inimicam dicere, ne injuriam cuiquam, atque inprimis Theologis noſtris, faciamus, qui, eam ingenioſam, & in ſapientiam potentiamque divinam honorificam, eſſe, decreverunt. Unſchuld. Nachr. A. 1710 pag. 411.* Poteramus ex libello non magno plura afferre, ut de *affectuum*, quos vocant, definitione ac diviſione, de libertate, de neceſſitate, & aliis argumentis graviſſimis, in quibus Cl. Autor partim prudenter eligit, quæ bene ab aliis diſputata putat, partim novam ipſe viam ingreditur. Sed hæc talia multo commodius Lectores, qui hoc genere delectantur, ex libello ipſo cognoſcent, quem totum percurriſſe, vel hoc nomine neminem temere pœnituerit, quod ſtudioſe conſectatus eſt genus dicendi non apertum modo,

Digitized by Google

modo, & docendo aptum, ſed idem Latinum & purum: ita quidem, ut appareat, *Ciceronis*, *Varronis*, *Columellæ*, *Boethii*, ſcriptis illum diligenter uſum, & illorum formulas, atque adeo totius orationis habitum, ad Philoſophiam hodiernam accommodaſſe: ſi tamen multa dicta ſunt hodie, indicta, ſi rem ipſam ſpectes, veteribus. Sane, qui hoc libello ad cognoſcenda doctrinæ ſolidioris initia recte uſi fuerint, illi eodem magnum ſe ſibi præſidium comparaſſe gandeant ad ſcripta veterum facilius legenda, atque intelligenda felicius: illi in nulla temere eruditionis parte non commode & diſerte, quid ſibi velint, omnibus ubique, qui Latine non ignorant, explicabunt. Quo magis optamus, ut reliquæ utiliſſimi Opuſculi *Partes* mox prodeant, non Scholis modo humilioribus, ſed Academiis etiam, profuturæ.

LUCÆ OSIANDRI, THEOLOGI OLIM Wurtembergici Celeberrimi, de Studiis verbi divini Miniſtrorum privatis recte inſtituendis Admonitio. Recenſuit, adſperſisque Notis Literario-Theologicis, uſui publico commodiorem reddidit G. B. S. Accedunt alia quædam, ſimilis fere argumenti, PHIL. MELANCHTHONIS & CASP. CRUCIGERI, nec non ineditarum hactenus aliquot Clariſſimorum Virorum Epiſtolarum Decas.

Francofurti & Lipſiæ, ſumtibus Georg. Marci Knochii, 1733, 4.

Plag. 11.

Scriptum, & ætate & autoritate *Oſiandri* inclytum, Pl. Rev. Editor reddidit expoſitionibus illuſtrationibusque ſuis ſatis commendabile. Neceſſaria noſtro ævo talis eſt admonitio, quo plures, utcunque peractis aliquot in Academia annis, ingreſſi ſacrum munus, Literarum Sacrarum ſtudia neglectim habent, & non niſi Poſtillis Commentariisque qualibuscunque inhiant. *Oſiandri* libellus aliquoties fuit typis deſcriptus, rarior

Digitized by Google

tamen hodie eſt, quam ut facile inveniatur. Prædicarunt eum
Theodorus Berckelmannus, *J. A. Quenſtedius*, & *Aug. Herm.*
Franckius. Regulæ *Oſiandri* ſunt breves, utiles, & experien-
tiæ congruentes magnorum Theologorum. Id vero, quod
aridum jejunumque videri poterat, compenſatur a Commen-
tatore ſolide docto docteque pio, Fanaticiſmi & oſorum Phi-
loſophiæ oſore, literatore eximio, & encyclopædiæ ſatis peri-
Pag. 206 ſeq. to. Egregia ſunt, quæ afferuntur ad *luſus honeſtos*, ab *Oſian-*
dro conceſſos Eccleſiaſtis, nec alia laudibus defraudanda exiſti-
mamus. In Appendice inveniuntur varia, & quidem 1) *bre-*
vis diſcendæ Theologiæ ratio, Autore Philippo Melanchthone,
quæ legitur in hujus Operibus *Tom. I pag. 35 ſeq. ed. Viteb.*
A. 1580 fol. *Nicolaum de Lyra* fuiſſe Judæum, plerique nunc
negant, credidit tamen adhuc Ven. *Jo. Jac. Rambachius*. Occur-
5. rit hic 2) *Caſp. Crucigeri Admonitio ad verbi divini Mi-*
10 ſeq. *niſtros*, præfixa quondam *Joannis Spangenbergii* Margaritæ
34. Theologicæ; ac, ut cetera omittamus, *Dav. Chytræi*
inedita ad *Petrum Monavium* Epiſtola, quales Commentator
36. ſeu Editor ſervat complures: *Joannis Caſelii* literæ ad *Dan.*
41. *Bucretium*: *M. Mylii* Epiſtola ad *Sim. Grunæum*: *Mich.*
Gebhardi Epiſtola ad *Sim. Grunæum*. Inprimis memoratu
dignæ ſunt Epiſtolæ duæ *Theodori Bezæ* ad *Claudium Texto-*
rem, unde patent molitiones Genevenſium ſeſe in Electoris
Beatiſſimi *Auguſti* favorem inſinuandi, nec non *Petri Rami*
59 ſeq. opiniones Theologicæ, qui putabat, decreta ſymbolica ac
dogmatica Presbyterio ſoli haud eſſe reſervanda, ſed toti mul-
titudini, rogatis ſingulorum ſuffragiis, præterea, præſentibus
in templo omnibus promiſcue eſſe concedendas loquendi &
adhortandi partes, ratus, deſideransque, ut vox *ſubſtantiæ* ex
Gallica Confeſſione & Liturgia expungatur, qua Chriſtus ipſe
in Cœna donari tunc tradebatur. Petimus honorifice ab Edi-
tore, cujus ætas ad ſenium vergit, ne plures ejusmodi Epiſtolas
cum orbe erudito communicare in poſterum dedignetur.

NOVA LITERARIA.

Vir Illuſtris, *Jo. Salomo Brunnquell*, nuper Magnæ Britanniæ Regis a Conſiliis Aulicis, Juris Canonici Profeſſor, & in

Digitized by Google

in Academia Gottingenſi Ordinis Jureconſultorum Aſſeſſor primarius, , nec non ad ea obeunda, quæ Pro-Rectoris ſunt in dicta Academia, delegatus Commiſſarius, Vir meritis doctrinæque ſummus; ſed ante paucos dies incredibili literarum & novæ Gottingenſis Academiæ dolore ad Superorum vitam evocatus, vix ingreſſus haud ita pridem urbem Gottingam, quam illuſtrare eruditionis ſuæ fama geſtiebat, indicavit recitationes proximo ſemeſtri, ſi ita in fatis fuiſſet, a ſe habendas Programmate propoſito, cujus argumentum etiam hic legi, Reipublicæ Literariæ intereſt. Commemorata Indicis legum *Jacobi Labitti* utilitate, atque votis, quæ fecerunt olim *Jacobus Gothofredus*, & nuper *Nic. Hieron. Gundlingius*, ut integræ Digeſtorum leges *κατα πλάτος* & verbo tenus ſecundum laudati *Labitti*, *Antonii*que *Auguſtini*, & *W. Freymonii*, Indices edantur, laudato etiam conatu *Henr. Brenckmanni*, de quo ex his *Actis* noſtris *A. 1710 pag. 531* ipſi innotuit; eo tandem evadit, ut ideam aliquam Operis proponat, cujus utilitatem ipſius Viri Illuſtris verbis breviter adumbrabimus. *Hac*, inquit, *ratione*, *relatis ſcilicet in unum quaſi locum atque angulum integris capitibus ejusdem inſcriptionis, Autoris, atque Libri, I longioris inquiſitionis & evolutionis labore Jurium cultores levarentur, II facilius argumentum ac materia totius Libri, nec non tractandi ratio, & totius Operis contextus, innoteſcerent; III cujuslibet capitis quaſi quadam antecedentia & conſequentia, & ſic cauſæ quodammodo legum ipſarum, cernerentur; IV qualibet lex ſecundum ſubſtratam materiam melius intelligeretur, nec ultra ſcribentium intentionem, ipſaque Juris principia, porrigeretur, & ſic V judicium Lectoris melius inſtrueretur.* Sed quid prohibet totum Viri Illuſtris conſilium, atque ſpecimen adeo, ut in Programmate eſt poſitum, huc referre? Poſt honorificam *Brenckmanni* mentionem ita pergit: *Sed, cum Doctiſſ. Autor nihil præter memoratum ſpecimen adhuc ediderit, nemo mihi vitio vertet, ſi Operis hujus utiliſſimi confectionem atque editionem urgeam, atque ad illud conficiendum omnes, quibus germana & maſcula Jurisprudentia curæ cordique eſt, commoda hacce occaſione, decenter invitem. Quo*

autem

autem Opus hocce eo ornatius prodeat, atque elegantioris Jurisprudentiæ ſectatoribus utilius reddatur. I Brevis cujuslibet Icti, ex cujus libris Leges deſumtæ, & in Digeſta relatæ ſunt, vita, inprimis, quæ illi propria ſunt, ut ætas, ſecta, indoles, Philoſophia, ac Latinitas, ejus Operibus præmitti poſſent. *Ætatem enim prudentum, nec non illorum ſucceſſionem, ſcire, inſignem ſane habet uſum,* (a) *cum poſterioribus multa ſint recepta temporibus, quæ antiqui ſtrictique juris regulis repugnare videbantur,* (b) *&, propter naturalem hominum ad diſſenſum facilitatem, uti* Ulpianus *ex noſtris,* (c) *vel ut* Perſius: (d)

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus,
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno,

loquitur, aliter Sabiniani, aliter Proculejani, aliter denique Miſcelliones, ſeu Erciſcundi JCti, ſenſerint. (e) *Non minorem ad Juris Romani ſtudium utilitatem affert, indolem atque mores cujuslibet Icti cognitos perſpectosque habere, cum alii ſeverioris, alii mitioris ac modeſtioris, ingenii fuerint. Ita* Antiſtius Labeo *ingenio & doctrinæ fiducia plurima innovaſſe traditur,* (f) Attejus Capito, *ejus coætaneus, vero veterum veſti-*

(a) Vid. *Petr. Perrenonius II Animadv. Cap. 23, & II Var. Lect. Cap. 6.*

(b) Cauſam hujus rei V. A. *Cornelius Bynckershœkius in Lib. de Jure Occid. liber. Cap. 4* indicat. *Quo magis,* ait, *exculta ſunt humanitatis & manſuetudinis ſtudia, quo plus operæ datum eſt Philoſophiæ morali, eo magis omnis ſeveritas remiſit,* &c.

(c) In *L. 17 D. de Recept.*

(d) *Satyr. V.*

(e) Quod argumentum pluribus in *Proluſ. Academ. de JCtis Erciſcundis, ſive Miſcellionibus, quorum fragmenta in Digeſtis ſuperſunt,* Jen. A. 1728 proſecutus ſum.

(f) Vid. *L. 2 §. 2 de peric. & comm. rei vend. L. fin. de Jure delib.* Unde ejus ſententiæ, quamvis veræ, ſæpenumero non reci-

Digitized by Google

veſtigia premebat. (g) *Ita* Papiniani *ſumma non tantum in aliorum ICtorum libris citandis, ſed etiam in propriis ſententiis immutandis,*(h) *modeſtia fuit, e contra* Marcellus, Marcianus, Paulus, *aliique, duriore paſſim reprehenſione in libris ſuis utuntur, & cenſuram magnorum virorum haud ſine ambitione affectaſſe videntur. Sic* Ulpianus, *JCtus, in Juris definitionibus remiſſior fuit, & ad æquitatem pronior,* Paulus *vero ſeverior & religioſior Juris.* (i) *Ad ſingularia JCti etiam ejus philoſophandi rationem refero. Nam, cum circa bellum Punicum ſecundum Philoſophia Romæ cœperit, & quatuor Philoſophorum Sectis, Stoicis nimirum, Epicureis, Platonicis, & Peripateticis, ſalaria publica lege in Imperio Romano conſtituta fuerint, JCti neceſſariam Juris & Philoſophiæ conjunctionem non agnoverunt tantum, ſed etiam illam, præ ceteris vero Stoicam, ex eo, quod illa a rebus gerendis non abhorreret, maximopere excoluerunt: quæ ſane contemplatio ad genuinam Legum interpretationem multum conducit.* (k) *Tandem etiam de Latinitate cujuslibet JCti quædam addenda forent, quia, hanc attendiſſe, faciliorem Legum Romanarum interpretationem reddit, tum quod diverſæ Linguæ Latinæ ætates, tum etiam*

recipiuntur, quod a veterum JCtorum autoritate recedunt. *Petr. Perrenonius I Animadv. Cap. 21.*

(g) Vid. *Gellius XIII, 12.*

(h) Vid. *Zacharias Huber* in *Diſſ. ad L. 63 de Ritu nupt. & Proluſ. noſtra Acad. de Retractationibus veterum JCtorum, quorum Fragmenta in Digeſtis ſuperſunt,* Jenæ A. 1726 edita.

(i) Sic *Ulpianus,* cum in *L. 21 D. de reb. credit.* propoſuiſſet, quod juris ratio exigit, ſubjecit, *humanius facturum judicem, ſi actorem compulerit ad id accipiendum, quod ei offeratur.* Vid. *Gravina Lib. I Orig. Jur. Civ. Cap. 101, Gerard. Noodt I Probabil. 2,* & *Mercerius* in *Conciliat. p. m. 141.*

(k) Quod argumentum pluribus in Iſagoge in univerſam Jurisprudentiam, quæ ſub prelo ſudat, *Part. I Cap. 5* proſecutus ſum.

Digitized by Google

etiam quod ipſa JCtorum Latinitas varia fuerit. Sic Alfenum, Papinianum, (l) *atque* Ulpianum, *eleganter*, Paulum (m) *&* Africanum (n) *obſcure*, Scævolam (o) *vero ex abrupto, ſcripſiſſe, JCti recentiores obſervarunt.* II Cuilibet libro argumentum, nec non ipſa tractandi ratio, præmitti poſſent. *Nam, cui argumentum & materia libri incognita manet, ille ſane in genuinum Legum, ex illo libro deſumtarum, ſenſum penetrare vix poterit.* (p) *Sic JCti aliam atque aliam de eodem vocabulo ſignificationem tradiderunt, prout res ſubjecta poſtulabat.* (q) *Eodem modo non raro Leges ratione ſubjectæ materiæ*

(l) De Papiniani peritia. Latini ſermonis ex profeſſo Vir Doctiſſ. *Everard. Otto* in Vita Papiniani *Cap.* 5 & 6 tractavit.

(m) Cujus in ſcribendo obſcuritatem præter *Raphaelem Fulgoſum* ad *L.* 17 *D. de inoffic. teſtam. Gilbertum Regium II Enantioph.* 14, *Franc. Duarenum* ad *L.* 132 *de Verb. oblig.* & *Jo. Bertrandum* in Vita Pauli, *Georg. Caſp. Kirchmaier* in *Elogiis & elegant. Latin. veter. JCtorum pag.* 15 notavit.

(n) Legem enim nullam ex *Africani* libris ſupereſſe, quæ non difficilis & perobſcura, inter ceteros memoratus *Kirchmaierus Lib. cit. pag.* 16 annotavit. Huc *L.* 38 *de Condict. indeb.* pertinet, crux JCtorum appellata, & a variis JCtis, v. g. *Hottomanno, Petro de Toullieu,* aliisque, ex profeſſo tentata.

(o) De abrupto *Scævolæ* reſpondendi modo vid. *Gerard. Noodt de Transact.* & *Lib. II Probab. Cap.* 2, nec non *Everard. Otto* in Papiniano.

(p) Vid. *Mercerius* in *Conciliat.* edit. *Reynoldi pag.* 83 *ſeq.*

(q) Sic de uſufructu contrariæ JCtorum ſententiæ a *Cujacio* ad *L.* 27 *§.* 8 *D. de pact. & in Tract.* 5 *ad Afric. ad L.* 36 *§.* 1 *D. de uſufr.* nec non *Gæddæo* ad *L.* 25 *de V. S.* citantur; imo *Paulus* contraria ſcripſiſſe putatur, dum, uſumfructum *dominii partem eſſe*, in *L.* 4 *D. de uſufr.* in *L.* 25 *D. de V. S.* vero, *non eſſe*, ſcripſerit.

Digitized by Google

riæ reſtringi debent, (r) *quæ obſervatio magnum momentum ad Legum Romanarum intellectum, inprimis ſub tit.* de Verborum Signific. & de Reg. Jur. *affert. Nec minus tractandi ratio in diverſis libris diverſa eſt; alia enim in Quæſtionum, alia in Reſponſorum libris occurrit. Illæ erant diffuſi tractatus, in quibus JCti ſuo arbitratu de Jure controverſo in theſi diſputabant; hæ vero ſingulares facti quæſtiones ex jure conſtituto decidebant, unde in illis Doctoris, in his vero JCti, munere fungebantur, nec minus in Reſponſis JCti Romani nimis conciſi & breves erant, atque ad augendam Juris Romani dignitatem rationes civiles clam populo habebant, ne ſcilicet cavillandi occaſio daretur.* (s) *Sic* Seneca *de hiſce JCtorum Reſponſis*. Quid? quod etiam, *ait*, ſine probationibus ipſa morientis autoritas prodeſt. Sic quomodo JCtorum valent reſponſa, etiamſi ratio non redditur. (t) *Præterea librorum, qui a JCtis Romanis conſcripti fuerunt, alii ſunt ſingulares, v. g.* Pauli ad L. Cinciam, Papiniani Liber Aſtynomικῶν, *alii multiplices & varii. Rurſus alii certum ſubjectum & ordine certo pertractatum continent, ut* Pauli & Ulpiani Libri ad Edictum, Papiniani Fideicommiſſorum Libri, *alii vero promiſcui & miſcellanei, quibus variæ & diverſæ quæſtiones & materiæ vario ordine pertractantur, ut Libri* Opinionum, Memorabilium, Quæſtionum, Reſponſorum, Sententiarum, Diſceptationum, Diſputationum, Membranarum, Rerum Quotidianarum, Aſſeſſoriorum, Regularum,

Aaaa 2 Decre-

(r) Sic, niſi verba *Marciani* in *L. 5 §. 1 ff. de pign. & hypoth. Pignus & hypothecam tantum nominis ſono differre*, ſpeciatim *ad formulam hypothecariam*, uti inſcriptio legis monet, referantur, falſus erit JCtus, cum intuitu pignoratitiæ actionis toto cœlo inter ſe differant.

(s) Vid. *Gilbertus Regius II Enantiophan. Cap. 14*, *Gabriel Vallus* ad *L. un. de ſentent. quæ pro eo*, & *Cl. Everard. Otto de Ædil. Colon. & Municipiorum p. m. 257.*

(t) *Epiſt. 95.*

Digitized by Google

Decretorum, &c. (u) *Denique* III cuilibet Legi ab uno latere diverſæ lectiones, ab altero vero remiſſiones (x) ad JCtos elegantiores, qui Legem illam ſcriptis ſuis illuſtrarunt, addi poſſent. *Exemplo §. 4 L. 34 D. de Jurejur. eſſe poterit.*

Ulpianus Lib. 26 ad Edictum §. 4
L. 34 D. de Jurejurand.

Vulgata legit: æque patrono parentibusque. *Norica*: æque patrono & parentibus remittitur. *Bernh. Henr. Reinold. in Not. ad Mercerii Conciliat. pag. 58 verba*: de calumnia, *quæ in fin. §. 4 conſpiciuntur*, *non* Ulpiani *eſſe*, *contendit*.	Qui jusjurandum defert, prior de calumnia debet jurare, ſi hoc exigatur; deinde ſic ei jurabitur. Hoc jusjurandum de calumnia neque patrono, neque parentibus, remittitur.	*Vid.* Jac. Cujacius IX *Obſerv. 57*, Labittus *in Uſu Indic. π.* Donellus XXIV *Comment. Jur. Civil. Cap. 21*, Franc. Duarenus *ad Tit. de Jurejur. Cap.* 4, Guilielm. Fornerius *II Select.* 4, Elb. Leoninus *V Emend. 20*, Guil. Barclajus *ad Tit. de Jurejur. & rebus credit.* Siegm. Reich. Jauchius *de Negation. Pandect. Florent. pag. 297*, *&* Everard. Otto *in Præf. Tom. II Theſ. Jur. Civil. præm.*

Nemo, credimus, eſt modo paulo humanior, qui non optet, hanc quaſi ideam atque deſcriptionem Operis præclariſſimi quamprimum perfici: atque utinam, qui conſilium dedit ſapien-

(u) Vid. *Mercerius* in *Conciliat. p. m. 84*, *Perrenonius II Animadv. XI*, *Edmundus Merillius* ad *L. Deciſion. Juſtinian. p. m. 64*, & *II Obſerv. Cap. 26*, nec non *Colerus Parerg. Cap. 23*.

(x) Quales remiſſiones ad Inſtitutiones, Digeſta, & Codicem, *Martinus Antonius Del-Rio* ſub titulo: *Ex Miſcellaneorum Scriptoribus Digeſtorum, Codicis, & Inſtitutionum Juris Civilis interpretatio collecta*, Pariſiis A. 1580, 4, edidit.

Digitized by Google

pientiſſimum, idem etiam, per fatorum ſeveram legem, ferendo nunc auxilio par eſſet. Gaudentes eam nuper ſpem alebamus, quam & doctrina ingeniumque Viri, & incredibile commodis eruditorum inſerviendi ſtudium, confirmabat mirifice. Sed occidit heu! Vir egregius, occidit ſpes noſtra, quam ut jacentem erigant Viri boni, in quibus ad perficienda ejus generis inſtituta & facultatis ſatis eſt, & voluntatis, nos quidem per creſcentem in dies Jurisprudentiæ dignitatem vehementer optamus.

INDEX AUTORUM,

quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur.

I. Libri Theologici, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.

Amati *(Jo. Maria) de Principe Templo Panormitano Libri XIII.* 289

Anonymi *Sententia atque argumenta de Deſcenſu Chriſti ad inferos, nec non de Moralitate Sabbati.* 91

de Vita & rebus geſtis Clementis XI, Pontif. Max. Libri ſex. 97

Copioſior Demonſtratio de eo, quod Eccleſia Proteſtantium genuinis Eccleſiaſticis gaudeat. 121

Specimen Animadverſionum in Prolegomena in Novi Teſtamenti Græci editionem accuratiſſimam, nuper Amſtelodami edita. 133

Opuſcula nova de Bonitate Dei, libertate hominis, & origine mali. 182

Anonymi *Specimen relationis de utroque ſtatu, tam Eccleſiaſtico, quam Politico, civitatis Hamburgenſis, qualis olim fuit a tempore Caroli M. uſque ad tempora Friderici III, Imp.* 192
Geneſis in Latinum ac Gallicum ſermonem tranſlata. 374
Expoſitio doctrinæ orthodoxæ de Myſterio Trinitatis. 376
Atomiſmus ab injuſtis Peripateticorum cenſuris & impoſturis vindicatus. 380
de Simplicitate fidei Tractatus. 425
de Limitibus poteſtatis Eccleſiaſticæ & Civilis Tractatus. 530
Bambamii *(Hartwici) Apparatus Enthymematico-Exegeticus.* 224
Bertrami *(Jo. Frid.) Hiſtoria Critica Joannis a Laſco. Pars II & III.* 582
Calmeti *(Auguſtini) Hiſtoria Lotharingiæ ſacra & civilis. Tomi III.* 337
Caſſiodorii *(Magni Aurelii) Opera omnia; ex edit.* J. Garetii. *Tomi II.* 1
Ceillier *(Remigii) Hiſtoria generalis Autorum ſacrorum & Eccleſiaſticorum. Tomus I.* 541
de Champs *(Stephani) de Hæreſi Janſeniana ab Apoſtolica ſede merito proſcripta Libri III.* 589
Checcotii *(Jo.) de Hiſtoria Eccleſiaſtica Diſſ.* 405
Duellii *(Raymundi) de Fundatione templi cathedralis Auſtriaco-Neapolitani Diſſ.* 130
Fernandez *(Jo. Patricii) Hiſtorica Relatio de Apoſtolicis miſſionibus Patrum Soc. Jeſu apud Chiquitos.* 329
Geddeſii *(Mich.) Martyrologium Proteſtantium Hiſpanorum.* 515
Georgii *(Chriſtian. Sigiſm.) Hierocritici Novi Teſtamenti Partes II.* 87
Grancolas *(Jo.) Commentarius hiſtoricus in Romanum Breviarium.* 201
Grubichii *(Martini) Annales Theologico-Eccleſiaſtici.* 222
Hane *(Phil. Frid.) de Origine Juris & Beneficii Emigrandi, quod Religionis cauſa in Germania noſtra obtinet.* 176

Haren-

Harenbergii (*Jo. Chriſtoph.*) *Obſervatio ad* 1 *Cor. XI,* 13, 14, *de Jure Naturæ hypothetico.* 236
de his, a quo & ad quam ſecunda Joannis Epiſtola fuit conſcripta. 536
Haſæi (*Theodori*) *Theſaurus novus Theologico-Philologicus. Tomi II.* 385
Helvetii (*Phileleutheri*) *de Miraculis, quæ Pythagoræ, Apollonio Tyanenſi, Franciſco Aſſiſio, Dominico, & Ignatio Lojolæ, tribuuntur.* 533
Hoffmanni (*Jo. Adolph.*) *Nova Expoſitio Jobi.* 34
Hoſmanni (*Guſtav. Chriſtoph.*) *Chronologia ſacra Librorum Veteris Teſtamenti.* 169
Ikenii (*Conr.*) *Theſaurus novus Theologico-Philologicus. Tomi II.* 385
de Ingimberto (*Malachia*) *Theologia Cœnobialis. Tomi III.* 193. 198
Lakemacheri (*Jo. Godofr.*) *Obſervationes Philologicæ. Pars IX & X.* 232
Lupi (*Apollonii*) *Bullarium Canonicorum Regularium Rhenanæ Congregationis Sanctiſſimi Salvatoris.* 493
Marpergeri (*Bernh. Waltheri*) *Magnum Piaculare, idemque pro peccatis ſolenni expiationis die oblatum ſacrificium, tanquam perſpicuus paſſionis, mortis, ac reſurrectionis Chriſti typus.* 27
Mayeri (*Jo. Frid.*) *Ecloga Evangelicæ. Pars I.* 314
Pars II. 366
Menzini (*Benedicti*) *Threni Jeremiæ, Italicis verſibus adſtricti.* 422
Moshemii (*Jo. Laur.*) *Diſſertationum ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinentium Volumen.* 515
Mülleri (*Adam. Lebrecht*) *Theologia Petri Anti-Pontificia.* 234
Oederi (*Georg. Ludov.*) *Conjecturarum de difficilioribus Sacræ Scripturæ locis Centuria.* 601
Orſi (*Joſephi Auguſtini*) *de Petri a Soto, & Judoci Raveſteyn, de Concordia gratiæ & liberi arbitrii, cum Ruardo Tappero Epiſtolari Diſputatione, Liber Apologeticus.* 298

Oſnan-

Oſiandri (*Lucæ*) *de Studiis Verbi divini Miniſtrorum privatis recte inſtituendis Admonitio.* 609
Petitdidier (*Matthæi*) *Opus Theologicum de autoritate & infallibilitate Paparum.* 341
Picteti (*Benedicti*) *Continuatio Hiſtoriæ Sudorianæ. Tomus I, II, III.* 291
la Placette (*Jo.*) *de Juſtificatione Tractatus.* 107
Plantierii (*Jac.*) *Veritates primariæ Religionis, methodo catechetica propoſitæ.* 328
Pontoppidani (*Erici*) *Compendium Hiſtoriæ Reformationis Eccleſiæ Danicæ.* 173
Rümelini (*Georg. Burchardi*) *Lexicon Critico-Sacrum.* 418
Sevillani (*Nicaſii*) *Primatus Hiſpaniarum vindicatus.* 145
Spenceri (*Jo.*) *de Legibus Hebræorum ritualibus Libri IV; ex ed.* Chriſtoph. Matth. Pfaffii. 296
le Sueur (*Jo.*) *Hiſtoria Eccleſiæ & Reipublicæ. Tomi VIII.* 241
Szathmari (*Mich.*) *Tyrocinium Emblematico-Propheticum in Jobi XXXVIII, & in Joſ. X, 12, 13, 14.* 423
Tappenii (*Sylveſtri*) *Solida & lumini rationis congruens Veritas Religionis Chriſtianæ. Pars I.* 163
Des Voeux *Epiſtola de Neceſſitate examinandi Religionem.* 527
Wokenii (*Franciſci*) *Bibliotheca Wittenbergenſis Theologico-Philologico-Philoſophico-Hiſtorica. Tomus I.* 229
Zambaldi (*Fr. Joſ. Vict.*) *Tractatus de Locis Theologicis.* 61
— Quæſtiones proœmiales ad univerſam Theologiam Scholaſtico-Dogmaticam. 72

II. Libri Juridici.

Anonymi *Diſcurſus de Succeſſione fœminea in regna & provincias Auſtriacas.* 216
Brunnquell (*Jo. Salom.*) *Proluſio Academica de Digeſtis ſecundum Indicem Legum Jacobi Labitti aliorumque κατὰ πλάτος & verbotenus excudendis.* 611
Clauſingii (*Jo. Godeſchalci*) *Jus Publicum Romanum. Faſciculus III.* 212

Hanc

Digitized by Google

De Mezeray (*Franc. Otton.*) *Memorabilia hiſtorica & critica.* 257
Monvillii (*Jo.*) *Vita Petri Mignardi, primarii Pictoris Regii.* 578
Peverati (*Angeli Mariæ*) *Annotationes in Criſpi Salluſtii Hiſtoriam de Conjuratione Catilinæ & Bello Jugurthino.* 581
Picteti (*Benedicti*) *Continuatio Hiſtoriæ Sudorianæ. Tomus I, II, III.* 291.
Piſtorii (*Wilh. Frid.*) *Amœnitates Hiſtorico-Juridicæ. Pars III.* 584
Purckhardi (*Caroli*) *Ars Scutaria, vulgo Heraldica.* 325
Riedelii (*Jo. Martini*) *de Vita & Scriptis Georgii Nicolai Kriegkii Commentatio.* 89
Sevillani (*Nicaſii*) *Primatus Hiſpaniarum vindicatus.* 145
Stiernman (*Andreæ Anton.*) *Bibliotheca Suio-Gothica.* 349
Le Sueur (*Jo.*) *Hiſtoria Eccleſiæ & Reipublicæ. Tomi VIII.* 241
Thebeſii (*Georg.*) *Annales Lignicenſes, editi a* Godofr. Balthaſ. Scharffio. 206
Thoyraſii (*Rapini*) *Compendium Actorum publicorum Anglicorum Thomæ Rymeri.* 294
Tindalii (*N.*) *Obſervationes hiſtoricæ & criticæ in Rapini Thoyraſii Hiſtoriam Angliæ. Tomus I & II.* ibid.
Wokenii (*Franciſci*) *Bibliotheca Wittenbergenſis Theologico-Philologico-Philoſophico-Hiſtorica. Tomus I.* 229

VI. Libri Miſcellanei.

Anonymi *Atomiſmus ab injuſtis Peripateticorum cenſuris & impoſturis vindicatus.* 380
Lexicon Germanico-Latino-Ruſſicum. 421
Epiſtolæ Philoſophicæ, argumenti ſerii, critici, & jucundi. 426
de Limitibus poteſtatis Eccleſiaſticæ ac Civilis Tractatus. 530
Barbeyracii (*Jo.*) *Sylloge Diſſertationum, aut converſarum, aut compoſitarum.* 179
Beileri (*Benedicti*) *Nova Grammatica Germanica.* 286
Boiſſerii *Epiſtola de Magia & Magis, contra Sanctandreanum.* 142
Bruckeri (*Jac.*) *Hiſtoria Philoſophica, eromatice expoſita. Pars IV.* 124
Pars V. 319

Caſſiodorii (*Magni Aurelii*) *Opera omnia; ex ed.* J. Garetii. 1
Catrou (*Franciſci*) *Carmina Virgilii in Gallicum ſermonem translata. Tomi IV.* 103
Ciceronis (*M. Tullii*) *Orationes, cum argumentis* M. Ant. Ferratii. 246
Cornelius *Nepos de Vita excellentium Imperatorum, Italice converſus.* 248
Corſini (*Eduardi*) *Inſtitutiones Philoſophicæ ac Mathematicæ. Tomus I & II.* 218
Debiel (*Ludov.*) *Utilitas rei nummariæ veteris.* 190
Erneſti (*Jo. Aug.*) *Initia doctrinæ ſolidioris. Pars I.* 606
Fabricii (*Jo. Andr.*) *Delineatio completa & ad methodum Mathematicam accommodata Logicæ.* 587
Frobeſii (*Jo. Nic.*) *Brevis ac dilucida Syſtematis Philoſophiæ Wolfiani Delineatio.* 316
Hagen (*Gottlieb Frid.*) *Meditationes Philoſophicæ de Methodo Mathematica.* 384
Harenbergii (*Jo. Chriſtoph.*) *Demonſtratio de Ratiocinatione, Syllogiſmi experte, ad Logomachias referenda, vel ſupervacuis inventis annumeranda.* 74
Demonſtratio de exiſtentia & uſu monadum, quæ prima corporum ſunt elementa. 164
Obſervatio ad 1 Cor. XI, 13, 14, de Jure Naturæ hypothetico. 236
Henrici IV, *Regis Galliæ, ad Antonium Fabrum de la Boderie Epiſtolæ.* 56
Jænichii (*Petri*) *Meletemata Thorunenſia. Tomus II & III.* 132
Kœhleri (*Henr.*) *Exercitationes Juris Naturalis.* 168
Kortholti (*Chriſtiani*) *de Societate Antiquaria Londinenſi Epiſtola.* 429
Lakemacheri (*Jo. Godofr.*) *Obſervationes Philologicæ. Pars IX & X.* 232
Lockii (*Jo.*) *Opera varia. Tomi II.* 284
M. (*J. C.*) *Cogitata de vera nominis Hippolithi a Lapide origine.* 239
Martene (*Edmundi*) & Urſini Durandi *veterum Scriptorum & Monumentorum Hiſtoricorum, Dogmaticorum, Moralium, Collectio. Tomus IV, V, VI.* 49

Marti-

Martini (*Eman.*) Ἀπαστέρωσις, *ſive in aſtrum converſio, Elegia.* 401
Peverati (*Angeli Mariæ*) *Annotationes in Criſpi Salluſtii Hiſtoriam de Conjuratione Catilinæ & Bello Jugurthino.* 581
Plinii (*C. Secundi*) *Hiſtoriæ naturalis ad Titum Imp. Præfatio ; ex ed.* Dav. Durandi. 408
Riccoboni (*Ludov.*) *Hiſtoria Scenæ Italicæ. Tomi II.* 7
de arte in ſcena agendi Cantus VI. 8
Rümelini (*Georg.*) *Lexicon Cricico-Sacrum.* 418
de S. Ubaldo (*Jo. Proſperi*) *de Inexcuſabili bonarum artium atque literarum ignorantia Libri tres.* 280
Wokenii (*Franciſci*) *Bibliotheca Wittenbergenſis Theologico-Philologico-Philoſophico-Hiſtorica. Tomus I.* 229
Zanolini (*Antonii*) *Lexicon Hebraicum.* 605
Zeigeri (*Ambroſii*) *Introductio rationalis ad Oeconomiam & artem perficiendæ agriculturæ.* 509

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Abælardi *Hiſtoria.* 293
Abbreviaturarum *Ruſſicarum catalogus.* 422
Abgari *ad Chriſtum Epiſtola num ſit genuina?* 242
Abrahami *ſacrificium quomodo cum bonitate Dei conſiſtat?* 189 ſeq.
Abſtinentiæ *a vegetabilibus recentibus utilitas.* 573
Achillini (*Cl.*) *vita.* 263
Actionum *humanarum moralitas unde?* 187 ſeq.
Acumen *ingenii quid?* 85
Acutum *quid proprie in morbis dicatur?* 21
Ælfrici, *Archi-Epiſc. Cantuarienſis, ſcripta.* 292
Aer *num ſal acidum contineat?* 508
num in pulmonibus ſanguini admiſceatur? ibid.
frigidus ut internas inflammationes excitet? ibid.

Aereum

Aereum *humidum quomodo ſanguini admiſceatur?* 506

Aeris *ad vulnera acceſſus an conducat?* 272

Ætites *nomen an ab aquila ortum?* 150

Agri *ut ſine ſtercoratione fœcundandi?* 309

Agricultura *ut perficienda?* ibid.

Agrorum *diverſitas.* ibid.

temperamenta. ibid.

ſtercoratio. ibid.

Alberti (*Leandri*) *vita.* 263

Aldrovandi (*Ulyſſ.*) *vita.* ibid.

Alectorius *lapis fictitius.* 150

Algardus (*Alex.*) *ſculptor nobilis.* 253

Alienationes *bonorum an Regibus permiſſæ?* 258

Alilat *Dea quæ?* 335

nomen unde? ibid.

Alitta *Dea quæ?* ibid.

nomen unde? ibid.

Almamonis *Principis in Philoſophiam merita.* 320

Ambroſii *Orat. de nomine Brixienſium edita.* 562

Amelgardi, *Presbyteri Leodienſis, Excerpta libri de geſtis Ludovici XI, Gall. Reg. edita.* 51

Amor *an in mare, an in fœmina, ſit fortior?* 428

Amoris *furor unde?* ibid.

Amortizationes *in Gallia prohibitæ.* 258

De Anglicanis *rebus Libelli editi.* 53

Anguli *plani triſectio.* 576

Animæ *brutorum quid ſint?* 383

humanæ immortalitas aſſerta. 428

Animi *& corporis commercium.* 302. 608

Animorum *diverſitas unde?* 427 ſeq.

Anſelmi *Cantuarienſis ſententiæ ſingulares.* 293

Antiquaria *Societas Londinenſis deſcripta.* 429 ſeq.

Antiquarii *cujuſdam Praneſtini inſcitia notata.* 405

Apanagium *unde dictum?* 258

Apocryphorum *librorum hiſtoria critica.* 557

De Apollonii *Tyanenſis miraculis judicium.* 534

Apoſtoli *an fuerint Philoſophi?* 127 ſeq.

Appellationes *contra Pontificum tentata introductæ.* 258

Appendix *vermiformis inteſtini cœci ſine noxa animalium ablata.* 273

Aqua *elementaris ſive ſimpliciſſima an & cur reliquis præferenda?* 271

Aquæ *ſubterraneæ.* 152

frigidæ vis in morbis viſcerum ſanandis. 270

virtus in vulneribus conſolidandis. 270. 272

Aquam

Digitized by Google

Hane *(Phil. Frid.) de Origine Juris & Beneficii emigrandi, quod religionis cauſa in Germania noſtra obtinet.* 176
Harenbergii *(Jo. Chriſtoph.) Obſervatio de Jure Naturæ hypothetico.* 236
Hoffmanni *(Chriſtiani Godofr.) Introductio in Jus Publicum Germaniæ.* 595
Koch *(Henr. Andr.) de Expectativis & Inveſtitura eventuali Tractatus.* 410
Kœhleri *(Henr.) Exercitationes Juris Naturalis.* 168
Lupi *(Apollonii) Bullarium Canonicorum Regularium Rhenanæ Congregationis Sanctiſſimi Salvatoris.* 493
Piſtorii *(Wilb. Frid.) Amœnitates Hiſtorico-Juridicæ. Pars III.* 583
Polac *(Jo. Frid.) Matheſis forenſis.* 153
Sevillani *(Nicaſii) Primatus Hiſpaniarum vindicatus.* 145
Spenceri *(Jo.) de Legibus Hebræorum ritualibus Libri IV; ex ed.* Chriſtoph. Matth. Pfaffii. 296
Zangeri *(Jo.), aliorumque ſummorum JCtorum, de Exceptionibus & Replicationibus Opuſcula ſelecta.* 14

III. Libri Medici & Phyſici.

Anonymi *Proſpectus naturæ. Tomi I Pars I.* 516
Bachſtrom *(Jo. Frid.) Obſervationes circa ſcorbutum inſtitutæ.* 571
Caſpari *(Hieron.) Novæ & eruditæ Obſervationes Hiſtoricæ, Medicæ, & Naturales.* 598
Courraigne *(Hugonis) Tractatus de Febribus juxta circulationis leges.* 155
Fagini *(Erneſti) Diſpenſatorium Regium Electorale Boruſſo-Brandenburgicum denuo editum & locupletatum.* 59
Gianelli *(Caroli) Tentamen Medicinæ Theoretico-Practicæ, quo demonſtratur, ſummam Medici prudentiam in eo verſari, ut rationem & differentiam morbi accurate intelligat.* 301
Gimmæ *(Hyacinthi) Hiſtoria naturalis gemmarum & lapidum.* 148
Harenbergii *(Jo. Chriſtoph.) Obſervatio de Marium fœminarumque genitura phaſibus Lunæ accommodata.* 332

Hoffmanni *(Frid.) Conſultationum & Reſponſorum Medicinalium Centuriæ tres. Tomi II.* 413
Junckeri *(Jo.) Conſpectus Medicinæ Theoretico-Practicæ.* 354
Patunæ *(Nic.) de Herpete Tractatus.* 569
Piſani *(Angeli) Hiſtoria admirabilis Hyſtericæ affectionis in virgine Patavina.* 505
Plinii *(C. Secundi) Hiſtoriæ Naturalis ad Titum Imp. Præfatio; ex ed.* Dav. Durandi. 408
Regnaltii *Colloquia Phyſica Ariſti & Eudoxi. Tomus III.* 109
Tomus IV. 358
Roncalli *(Franciſci) Exercitatio Medico-Chirurgica; agens novam methodum exſtirpandi carunculas, & curandi fiſtulas urethræ.* 556
Sancaſſani *(Dionyſ. Andr.) Dilucidationes Phyſico-Medicæ. Tomus I.* 269
Scoti *(Guil.) Proluſiones Medicæ IV.* 506
Stentzelii *(Chriſtiani Godofr.) Toxicologia Pathologico-Medica; ſive de Venenis Libri III.* 16
Trew *(Chriſtoph. Jac.) de Vaſis linguæ ſalivalibus atque ſanguiferis Epiſtola.* 600
Welſted *(Roberti) Tentamen de variis hominum naturis.* 264
Werlhofii *(Pauli Gottlieb) Cautiones medicæ de limitandis laudibus & vituperiis morborum & remediorum.* 414
Zeigeri *(Ambroſii) Introductio rationalis ad Oeconomiam & artem perficiendæ Agriculturæ.* 309

IV. Libri Mathematici.

Carbonis *(Jo. Bapt.) Obſervatio Solaris deliquii, celebrati d. 25 Sept. A. 1726, habita Ulyſſipone.* 219
Obſervatio Lunaris Eclipſis, celebratæ Ulyſſipone d. 10 Octobr. A. 1726. 363
Corſini *(Eduardi) Inſtitutiones Philoſophicæ ac Mathematicæ. Tomus I & II.* 218
Erneſti *(Jo. Aug.) Initia doctrinæ ſolidioris. Pars I, Arithmeticam, Geometriam, Pſychologiam, & Ontologiam, complexa.* 606

Half-

Halfpenny *(Guil.) Magnum in parvo, ſeu Medulla Architecturæ.* 120
Hermanni *(Jac.) Compendii Mathematici, in uſum S. Maj. Imp. Ruſſiæ conſcripti, Tomus III.* 161
Luchini *(Dominici) Deliciæ Mathematicæ.* 278
Mœlleri *(Nic.) de Indubio Solis motu, immotaque telluris quiete, Diſſ.* 417
Pentheri *(Jo. Frid.) Gnomonica fundamentalis & Mechanica.* 25
Piovani *(Andreæ) Demonſtrationes Geometricæ in triſectionem anguli plani, &c.* 575
Polac *(Jo. Frid.) Matheſis forenſis.* 153
S. *(C. A.) Obſervatio nuperrimi Defectus Solaris, qui contigit A. 1734 d. 3 Maji.* 279
Stübneri *(Frid. Wilh.) Demonſtratio vera menſuræ virium.* 60
Thomas *(Corbiniani) Firmamentum Firmianum, ſeu Manuductio ad globum artificialem cœleſtem.* 308

V. Libri Hiſtorici, Geographici, &c.

Amati *(Jo. Mariæ) de Principe Templo Panormitano Libri XIII.* 289
Anonymi *Elogium Jacobi Auguſti Franckenſteinii, J. U. D.* 46
Ludovici Chriſtiani Crellii, Philoſophi Lipſienſis. 92
de Vita & rebus geſtis Clementis XI, Pontificis, Libri ſex. 97
Memoriæ arcanæ Aulæ Gallicæ. 593
Specimen Relationis de utroque ſtatu, tam Eccleſiaſtico, quam Politico, Civitatis Hamburgenſis, qualis olim fuit a tempore Caroli M. uſque ad tempora Friderici III, Imp. 192
Vita Wilhelmi I, Principis Auriaci. Pars I, II, III. 250
Index Alphabeticus pictorius. 256
Memoriæ Aulæ Hiſpanicæ ab A. 1679 ad 1681. 399
Libellus, quo præſens rerum Hibernicarum facies delineatur. 503
Behrens *(Conr. Bertholdi) Supplementa & Emendationes Hiſtoriæ generoſiſſimæ gentis Steinbergicæ.* 581

Bellorii (*Jo. Petri*) *Vitæ Pictorum, Sculptorum, atque Architectorum hodiernorum.* 252

Bertrami (*Jo. Frid.*) *Hiſtoria critica Joannis a Laſco. Pars II & III.* 582

Broſii (*Jo. Thomæ*) *Juliæ Montiumque Comitum, Marchionum, & Ducum, Annales. Tomi III* 495

Bruckeri (*Jac.*) *Hiſtoria Philoſophica, erotematice expoſita. Pars IV.* 124
Pars V. 319

Calmeti (*Auguſtini*) *Hiſtoria Lotharingiæ Sacra & Civilis. Tomi III.* 337

Cantelius (*Petr. Joſeph.*) *de Romana Republica.* 324

Caſpari (*Hieron.*) *Novæ & eruditæ Obſervationes Hiſtoricæ, Medicæ, & Naturales.* 598

Duellii (*Raymundi*) *de Fundatione Templi Cathedralis Auſtriaco-Neapolitani Diſſ.* 130

Fernandez (*Jo. Patricii*) *Hiſtorica Relatio de Apoſtolicis Miſſionibus Patrum Soc. Jeſu apud Chiquitos.* 329

Henrici IV, *Regis Galliæ, & Dominorum Villaregii & Puiſieuſii, ad Antonium Fabrum de la Boderie Epiſtolæ.* 56

Herttenſteinii (*Ludov. Bartholomæi*) *de Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ Principatu in Suevia Obſervatio hiſtorica.* 135

Hoſmanni (*Guſtav. Chriſtoph.*) *Chronologia ſacra Librorum Veteris Teſtamenti.* 169

Krauſii (*Theodori*) *Literati Suidnicenſes. Pars I.* 331

Labati (*J. B.*) *Relatio hiſtorica Æthiopiæ Occidentalis.* 498

Langemantelii (*Dan.*) *Hiſtoria Regiminis S. R. I. Liberæ Civitatis Auguſtanæ.* 563

Lioni (*Octavii*) *Imagines aliquot celebrium Pictorum Seculi XVII.* 253

Mackii (*Jo.*) *Memoriæ.* 395

Manelmi (*Evangeliſtæ*) *de Quibusdam geſtis in Bello Gallico Ill. Viri, Franciſci Barbari, Commentariolum.* 559

Marcheſii (*Georg. Viviani*) *Monumenta Virorum illuſtrium Galliæ togatæ.* 261

Martene (*Edmundi*) & Urſini Durandi *veterum Scriptorum & Monumentorum Hiſtoricorum, &c. Collectio. Tomus V, VI, VII.* 49

De

Aquam *in vulneribus ſolidarum partium ſanandis applicandi modus.* 271
Aqueus *oculorum humor an regeneretur?* 273
Aquilarum *nidi in montibus Pyrenæis.* 514
Arabum *Philoſophia illuſtrata.* 320
Aratio *prima qualis eſſe debeat?* 310
Archagatus *unde Romanis inviſus?* 305
De Archi-Epiſcopi *titulo Diſſ.* 244
Architectorum *aliquot vitæ.* 252 ſeq.
Arcimboldi (*Jo. Aug.*) *Literæ Indulgentiarum editæ.* 176
Arcus & *columnæ quinque ordinum quomodo delineandæ?* 120
Areoſti (*Lud.*) *vita.* 263
fortuna ſcenica. 12
de eo ſingularia. 12 ſeq.
(*Horat.*) *vita.* 263
Arithmeticæ *Elementa tradita.* 607
Arlequinus *nobilitatis juribus donatus.* 10
d'Arpino (*Joſeph. Caſ.*) *pictoris vita.* 254
De Aſſiſii (*Franc.*) *miraculis judicium.* 534
Aſteriſmorum & *ſignorum cœleſtium, eorumque characterum, origo.* 308
Aſterius (*Tertius Ruf. Apron.*) *ineptus Salluſtii gloſſator.* 583 b
Athenagoræ *Apologeticus qua ætate ſcriptus?* 522
Atomiſmus *ab injuſtis Peripateticorum cenſuris vindicatus.* 380 ſeq.
Aubains *unde dicti?* 259
Auguſtanæ *urbis regimen quale?* 563
Auſtriacæ *Domus in Suevia Principatus aſſertus.* 135 ſeq.
In Auſtriacis *ditionibus ſucceſſio fœminea omni tempore fuit uſitata.* 217
Axehielmii (*Jo.*) *ſcripta.* 352
de Ayala (*Jo. Interiani*) *Epiſtolæ editæ.* 401

B.

Bagnionii (*Jo.*) *pictoris vita.* 256
De Baptiſmo *priſcæ Eccleſiæ Diſſ.* 243
Hæreticorum quid ſentiendum? 346
De Barattaria *obſervatio.* 586
Barbari (*Franc.*) *geſta in bello Gallico deſcripta.* 560 ſeq.
ſcripta. 561
Libellus editus. 562
Barbeyracii (*Jo.*) *Opuſcula junctim edita.* 179 ſeq.
Barbierii (*Jo. Franc.*) *pictoris vita.* 256
Barocci (*Frid.*) *pictor nobilis.* 253

Bartoli (*Dan.*) *vita.* 263
Bazii (*Jo.*) *vita & ſcripta.* 350
Beccenſium *Abbatum VII geſta edita.* 55
Behmii (*Mich.*) *de Indigenatu Poloniæ Diſſ. recuſa.* 133
Belli *Sacri Hiſtoria continuata.* 53
Berengarii, *Theologi, hiſtoria.* 292
Bernii (*Franc.*) *vita.* 263
Bernini (*Jo. Laur.*) *pictoris vita.* 256
Beroaldi (*Phil.*) *vita.* 263
Bertrami (*Jo. Frid.*) *ſcripta promiſſa.* 583
Beſtiæ *utrum ſint rationis expertes?* 428
Bezæ (*Theodori*) *Epiſtolæ II edita.* 610
Bezoaris *Occidentalis ferax capricerva.* 150
Bibliotheca *Matth. Corvini carmine deſcripta.* 133
Bleſenſis (*Petr.*) *vita & ſcripta.* 294
Bœhmii (*Mart.*) *Diſſertationes recuſæ.* 132
Boilæi *Hiſtoria flagellantium in compendium redacta.* 292
Bonaventuræ, *Cardinalis, ſtultitia notata.* 534
De Boruſſorum *jure ſingulari Diſſ.* 132
Bothuidi (*Jo.*) *ſcripta.* 350
Breviaria *in Eccleſia Romana varia.* 203
Breviarium *quid ſit?* 202
unde dictum? ibid.
In Breviarium *Romanum Commentarius editus.* 202 ſeq.
Britanniæ *Proceres, regnante Guilielmo & Anna, deſcripti.* 396
Brixienſis *urbis fata.* 561
Brunelli *de Ordinibus Religioſis Sententia edita.* 55
Brunneri (*Mart.*) *Orat. in funere Stigzelii edita.* 352
Brunquelli (*Jo. Sal.*) *Jurisprudentiam illuſtrandi conſilium.* 601 ſeq.
Buchneri (*Godofr.*) *Epiſtolæ edita.* 231
Buddæi (*Nic.*) *ſcripta.* 352
Bufonites, *lapis fictitius.* 150
Bulla *collaris Romanorum unde dicta?* 215
Bure (*Catharinæ*) *ſcripta.* 353
Burei (*Andr.*) *ſcripta.* 352
Burneti (*Gilb.*) *elogium.* 397 ſeq.
teſtamentum & epitaphium. 399

C.

Cabbala *Judæorum deſcripta.* 126
Calcagnini (*Cœlii*) *vita.* 263
Campani (*Jo.*) *ſcripta.* 353
Canonici *quinam olim dicti?* 202
Seculares an ad beneficia apti? 494
Canonicorum *Rhemenſium antiquitas.* ibid.
In Cantica *Canticorum an Commentarium ſcripſerit Caſſiodorius?* 6

Capil-

Capillos *pulvere inſpergendi mos deriſus.* 502
Capricerva *bezoaris occidentalis ferax.* 150
Caroli M. *in Philoſophiam merita.* 321
IX, *Reg. Suec. in literas merita.* 349
De Caroli *Craſſi anno coronationis Diſſ.* 560
Carpeſani *(Franc.) Commentaria ſuorum temporum edita.* 55
Carracci *(Auguſtin.) pictor nobilis.* 253
Cartuſienſis *Ordinis Hiſtoria edita.* 55
Carunculæ *in urethra a gonorrhœa generatæ.* 356
Caſſiodorius *(M. Aur.) an ſcripſerit Commentarium in Canticum Canticorum?* 6
ejus Opera denuo edita. 1 ſeq.
loca quædam emendata. 4
vita. 7
Catechumeni *baptizati an ſint de Eccleſia?* 68
Cathedrale *Templum Auſtriaco-Neapolitanum quando & a quo fundatum?* 130 ſeq.
ejus Antiſtites. 131
Catrou *(Franc.) laudatus.* 103
Cavazzi *(Jo. Ant.) in Conchenſes terras itinera.* 500
Cavernæ *ſubterraneæ.* 152
de Champs *(Steph.) vita & ſcripta.* 592 ſeq.
Chavignius *refutatus.* 217
Checcotius *(Jo.) laudatus.* 406
Chelidonius *lapis fictitius.* 150
Chemnitius *(Bogisl. Phil.) ſub nomine Hippolithi a Lapide num lateat?* 239 ſeq. 349 ſeq.
Chiquitorum *mores ritusque deſcripti.* 329
De Choineciæ *urbis conſtantia Diſſ.* 132
Chriſtus *per piaculare Vet. Teſt. ſacrificium denotatus.* 32
an a Tiberio inter Divos relatus? 242
an paſſione ſua ſibi aliquid promeruerit? 316
Chronici *morbi quomodo curandi?* 414
Chronologia *ſacra librorum Vet. Teſt. ſtabilita.* 170 ſeq.
Chytræi *(Dav.) ad Monavium Epiſtola edita.* 610
Ciceronis *Orationes denuo editæ.* 246 ſeq.
Circuli *quadraturæ novæ tres.* 576
De Clemente *Alexandrino judicium.* 243
Clementis XI, *Pont. Max. vita deſcripta.* 97 ſeq.
ſcripta. 99
De Clœſelii *Card. ex urbe Viennenſi relegatione Anecdota.* 586
Cluniacenſis *(Petr.) vita & ſcripta.* 294

Cœlibatus *an ſit matrimonio præferendus?* 428
De Cœmeteriis *veterum Chriſtianorum Diſſ.* 243
Cœnobitis *vivendi norma præſcripta.* 194 ſeq.
Coggeshale (*Radulphi*) *Chronicon Terræ Sanctæ editum.* 53
— *de Rebus Anglicanis libri editi.* ibid.
Columnæ & *arcus quinque ordinum quomodo delineandi?* 120
Comnenæ (*Annæ*) *hiſtoria.* 293
Comœdiæ *in Italia quæ olim ratio fuerit?* 9
Comœdiarum *Italicarum Catalogus.* ibid.
Conchenſis *regio deſcripta.* 500 ſq.
Conciliorum *origo.* 67
Concilium *quid ſit?* 65
— *quibus perſonis conſtet?* ibid.
— *quis convocet?* 66
— *œcumenicum an ſit infallibile?* 67 ſeq.
— *an ſit ſupra Papam?* 344
Ad Concilium *univerſæ Eccleſiæ provocatio Gallorum.* 524
Concionatoribus *in quantum auditorum vitia reprehendere liceat?* 181
Conradus *Salicus an perpetua lege filiis jus ſuccedendi in Feuda tribuerit?* 411 ſeq.
De Conſtantini M. *Baptiſmo & Donatione Diſſ.* 243
Copernicanum *Syſtema laudatum.* 308
— *impugnatum.* 417
Cornelius *Nepos Italice verſus.* 248
De Cornibus *fœminarum varia.* 428
Corporis & *animæ conjunctio qualis?* 302. 608
— *partes ſolidæ unde ſint compoſitæ?* 303
Corpus *ex quibus vaſis conſtet?* 157
— *ſemel motum, an in infinitum moveatur, niſi impediatur?* 115
Corruptio *hominis duplex.* 44 ſeq.
Corvini (*Matth.*) *in rem literariam merita.* 133
— *Bibliotheca.* ibid.
Corvinus *lapis fictitius.* 150
De Coſacis *Diſſ.* 132
Coſchwitzii *ductus ſalivales an genuini?* 600
Courayerii *Epiſtola edita.* 211
Crellii (*Lud. Chr.*) *vita & ſcripta.* 93 ſeq.
Cubi *duplicatio nova.* 576
De Cultu *Imaginum Libri cujus juſſu ſcripti?* 245
Cuprum *quomodo producendum?* 359
De Curoniæ *fatis Diſſ.* 132
Cyrilli *vita S. Sabæ fabuloſa.* 244

D. Da-

Digitized by Google

D.

Damiani *(Petr.) vita & ſcripta.* 293
Danica *Eccleſia quando primum reformata?* 174 ſeq.
Degradationis *Clericorum quæ cerimoniæ olim fuerint uſitatæ?* 259
Demonſtratio *an latius pateat ratiocinatione?* 75
Mathematica an ad Syllogiſmum referenda? 82
De Denario *Petri Britannico Diſſ.* 292
Deſcenſus *Chriſti ad inferos vindicatus.* 91 ſeq.
De Deſiderii, *Longob. Regis, anno primo regni Diſſ.* 560
Deus *an interdum ex arbitrio agat?* 185
ejus epitheta & ſynonyma. 44
eſſentia demonſtrata. 164
bonitas demonſtrata. 183
exiſtentia demonſtrata. 427
Diaboli *in magos imperium exemplis demonſtratum.* 143
Diaconi *(Pauli) geſta Epiſcoporum Metenſium edita.* 339
Per Dialogos *Philoſophiam tradendi ratio.* 109
Dictatus *Papæ unde?* 293
De Diſciplina *veteri Eccleſiaſtica Diſſ.* 243
Divortio *an fundamentum præbeat ſterilitas uxoris?* 399
De Dominici *miraculis judicium.* 533
De Dominiorum *Jure Diſſ.* 169
Dotalitii *Jus in Gallia quando receptum?* 259
Dreſigii *(Sigiſm. Frid.) cum M. Georgio controverſia.* 89
Ductus *ſalivales a Coſchwitzio deſcripti an ſint genuini?* 600
Duella *num antiquis cognita?* 179
De Duellis *medio ævo funeſtis Diſſ.* 340
Duellorum *origo.* 180
moralitas. ibid.
De Dupinii *(El.) Bibliotheca Eccleſiaſtica judicium.* 542 ſeq.
Durandi (*Dav.*) *in Plinii Præfationem merita.* 408 ſeq.
Düreri *(Alb.) pictoris vita.* 257
Durities *corporum minimorum unde?* 118
ejus ratio. ibid.
van Dyck *(Ant.) pictor nobilis.* 253

E.

Ebion *num nova inter Chriſtianos Secta autor fuerit?* 523
Ebur *an comprimi poſſit?* 114
Eccleſia *quid ſit?* 68
num ſit infallibilis? 69
Sub Eccleſia *militante an ſint homines peccatores baptizati?* 68
De Eccleſiæ *Autoritate liber promiſſus.* 426

Eccleſiaſticæ & civilis poteſtatis limites. 530 ſeq.
Eccleſiaſtici genuini num ſint in Eccleſia Proteſtantium? 121 ſeq.
Annales editi. 222 ſeq.
Eccleſiaſtico Doctori qua in Magiſtratum poteſtas competat? 180
Eccleſiaſticorum Scriptorum Hiſtoria generalis edita. 541 ſeq.
Eclectica Philoſophia propoſita. 218
Eclipſis Solaris obſervatio A. 1726. 219
A. 1734. 280
Lunæ obſervatio A. 1726. 363
Educatio infantum commendata. 428
Edzardi (Seb.) ſcripta igne combuſta. 498
Ekkewardi de Expugnatione Hieroſolymitana Liber editus. 53
Elaſticitatis ratio. 117. 119
Electa Domina Joannis quæ fuerit? 540
De Elementis mundi obſervatio. 233
Eliſabethæ, Henrici IV, Reg. Gall. filiæ, cur unus tantum in Baptiſmo teſtis adfuiſſe memoretur? 57
Emigrandi Juris hiſtoria. 177
Enandri (Sam.) ſcripta. 352
De Epiſcopis Eccleſiarum Lotharingiæ Diſſertationes. 338
De Epiſcoporum electione antiqua Diſſ. 243
Inter Epiſcopos & Presbyteros nihil olim diſcriminis interceſſit. 242
Epternacenſia Chronica edita. 51
Epternacenſis Monaſterii libertas vindicata. ibid.
De Eſdræ Libris varia. 549 ſeq.
Eſtheræ Liber a quo ſcriptus? 551 ſeq.
de ejus ſenſu Biblico Diſſ. 231
Ethnicorum ſtudium imitandi Chriſtianos. 522
Evangeliſtarum Hiſtoria Critica. 555 ſeq.
De Exauctoratione Wenceslai Imp. Acta edita. 50
De Exceptionibus Diſſertationes recuſæ. 14 ſeq.
Excerpendi nova methodus. 285
Ab Excommunicatione immunes ſunt Reges Galliæ. 259
Officiales Gallorum. 260
Expectativarum doctrina illuſtrata. 410 ſeq.
De Expeditionibus cruciatis judicium. 293
Circa Experimenta quid obſervandum? 508
De Extemporalitate ſcenica quid ſentiendum? 9
Extenſio quomodo concipienda? 115

F.

Facultatum hominis naturalium œconomia. 427
Fatum quid ſit? 428
Febris definitio. 159
cauſa proxima. ibid.
Felicitas hominis temporalis quid ſit? 427

Fene-

Digitized by Google

Fenelonii *de Arte Pictoria Dialogi II editi.* 580
Ferratii (*M. Ant.*) *in Orationes Ciceronis merita.* 246
Feſti *commemorationis S. Willibrordi Hiſtoria.* 51
Fibræ *unde oriantur?* 303
quales ſint? ibid.
In Fibrarum *ſtrictura quæ ſint remedia adhibenda?* 304. 307
Fidei *ſimplicitas in quo conſiſtat?* 426
Fimus *cur hieme in campos deducendus?* 312
Finnlandia *literata promiſſa.* 354
Fiſtulæ *in perinæo & ſcroto unde oriantur?* 356
urethræ quomodo calloſæ evadant? ibid.
Flagellantium *Hiſtoria in compendium redacta.* 292
Flaminii (*Jo. Ant.*) *vita.* 263
(*M. Ant.*) *vita.* ibid.
S. Florentii *Monaſterii Salmurienſis Hiſtoria & Chronicon edita.* 54
Florentini (*Remig.*) *Italica Corn. Nepotis verſio caſtigata.* 249
Fluida *corporis, an ſolida, magis deceat Medicum conſiderare?* 507
Fluidorum *& ſolidorum corporis humani mutua in ſe actio.* 158
Fœmina *an ad mulæ, an ad capræ, naturam propius accedat?* 428
Fœminæ *eruditæ exemplum.* 352. 353
Fœminarum *ſucceſſio in ditionibus Auſtriacis omni tempore fuit uſitata.* 217
De Fœminarum *cornibus varia.* 428
Fontana (*Dominic.*) *architectus nobilis.* 253
Formicæ *an arboribus damnum afferant?* 513
pulicum viridium terreſtrium inimicæ. ibid.
Formicarum *natura.* 512
ovula an vere talia ſint? 514
ortus. ibid.
transformatio. ibid.
Formula *Concordiæ an ſit in Dania combuſta?* 369
Fornelii (*Laur.*) *carmina.* 352
Fortuna *quid ſit?* 428
Foſſilium *notiones.* 148
Franckenii (*Jo.*) *ſcripta.* 351
Franckenſteinii (*Jac. Aug.*) *vita & doctrina.* 46 ſeq.
Francorum *veterum Annales editi.* 54
Fridericus I *Imp. an Papæ pede calcatus?* 294
ejus mortis genus quale? ibid.
Frigidæ *vis in ſanandis viſcerum morbis.* 270
in conſolidandis vulneribus. ibid.
Friſiæ *Orientalis Eccleſiarum fata.* 583

Frondeurs, *factionis Gallicæ, origo.* 594
Fulberti, *Carnotenſis Epiſcopi, dogmata.* 292

G.

Galliæ *togatæ viri illuſtres recenſiti.* 262 ſeq.
De Galliæ *civilibus diſſenſionibus Commentarii editi.* 55
Gallorum *Jura quædam ſingularia.* 260
Garetii (*Jo.*) *in Opera Caſſiodorii merita.* 1
Geddeſii (*Mich.*) *Martyrologium Proteſtantium Hiſpanorum Latine verſum.* 515. 526 ſeq.
de eo ſingularia. 527
Gemma *quid?* 149
Gemmæ *noctu lucentes ſuſpectæ.* ibid.
veræ ſpuriis frigidiores. 150
an & quomodo tactu & gravitate cognoſcendæ? ibid.
Gemmarum *ſpecies.* 148
generatio. ibid.
uſus. ibid.
color unde? 149
Gemmis *an regnum Conchenſe abundet?* 502
Generatio *hominis ex Jobo illuſtrata.* 40 ſeq.
Geneſis *Latine & Gallice reddita.* 374 ſeq.
De Geniis *varia.* 428
Geometriæ *Elementa tradita.* 607
Georgii (*Chr. Sig.*) *cum M. Dreſigio controverſia.* 89
Germanicæ *linguæ Grammatica nova.* 287
Germanico-*Anglicanum Lexicon promiſſum.* 288
Geſta *Trevirorum edita.* 339
Giordani (*Luc.*) *pictoris vita.* 253
Glandularum *tumores epidemici.* 599
Gnomonica *fundamentalis & mechanica.* 25
Gnomonicæ *tabulæ novæ.* 278
Goldbergenſia *Memorabilia Eccleſiaſtica edita.* 231
Goslarienſis *Eccleſiæ turbæ expoſitæ.* 526
Gothi (*Jonæ Petri*) *ſcripta.* 351
De Græcarum *vocum abuſu Theologico Diſſ.* 231
Grandimontenſium *Priorum Hiſtoria edita.* 55
Granii (*Nic.*) *vita & ſcripta.* 350
Gratiæ *cæleſtis cum libertate creata concordia.* 383
Gravina *Philoſophus & homo dives.* 405
Gregorii M. *Papæ ignorantia literarum.* 244
Grillo-talpæ *deſcriptio.* 511
natura qualis? ibid.
Grumbachianæ *litis hiſtoria.* 586
Guarini (*Bapt.*) *vita.* 263

Guillel-

Digitized by Google

Guillelmini *(Domin.) vita.* 263
Gundlingius *(Nic. Hier.) refutatus.* 411
Guſtavi *Adolphi, Reg. Succ. in literas merita.* 349 ſeq.
Gyllenſtolpe *(Mich. Wexionis) ſcripta.* 352
Gyraldi *(Jo. Bapt.) vita.* 263

H.

Hæretici *num ſint in Eccleſia?* 68
Hæreticorum *quot ſint genera?* 345 ſeq.
Hambræi *(Jon.) vita.* 351
Hamburgenſis *Civitatis Hiſtoria antiqua promiſſa.* 192
Hebræarum *literarum cognationes demonſtratæ.* 418 ſeq.
— *vocum difficiliorum ſignificatus explicati.* 420 ſeq.
De Hebræarum *literarum ſignificatione hieroglyphica Epiſtola edita.* 231
Hebraicum *Lexicon editum.* 605
Helenæ *inventio crucis Chriſti in fabulis numeranda.* 243
Henricus IV, *R. Gall. Jacobo I, R. Angl. amiciſſimus.* 57
— *an Charlottam Margaritam Montmoranciam clam ex ædibus Auraſionenſium in Galliam reduci juſſerit?* 58
— *ejus Epiſtolæ editæ.* 56
Heraldica *verſibus propoſita.* 325 ſeq.
Herbarum *ſubacidarum & ſubamararum in ſcorbuto uſus.* 571
Herpes *ut debeat profligari?* ibid.
— *ejus variæ ſpecies, harumque ſigna.* 570
Ex Hibernia *quæ emolumenta in Angliam redundent?* 503
Hibernicarum *rerum præſens facies delineata.* ibid.
Hibernis *quæ cum exteris commercia?* 504
Hierarchia *Eccleſiæ Monarchica ſtabilita.* 344
Hieronymi *nævi.* 244
De Hieroſolymitana *expeditione Scriptores varii editi.* 53
Hiſpanicæ *aulæ facies deſcripta.* 400
Hiſtoriæ *Eccleſiaſticæ definitio.* 407
Hiſtriones *quales olim fuerint?* 9
Hochzeit *quid olim denotaverit?* 585
Hoffmanni *(Jo. Ad.) in Jobi expoſitionem merita.* 34 ſeq.
— *(Jo.) vita & ſcripta.* 332
Hominis *generatio ex Jobo illuſtrata.* 40 ſeq.
— *corruptio duplex.* 44 ſeq.
De Honoris *defenſione Diſſ.* 179
Honorius *Papa Monotheliſmi accuſatus.* 245
Horologiorum *ſolarium deſcriptio.* 278
Ad Hoſium *(Staniſl.) Epiſtolæ MStæ variorum editæ.* 232
Hoſmannus *(Guſt. Chriſt.) laudatus.* 169

Hoſmanni *cum Koblreiſio controverſia.* 170

Hottomanni (*Franc.*) *Legum Rom. Enumeratio recuſa.* 212

de Magiſtratibus Rom. Deſcriptio recuſa. ibid.

de Senatu Libellus recuſus. ibid.

Deſcriptio JC-torum, qui a Pomponio enumerantur, recuſa. ibid.

Formularum antiquarum Reliquiæ recuſæ. ibid.

S. Huberti *Monaſterii Andaginenſis Hiſtoria edita.* 51 ſeq.

Humidum *aereum quomodo ſanguini admiſceatur?* 506

Humores *oculorum an regenerentur?* 273

Hypatia, *Philoſopha, an fuerit Iſidori uxor?* 129

Hypochondriacum *malum quotuplex?* 305

in eo qualis uſus lactis? 306

qualis uſus thermarum? ibid.

In Hyſterico *malo contumaci qualis uſus venæſectionis?* 585

Hyſtericum *malum quotuplex?* 305

I.

Jacobi II, *R. Angl. ingenium deſcriptum.* 396 ſeq.

Jænichii (*Petr.*) *de Matth. Corvini in rem literariam meritis Diſſ. recuſa.* 133

Jænichii (*Petri*) *de Vineis Hungariæ Diſſ. recuſa.* 133

de Certaminibus & præmiis Poetarum Diſſ. edita. ib.

Janſeniani *an ſint in numerum Hæreticorum referendi?* 342

Janſenius *plagii accuſatus.* 591

Hæreticis adſcriptus. ibid.

Idealiſtarum *ineptiæ.* 111

De Idiotiſmis *dictionis Nov. Teſt. Diſſertationes editæ.* 88 ſeq.

De Jejuniis *veteris Eccleſiæ Diſſ.* 243

Ignatii *Epiſtolæ omnes fictitiæ.* 242

Ignes *ſubterranei.* 152

eorum iter. ibid.

Ignorantia *literarum inexcuſabilis.* 281

ejus origo & diviſio. ibid.

Immortalitas *animæ aſſerta.* 428

Imperatores *Chriſtiani quibus olim titulis mactati?* 244

De Indigenatu *Poloniæ & Pruſſiæ Regiæ Diſſ.* 133

Indulgentiarum *literæ editæ.* 176

Infallibilitas *Pont. Rom. aſſerta.* 342

Ingenii *acumen quid?* 85

Ingeniorum *varietas an a locorum aut temporum diverſitate petenda?* 281

Innocentiam *probandi modi varii.* 292

Inveſtitura *Feudalis quid ſit?* 412

Invocationis *Sanctorum origo & progreſſus.* 244

De Joanna *Papiſſa narratio num vera?* 245

Joan-

Joannes *Apoſtolus an in fervens oleum conjectus?* 523
Joannis *Epiſtola II a quo & ad quem ſcripta ſit?* 536 ſeq.
Auſtriaci hiſtoria expoſita. 400
Jobus *an re vera extiterit?* 36
eſt Patronus lue venerea laborantium. 38
typus primæ Eccleſiæ. 423 ſq.
ejus vita. 36 ſeq.
Liber a quo ſcriptus? 38 ſeq.
nova Expoſitio edita. 34 ſeq.
ſtilus qualis? 38
Commentatores recenſiti. 39
loca quædam illuſtrata. 40 ſeq.
veritas aſſerta. 552
Jornandes *de Getarum origine denuo editus.* 5
Joſuæ *Libri hiſtoria.* 548
Iſthmenii (*Iſ.*) *ſcripta.* 353
Judithæ *Liber an Canonicis adſcribendus?* 551
Juliacenſium *rerum Annales editi.* 496
Juno *Lucinia unde Soſpita dicta?* 333
ejus effigies qualis? ib.
De Juramento *Promiſſorio quæſtio illuſtrata.* 315
Jureconſulti, *quos Pomponius profert, enumerati.* 216
Jureconſultorum *ſuperioris ævi catalogus.* 294
veterum de jure ſentiendi diverſitas. 612 ſeq.
Juris *Naturæ principium.* 168
Publici Scriptorum Bibliotheca edita. 596 ſeq.
Romani vocabula quando primum in fora Germanica irrepſerint? 584 b
Jus *Naturæ hypotheticum illuſtratum.* 236 ſeq.
Juſtificatio *quid ſit?* 108

K.

Keleri (*Pauli*) *Deſcriptio topographica vinearum Hungariæ edita.* 133
Kexleri (*Sim.*) *Matheſis univerſa MSta.* 353
Kitſchii (*Henr.*) *de Magiſtratibus Rom. Liber recuſus.* 212
Kizingenſis *Monaſterii hiſtoria.* 586
Kohlreiſii *cum Hoſmanno controverſia.* 170
Kriegkii (*Ge. Nic.*) *vita & ſcripta.* 90 ſeq.

L.

De Lachrymis *Diſſ.* 428
Lactis *uſus in malo hypochondriaco.* 306
De Læſi *in lædentem jure Diſſ.* 169
Lanfranius (*Jo.*) *pictor nobilis.* 253
Langemantelii (*Dan.*) *Hiſtoria reginimis Auguſtani edita.* 563
a Lapide (*Hippol.*) *quis fuerit?* 239. 349 ſeq. 581

a Lapide *(Hippol.) nominis origo.* 239 ſeq.
De Lapide *Philoſophorum judicium.* 427
Lapides *aliquot fictitii enumerati.* 150
— *varii in partibus animalium.* ibid.
— *figurati.* 151
Lapideſcentes *ſucci.* 149
Lapideſcere *quomodo materiæ diverſæ poſſint?* 360
Lapidum *ſpecies.* 148
— *generatio falſa.* ibid.
— *uſus.* ibid.
— *an dentur ſemina?* 360
— *vegetatio falſa.* ibid.
a Laſco (*Jo.*) *hiſtoria.* 582 ſeq.
Latina *lingua ſub Rudolphi I adhuc ætate uſitata fuit in Protocollis.* 584 b
De Latiniſmis *Nov. Teſt. controverſia.* 89
Laurelii (*Olai*) *ſcripta.* 352
S. Laurentii *Monaſterii Leodienſis Hiſtoria edita* 52
Lazzi *quid ſit Italis in ſcena?* 11
Lectio *Nobilis, Waldenſium carmen editum.* 293
Leges *Rom. ad Indicem Labitti in ordinem redigendi conſilium.* 611 ſeq.
Lenæi (*Jo. Canuti*) *ſcripta.* 351
Leodienſia *Chronica edita.* 52
Leodienſium *Pontificum geſta edita.* 51
De Libero *arbitrio controverſia.* 300
Libertas *hominis aſſerta.* 187
Librorum *ſuppoſitorum inter Chriſtianos cauſæ.* 521 ſeq.
Lien *an ex corpore exſcindi poſſit ſalvo animali?* 274
Lignicenſes *Annales editi.* 206
Ad Limborchium *Epiſtolæ Lockii editæ.* 286
Lioni (*Octav.*) *pictoris vita.* 254
— (*Lud.*) *pictoris vita.* ibid.
E Literis *quos fructus percipiat Reſpublica?* 180
Loci *Theologici quid ſint?* 62
Lockii (*Jo.*) *Opera varia edita.* 284 ſeq.
Logica *mathematice expoſita.* 587 ſq.
De Lojolæ (*Ignat.*) *miraculis judicium.* 534 ſeq.
Loquela *quomodo per intervalla amitti & recuperari poſſit?* 362
Lotharingiæ *Hiſtoria edita.* 338 ſeq.
De Lotharingiæ *Eccleſiarum Epiſcopis Diſſertationes.* 338
Lotharingicæ *Domus origo.* 338 ſeq.
Ludovici XIV, *Gall. Reg. impuberis aula deſcripta.* 593
De Ludovici II *Imp. nova Epocha Diſſ.* 560
— XI, *Gall. Reg geſtis ſingularia edita.* 51
Lullii (*Raym.*) *vita & Philoſophia.* 324
Lumen *an corpus?* 113
Lunæ *imagine cur inſignitus fuerit Rom Senatorum calceus?* 216
Lutherus *an ſocietatem cum diabolo inierit?* 144

M. Mac-

Digitized by Google

M.

Maccabæorum *Libri an ſint Canonicis adſcribendi?* 554
Mackii (*Jo.*) *in Britanniam merita.* 396
Maffei (*Scip.*) *Comœdiæ Italis commendatiſſimæ.* 11
Magi *a diabolo per aerem deportati.* 143
Magia *an ad cauſas naturales referenda?* 142
De Magia *argumentum illuſtratum.* 428
De Magiſtris *Pruſſiæ Generalibus Diſſ.* 132
Magnetis *declinatio quomodo invenienda?* 26
Magni (*Jonæ*) *ſcripta.* 351
Malachiæ *de Pontificibus Rom. vaticinia expoſita.* 294
Malebranchii *de origine idearum ſententia impugnata.* 286
Mali *origo explicata.* 182 ſeq.
Malpighii (*Marc.*) *vita.* 263
Manelmi (*Evangeliſtæ*) *Commentarius hiſtoricus editus.* 561
Manfredi (*Euſtach.*) *vita.* 263
Manichæorum *Galliæ doctrina.* 292
De Manuum *impoſitione Diſſ.* 243
Maratti (*Car.*) *pictoris vita.* 256
Mariæ *Virgini ineptæ laudes tributæ.* 61 ſeq.
— *Ottonis III Imp. uxoris, vivicomburium in fabulis habendum.* 292
Marmorum *genera.* 151
— *origines.* ibid.
Marpergerus (*Bern. Walth.*) *laudatus.* 28
De Marquiſii *titulo Diſſ.* 340
Marſilii (*Aloyſ. Ferd.*) *vita.* 263
Martini (*Olai*) *vita & ſcripta.* 350
— (*Eman.*) *Carmen & Epiſtolæ editæ.* 401 ſeq.
— *ejus vita.* 402 ſeq.
Martyrologium *Proteſtantium Hiſpanorum editum.* 515
Maſtrichtii (*Gerh.*) *Epitome Juris Canonici.* 293
Materia *ſubtilis Carteſii.* 112
— *elaſticitatis cauſa.* 117. 119
— *an Ariſtoteli fuerit nota?* 114
— *aere ſubtilior qualis?* 112
— *unde probetur?* ibid.
Materiæ *exiſtentia an operoſe probanda?* 111
— *ſubtilis vis.* 113
Mathematica *methodus explicata.* 384
— *ad Logicam applicata.* 587 ſeq.
— *demonſtratio an ad Syllogiſmum referenda?* 82
Matius *refutatus.* 376
S. Matthiæ *Trevirenſis Chronici Fragmentum editum.* 51
Matthiæ (*Jo.*) *ſcripta.* 351
Mayeri (*Jo. Frid.*) *Eclogæ Evangelicæ editæ.* 314 ſeq. 367
Mazarinio *Card. quæ patria fuerit?* 595

Melanchthon, *an ſocietatem cum diabolo inierit?* 144
Meridiana *linea ut invenienda?* 26
Merigi (*Mich. Ang.*) *pictor nobilis.* 253
Meſſeni (*Jo.*) *vita & ſcripta.* 350
Metallorum *ſemina num dentur?* 360
Methodus *demonſtrativa an ſit Mathematica?* 232
Mathematica explicata. 384
Micrologus *an inter ſcriptores referendus?* 202
Mignardi (*Petr.*) *pictoris vita.* 578 ſeq.
De Militia *veterum Romanorum Diſſertationes.* 325
Miltopæi (*Mart.*) *Orat. in funere Kexleri edita.* 353
Miniſtrorum *verbi divini ſtudia ut inſtituenda?* 610
Miracula *Miſſionariorum apud Chiquitos.* 330 ſeq.
De Miraculis *Diſſ.* 285
Pythagoræ & aliorum judicium. 533 ſeq.
Miſſionum *Apoſtolicarum apud Chiquitos Hiſtoria.* 329 ſeq.
Mœlnenſis *civitatis Chartularium editum.* 584 b
De Molineti *vita & ſcriptis Epiſtola edita.* 231
Monachi *ad literas parum apti.* 200
SS. Monachorum *Acta edita.* 55
De Monachorum *origine Diſſ.* 243
Monades *quid?* 164
Monadum *demonſtratio.* ibid.
uſus. ibid.
Monaſteriorum *aliquot Hiſtoriæ editæ.* 51 ſeq.
Monaſtica *vita cur diſſuadenda?* 198 ſeq.
ejus hiſtoria deſcripta. 194
origo. 195
de ejus moralitate judicium. 197 ſeq.
In Monſtris *qualis eluceat ordo?* 415
Morbi *chronici quomodo ſanandi?* 414
Morborum *ſpaſmodicorum remedia.* 305
laudes & vituperia ut limitanda? 415
Morbus *quid ſit?* 158
Morlachorum *vermes cutanei.* 599
Morum *origo quæ?* 428
Moſaicorum *Scriptorum hiſtoria.* 547
Moshemii (*Jo. Laur.*) *Diſſertationes Hiſt. Eccleſ. editæ.* 515
Motum *corpus an in infinitum moveatur, niſi impediatur?* 115
Motus *ſpaſmodici unde oriantur?* 305
quem corpus perdit, an in aliud propagetur? 117
Muhammetana *religio quantum impedimenti Philoſophiæ objecerit?* 320
Muhlii (*Henr.*) *mors.* 174
Mundrecht *quid denotet?* 586

Digitized by Google

Mylitta *Dea quæ?* 335
Mylonii (*Matth.*) *ſcripta.* 353
De Myſteriis *rationis & fidei judicium.* 376

N.

Naldii (*Naldi*) *de Laudibus Bibliotheca Corviniana Carmen editum.* 133
Natura *cum arte comparata.* 427
— *parentum quid valeat in naturam liberorum?* 264
— *quævis an ſit ad certos morbos proclivis?* 265
— *corporis humani quotuplex?* 264
De Natura *humana morali Diſſ.* 169
Naturæ *propria an ætatibus mutentur?* 206
— *Medicæ vera idea.* 415
In Naturæ *erroribus qualis eluceat ordo?* ibid.
De Naturali *Lege, ejusque obligatione, Diſſ.* 169
De Naturalis *Legis imputatione Diſſ.* ibid.
Nauticæ *rei antiquitas illuſtrata.* 40
De Neocaſtro (*Barth.*) *Hiſtoria ſui temporis edita.* 290
Nicolaitarum *an re vera hæreſis extiterit?* 523
Nihil *an aliquid?* 428
Nitrum *quomodo in oleum vegetabile mutandum?* 311
De Nobilitate *vera judicium.* ibid.
Noodtii (*Ger.*) *vita.* 179
Norrmanni (*Laur.*) *Orat. in funere Oxenſtiernæ edita.* 354
Novarum *rerum ſtudium noxium.* 111
Noveſienſes *Annales editi.* 51
Nummariæ *rei veterum compendium.* 191
— *utilitas.* ibid.
Nummi *rariores prolati.* ibid.
Ad Nummos *coloniarum Rom. Vaillantii appendix.* ibid.
Nuptiales *Rom. mores illuſtrati.* 325

O.

Obſervationum *in Medicina uſus.* 413
Oculorum *humores an regenerentur?* 273
Oeconomiæ *ruſticæ theoria.* 310
Officii *ſacri recitandi ritus antiqui.* 205
De Officiis *hominum naturalibus Diſſ.* 169
Oleum *vegetabile pro agris ſtercorandis.* 311
— *ejus in ſeminibus humectandis uſus.* 312
Ontologiæ *Elementa tradita.* 607
De Ordinibus *Religioſis Scriptores editi.* 55
Orientalium *Linguarum Profeſſorum in Academia Vitembergenſi in LL. OO. merita.* 231
Oxenſtiernæ (*Axelii*) *vita & ſcripta.* 349
— (*Bened.*) *vita & ſcripta.* 354

Digitized by Google

P.

De Pactitio *Jure Diſſ.* 169
Palladii *Theatrum Olympicum deſcriptum.* 12
Panormitanæ *urbis hiſtoria deſcripta.* 289
Panormitani *Templi Cathedralis hiſtoria.* 289 ſeq.
Paralipomenon *Librorum quis fuerit autor?* 549
Pariſienſis *curia quanto olim in honore fuerit?* 260
De Pariſii *Abbatis miraculis judicium.* 533
Parvi (*Lamb.*) *Leodienſe Chronicon editum.* 52
Patrum *Eccleſiæ quæ ſit autoritas?* 71
vitæ enarratæ. 243
De Patrum *Philoſophia quid ſentiendum?* 128
Paulini (*Laur.*) *vita & ſcripta* 350
Paulus *Apoſtolus an fuerit Philoſophus?* 127
ejus Epiſtolæ quomodo intelligi poſſint? 28
Pelargi (*Chriſt.*) *vita & ſcripta.* 332
Peregrinationes *quid conferant ad ſcientiam medicam augendam?* 509
Perionii (*Joach.*) *de Rom. & Græc. Magiſtratibus Libri recuſi.* 212
de eo judicium. 215
Petræi (*Eſkillii*) *vita & ſcripta.* 351
Petreji (*Petri*) *ſcripta.* 350
Petri *Divenſis geſta Abbatum Beccenſium edita.* 55
Pfaffii (*Chriſt. Matth.*) *in Spencerum de* LL. *Hebr. merita.* 297
Philippus *Imp. num fuerit Chriſtianus?* 243
Philo *Judæus cur ab Hieronymo inter Scriptores Eccleſiaſticos ſit relatus?* 558
ejus in Philoſophiam merita. 125
Philologicarum *Diſſertationum Collectio edita.* 385 ſeq.
Philoſophi & *Politici comparatio.* 431
Philoſophia *Wolfiana Tabb. comprehenſa.* 217 ſeq.
Arabum illuſtrata. 320
Scholaſticorum illuſtrata. ibid.
Platonicorum novorum illuſtrata. ibid.
an vires ſuppeditet ad adverſa perferenda? 427
Eclectica. 218
De Philoſophia *Scholaſtica judicium.* 323
Ex Philoſophia *Platonica quæ in Eccleſiam damna redundaverint?* 518 ſeq.
Philoſophiæ *Judaicæ hiſtoria deſcripta.* 125
Chriſtianorum veterum hiſtoria deſcripta. 127
Scholaſticæ ortus. 322
Philoſophiam *per Dialogos tradendi ratio.* 109
Philoſophorum *Scholaſticorum vita & ſcripta.* 322 ſeq.

Phle-

Phlebotomiæ *ſæpius repetitæ noxa.* 304
Pictaviæ *Comitum Chronica edita.* 54
Pictorum *aliquot vitæ.* 252 ſeq.
imagines. 254
Pilularum *Gherlii in obſtructionibus uſus.* 307
La Placette *(Jo.) laudatus.* 107
Plagia *Janſenii.* 591
Ex Platonica *Philoſophia quæ in Eccleſiam damna redundaverint?* 518 ſeq.
Platonicorum *Philoſophia illuſtrata.* 320
Pleinfeſini *(Jo. Hercul.) Hiſtoria edita.* 340
Plinii *(C. Sec.) Hiſtor. Nat. Præfatio edita.* 408 ſeq.
Podagræ *cauſa materialis quæ?* 416
De Podolatria *Papæ judicium.* 244
De Poetarum *certaminibus & præmiis Diſſ.* 183
Poli *elevatio quomodo invenienda?* 26
Politici *& Philoſophi comparatio.* 431
De Poloniæ *& Pruſſiæ Regiæ Indigenatu Diſſ.* 133
De Polonicis *quibusdam ſingularibus Diſſ.* 132
Polygamia *an Chriſtianis ullo caſu permiſſa?* 399
Polygona *ut in plano deſcribenda?* 576
Pontifex *Rom. an ſit legitimus Petri ſucceſſor?* 69 ſeq.
infallibilis in rebus fidei? 70. 342
an poſſit errare in canonizatione Sanctorum? 70
Pontifex *Rom. an ſit dominus univerſæ Eccleſiæ?* 235
Pontificis *Max. titulus unde ortus?* 243
Pontoppidanus *(Eric.) laudatus.* 173 ſeq.
Pori *an in omnibus corporibus?* 114
Pororum *figura non temere definienda.* ibid.
Poſſardi *(Wilh.) de Athen. Magiſtrat. Liber recuſus.* 212
Præcocis *ingenii exemplum.* 99
Primatus *Hiſpaniarum vindicatus.* 145
Propheticorum *Librorum hiſtoria critica.* 553 ſeq.
Proteſtantium *Eccleſia num genuinis Eccleſiaſticis gaudeat?* 121 ſeq.
Provenzale *(Marcell.) pictoris vita.* 254
Pſalmi *an omnes a Davide profecti?* 552
Pſychologiæ *elementa tradita.* 607
Pufendorfius *(Sam.) male tractatus.* 498
Puiſieuſii *Epiſtolæ editæ.* 56 ſeq.
Pulices *virides terreſtres arboribus noxii.* 513
formicæ perſequuntur. ibid.
Puſſinus *(Nic.) pictor nobilis.* 253
De Pythagoræ *miraculis judicium.* 533

Q.

Quadraturæ *circuli quot?* 576
Quantitas *continua quid ſit?* ibid.
an ex punctis indiviſibilibus conſtet? ibid.

Queſnelliſtæ *an in numerum Hæreticorum ſint referendi?* 342
de Queſnoy (*Franc.*) *ſculptor nobilis.* 253

R.

Raji (*Jo.*) *epitaphium.* 432
Rami (*Petr.*) *opiniones Theologicæ.* 610
Ratiocinatio *idealis objectiva.* 86
Ratiocinationes *an omnes ad Syllogiſmos referri queant?* 80
Rationis & *fidei in myſteriis concentus.* 376
Ravenſteyn (*Judoci*) *cum Tappero controverſia.* 300 ſeq.
Refractionis *motus ratio.* 117
Regaliæ *Jus competit Gallorum Regibus.* 261
Reimari (*Herm. Sam.*) *in Jobi expoſitionem merita.* 94 ſeq.
Religionem *examinandi neceſſitas per Epiſtolas expoſita.* 528 ſeq.
Religionis *quale ſit fundamentum?* 182 ſeq.
veritates primariæ Catechetice propoſitæ. 328 ſeq.
Remedia *cujusvis naturæ accommodanda.* 267
morborum ſpaſmodicorum 305
Remediorum *uſitatorum compoſitiones non temere ſunt mutandæ.* 59
anti-ſcorbuticorum claſſes enumeratæ. 574
Circa Remediorum & *morborum laudes ac vituperia quidnam obſervandum?* 415
Renes *an exſcindi poſſint ſalvo animali?* 275
Reſiſtentia *an motum deleat?* 117
Reſurrectionis *mortuorum veritas ex Jobo demonſtrata.* 41 ſeq.
Revelatio *divina quomodo ſeſe exerat?* 164
Riccioli (*Jo. Bapt.*) *vita.* 263
Richardi *Pictavienſis Chronicon editum.* 54
De Riſu *Diſſ.* 428
Riſus *quomodo formetur?* 361
Romanorum *veterum res militaris illuſtrata.* 324 ſeq.
civilis illuſtrata. 325
ſacrificia. ibid.
ritus nuptiales. ib.
Roncalli (*Chriſt.*) *pictoris vita.* 253
Roſarium *Sadii in compendium redactum.* 321
Rubeus (*Petr. Paul.*) *pictor nobilis.* 253
Rudbeckii (*Jo.*) *vita & ſcripta.* 350
(*Jac.*) *ſcripta.* 352
De Ruperti *Imp. electione Acta edita.* 50
Ruſſicum *Lexicon editum.* 420 ſeq.
Rymeriani *Operis Epitome edita.* 294

S.

Sabbatica *lex an obliget Chriſtianos?* 92
De Sacrificiis *Rom. Diſſ.* 325
Sacrificium *ſolennis expiationis diei piacularis deſcriptum.* 29 ſeq.
quid denotet? 30 ſeq.
Salini (*Th.*) *pictoris vita.* 254
De Salinis *Lotharingiæ Diſſ.* 340
Salivales *ductus, a Coſchwitzio deſcripti, an genuini?* 600

In

In Salluſtii (*Criſpi*) *Hiſtorias Annotationes editæ.* 581 b
De Salomonis *libris judicium.* 552 ſeq.
Salvii (*Jo. Adleri*) *vita & ſcripta.* 350
Sanctacrucii (*Proſp.*) *de civilibus diſſenſionibus Galliæ Commentarii editi.* 55
Sanctio *Pragmatica Caroli VI. edita.* 217
Sanguinis *circulatio Jobi ætate cognita.* 40
 velocitas in diverſis partibus varia, ejusdemque cauſa. 158
 lentior in vaſis minimis motus eſt febris cauſa proxima. 159
 color ſincerus an bonam ejus craſin probet? 570
Santandreanus *incredulitatis accuſatus.* 142
Sariſberienſis (*Jo.*) *libri recenſiti.* 294
Savanarolæ (*Hier.*) *vita.* 263
In Scena *agendi ars deſcripta.* 13
Scenæ *Italicæ hiſtoria.* 8 ſeq.
Scepticiſmus *medicus commendatus.* 427
Scharffius (*Godofr. Balth.*) *laudatus.* 211
Schefferi (*Jo.*) *Memoria Stigzelii edita.* 352
Schiſmatici *num ſint de Eccleſia?* 68
Schmidii (*Jo. Andr.*) *Laudatio funebris edita.* 527
Scholaſticæ *Philoſophiæ ortus.* 322
Scholaſticorum *Philoſophia illuſtrata.* 320
 Philoſophorum vita & ſcripta. 322 ſeq.
Schroderi (*Eric.*) *vita & ſcripta.* 349
Schrœneri (*Ge. Joach.*) *Memorabilia Eccleſiaſtica Goldbergenſia edita.* 231
Schumanni (*Jo. Chr.*) *Programma editum.* 230
Sciathericorum *variorum deſcriptio.* 278
Sciathericum *univerſale novum.* 25
 ejus uſus varius. 26
Scorbuti *vera deſcriptio.* 572
 cauſa quæ? 573
Anti-Scorbuticorum *remediorum claſſes.* 574
Scorbuto *quinam præ aliis laborent?* 572
Scorbutus *ubi maxime occurrat?* ibid.
Scriptura *S. an poſſit eſſe falſa?* 62
 an varios admittat ſenſus? ibid.
 a calumniis vindicata. 235
Scripturæ *S. quot Libri ſint Canonici?* 63
 editio quæ ſit authentica? ibid.
 ſenſum exponere ad quem ſpectet? 64
 ſtilus illuſtratus. 227 ſq.
 in religionis negotio neceſſitas. 529
 Loca explicata aut illuſtrata:
Gen. III, 5. 231
 IV, 6 ſeq. 227
 7. 392
 23. 602
 26. 202
 IX, 4. 375

Digitized by Google

Gen. X.	172	Joſ. XXI.	388
XI.	ibid.	Judic. VI, 18 ſeq.	407
XVII, 19.	529	X, 8.	172
XVIII, 10-14.	ibid.	XI, 11.	233
XXV, 1.	602	XVI, 17.	529
XXXVI, 31.	547	XVII, 11.	601
XLVIII.	394	XIX, 18.	602
XLIX, 13.	387	XX, 38.	ibid.
Exod. IV, 1.	529	Ruth I, 21.	ibid.
X, 23.	408	1 Sam. I, 6.	603
XII, 11.	603	14.	ibid.
XVII, 14.	547	IV, 11.	ibid.
XXII, 28.	181	VII, 6.	233
XXIV, 7.	547	16 ſeq.	ibid.
XXX, 10.	30	XIII, 1.	172
Levit. IX, 44.	195	XV, 29.	603
XVIII, 18.	602	XXI, 8.	234
XXVI, 22.	31	XXVI, 19.	ibid.
Num. XIII, 33.	603	2 Sam. I, 18.	548
XXI, 14.	547	VII, 12 ſeq.	372 ſeq.
XXIX, 11.	30	X, 4 ſeq.	234
XXXIII, 2.	529	XII, 31.	389
Deut. I, 1.	547	XV, 16.	419
II, 12.	ibid.	XVI, 21 ſeq.	602
IV, 2.	62	1 Reg. IV, 23.	419
45 ſeq.	172	V, 4.	ibid.
XII, 23.	603	VI, 1.	172
XV, 7.	602	2 Reg. II, 3.	122
XVII.	531	5.	ibid.
XVIII.	ibid.	VI.	531
15.	372	XX, 8.	529
XXIII, 1.	603	1 Paral. XVII.	531
2.	297	11.	372
7.	62	XXX, 29.	549
XXVIII, 28.	529	2 Paral. XV, 19.	172
XXIX, 15.	388	XVI, 1.	ibid.
Joſ. V, 9.	172	XXII, 8.	ibid.
X, 12-14.	423	Nehem. IX, 16 ſeq.	373
X, 13.	548	Eſth. I, 8.	603

Digitized by Google

Eſth. IV.	550
Job. VII.	44
6.	40
VIII, 14 ſeq.	42
IX, 5-9.	40
26.	ibid.
X, 8.	ibid.
10 ſeq.	ibid.
XIV.	42. 44
XVII, 6.	424
XIX.	315
10.	42
20 ſeq.	ibid.
25 ſeq.	ibid.
XXI, 14.	529
XXXIII, 28 ſeq.	374
XXXV, 10.	372
XXXVIII.	423
Pſalm. II, 6 ſeq.	389
7.	372
8.	370
VIII, 9.	372
XVI.	315
2	31
XIX, 9.	529
XXI, 2.	370
XXII, 17.	ibid.
21.	ibid.
XXXII, 9.	529
XXXIV.	390
19.	603
XLIX, 8.	602
L, 16 ſeq.	601
LI, 19.	603
LXIII, 11.	92
LXXI, 20.	ibid.
LXXVII, 6.	231
LXXVIII, 25.	604
63.	603
Pſalm. LXXXIX, 27 ſeq.	372
XC, 10 ſeq.	547
CX.	372
1.	370
CXIX, 105.	529
CXX, 6.	562
CXXI.	233
Prov. I, 24.	529
31.	ibid.
IV, 18.	ibid.
XII, 15.	ibid.
XIV, 12.	ibid.
XVI, 2.	ibid.
25.	ibid.
XVIII, 2.	ibid.
15.	ibid.
XIX, 2.	ibid.
16.	ibid.
XXI, 2.	ibid.
16.	ibid.
XXX, 4.	372
Eccleſ. III, 19-21.	552
VIII, 11.	62
Cantic. I, 4.	370
IV, 6.	234
Jeſ. I, 3.	529
VIII, 6-8.	234
20.	529
IX, 5.	602
X, 17.	408
XIII, 1.	407
XIV, 4.	419
XVIII.	390
XXIII, 13.	234
XLIV, 6.	43
LIII, 8.	31
9.	407
LVI.	67
LVII, 7.	196

Digitized by Google

Jeſ. *LVIII, 7.* 197
LXV, 2. 373
Jerem *V, 4.* 529
VI, 16. 62
VIII, 7. 529
XXIII, 5 ſeq. 372
XXXIII, 15 ſeq. ibid.
Thren. *IV.* 423
Ezech. *I, 1 ſeq.* 172
IV, 4. 171
VIII, 17. 390
XXXIII, 11. 373
XLIII, 7 ſeq. 232
Dan. *VII, 17.* 370
Hoſ. *IV, 6.* 529
VI, 6. ibid.
XIV, 3. 390
Mich. *II, 2.* 602
Zach. *I, 10.* 368
12 ſeq. ibid.
Mal. *I, 11.* 391
Syrac. *XIX, 4.* 529
Baruch. *VI, 42.* 335
2 Maccab. *XV, 13 ſeq.* 553
Matth. *I.* 391
II, 25. 228
IV, 1-5. 603
V, 2 ſeq. 602
V, 19. ibid.
VI, 24. 196
34. ibid.
VII. 66
48. 195
VIII, 21. 22. 196
X, 36. ibid.
37. ibid.
XI, 2 ſeq. 122
26. 603
XII, 50. 196
XIII, 52. 602
Matth. *XIV.* 69
28. 529
XV, 3-6. 197
XVI. 70
XVI, 17. 344
18. 122
XVII. 603
XVIII, 1 ſeq. 122
10. 378
20. 66
23 ſeq. 372
25 ſeq. 122
XIX, 21. 196
29. 195
XX, 20 ſeq. 122
25. 123
XXI, 42. 240
45. ibid.
XXII, 15. 122
42 ſeq. 73
XXIV, 14. 604
XXVI, 9. 227
XXVII, 3. 392
12. ibid.
66. 240
XXVIII, 14. 67
20. 31
Marc. *III, 20-22.* 392
V, 42. 123
IX, 33 ſeq. 122
X, 35 ſeq. ibid.
XII, 13. 73
XIV, 25. 227
XV, 22. 603
XVI, 9-11. 555
Luc. *I, 13.* 228
18. 529
29. ibid.
38. ibid.
II, 14. 603

Luc. II,

Digitized by Google

Luc. *II*, 49. ibid.
III, 23. 172
36. 135. 171
IV, 1. 228
VI. 602
VI, 30. 196
VII, 18 *ſeq.* 122
VIII, 16. ibid.
IX, 12. 196
61 *ſeq.* ibid.
29 *ſeq.* 31
46 *ſeq.* 122
XIV, 26. 195 ſeq.
70. 196
XVI, 21 *ſeq.* 31
XVII, 3 *ſeq.* 373
XVIII. 185
XXII. 70
24 *ſeq.* 122
25. 123
31. 344
36. 602
53. 407
XXIV, 2. 602
12. 31
29. 420
Joann. *I*, 9. 529
II, 3 *ſeq.* 605
50. 370
III, 19-21. 529
33-36. 370
34. 604
IV, 10. 122
48. 604
V. 65
39. 529
VI. 603
14. 122
44. 370
VIII, 41. 229
Joann. *XII*, 35. 529
XIII, 30. 227
XVI, 13. 67
XVII. 228
XVIII, 31. 393
XX, 25-27. 529
XXI, 15. 344
Act. *I*, 25. 604
II, 4. 228
24. 31
III, 19 *ſeq.* 408
VI. 66
VII, 41 *ſeq.* 529
X, 6-16. 393
XI, 30. 123
XIII, 8. 393
XIV, 23. 123 ſeq. 538
XV. 67
6. 65
20. 135
XVII, 11. 529
XX, 28. 123
XXIII, 8. 393
Rom. *I*, 19 *ſeq.* 424
21 *ſeq.* 201
28. 529
II, 15. 602
III, 22. 372
V, 9 *ſeq.* ibid.
VI, 10. 31. 372
VIII, 3. 408
32. 372
X, 2. 529
XII, 8. 123
XIII, 1 *ſeq.* 195
XIV, 7-9. ibid.
XV, 5 *ſeq.* 92
XVI, 17. 529
21. 555
1 *Cor.* *I*, 6. 393

1 Cor. II. 65
14 ſeq. 529
III, 1. 603
V. 68
12. 544
VII, 12-17. 394
VIII, 1. 78
X. 62
15. 529
XI, 13 ſeq. 236 ſeq.
14. 205
XII, 28. 123
XIV. 369
XV, 29. 602
2 Cor. I, 11. 378
III, 21. 373
IV, 3-5. 529
6. 378
V, 15. 195. 372
21. 372
VI, 1. 601
IX, 5. 602
XI, 5. 122
XII, 11. ibid.
XIII, 13. 229
Gal. I, 6. 65
8. 529
II, 6. 122
9. ibid.
7. 419
19 ſeq. 195
III, 1. 369
IV, 3. 233
10. 92
25. 232
26. 27. 540
31. ibid.
Epheſ. I, 20-23. 31
II, 19. 195
III, 15. 198
Epheſ. III, 19. 195
39 ſeq. 604
IV, 9. 92
10. 31. 371
11. 123
18. 529
V, 3-5. 195
8. 529
25. 540
32. ibid.
VI, 1 ſeq. 195
Phil. I, 9 ſeq. 529
II, 6. 316
29. 195
III, 13-15. ibid.
IV, 3. 603
12. ibid.
13. 195
Col. I, 13. 529
II. 73
8 ſeq. 604
9. 316
16 ſeq. 92
IV, 16. 555
1 Theſſ. V, 4 ſeq. 529
12. 123
21. 529
2 Theſſ. II, 10-12. ibid.
11. 62
III, 10. 200
1 Tim. III. 69
4. 123
IV, 13. ibid.
V, 8. 196 ſeq.
17. 123
19. ibid.
VI, 17-19. 195
20. 78
2 Tim. III. 65
1 Petr. I, 1. 540

Digitized by Google

1 Petr. I, 4 ſeq. 195
11. 408
II, 5. 123
9. 123. 529
III, 18 ſeq. 92
V, 1. 122
3. 123
2 Petr. I, 6. 78
20 ſeq. 28
II, 1. 67
III, 12. 375
1 Joann. II, 15-17. 195
IV. 66
3. 556
21. 529
2 Joann. 9. 540
Hebr. I, 2. 604
II, 3. 378
XI, 3. 604
6. ibid.
21. 394
Jac. V, 11. 423
Apoc. I, 1. 603
2. 537
5 ſeq. 123
7. ibid.
13. 370
17 ſeq. ibid.
II, 13. 540
V, 10. 123
X, 1. 369
XIII, 17 ſeq. 233
XVII, 9 ſeq. 234
XIX, 7 ſeq. 540
XX, 6. 123
XXI, 1 ſeq. 375
Sculptorum *aliquot vitæ.* 252 ſeq.
Scutorum *gentilitiorum origo.* 326
hiſtoria. ibid.
Semina *metallorum & lapidum an dentur?* 360
In Senatum *Rom. qui fuerint allecti?* 213
Senckenbergii (*Henr. Chr.*) *de Except. Jur. Germ. Diſſ. edita.* 16
ſcripta promiſſa. ibid.
Setzeri (*Jer.*) *vita & ſcripta.* 332
Sexus *uterque inter ſe comparatus.* 428
Sibyllinorum *librorum autor quis?* 242
oraculorum fata. 558
Sicularum *rerum Hiſtoria edita.* 290 ſq.
Sigma *falcatum quando primum inter characteres Græcos receptum?* 405
Signorum *cæleſtium, eorumque characterum, origo.* 308
Sigonii (*Car.*) *vita.* 263
Sileſiacæ *Hiſtoriæ proferendæ conſilium.* 210
Skitte (*Wendela*) *fœmina erudita.* 352
Slicheri (*J. W.*) *Diſſ. Gallice verſæ.* 179
Societas *Antiquaria Londinenſis deſcripta.* 429 ſeq.
Solidorum *fluidorumque corporis humani mutua in ſe actio.* 158
origo. 303
De Sophia, *Dei conjuge, Diſſ.* 232
Sophiæ, *Electricis Hannoveranæ, ad Mackium literæ editæ.* 399
Soſpita *Dea quæ?* 333
a Soto (*Petr.*) *contra Tapperum defenſus.* 299
ejus hiſtoria. 300
Spaſmodicorum *motuum in corpore humano quæ origo?* 305
remedia. ibid.
Spenceri *varii.* 298
De Spencero (*Jo.*) *judicium.* 297
ejus errores. 297 ſeq.
vita. 298

Statua *Paneadenſis num in fabulis habenda?* 242
de Steinberg (*Jac.*) *verus Autor libri ſub nomine Hippolithi a Lapide editi.* 581
Steinbergiorum *gentis hiſtoria illuſtrata.* ibid.
Stercoratio *agrorum qualis eſſe debeat?* 309
Stigzelii (*Laur.*) *vita & ſcripta.* 352
Struvius (*Burc.Gotth.*) *Autor Libelli de Succeſſione fœminea.* 217
Subſumtio *quid?* 75
Subterraneæ *caverna.* 152
aqua. ibid.
Subterranei *ignes.* ibid.
eorum iter. ibid.
Succeſſio *fœminea in ditionibus Auſtriacis omni tempore uſitata.* 217
Succi *lapideſcentes.* 149
Sueviæ *Hiſtoria Literaria edita.* 349
In Sueviam *quale Auſtriacis jus competat?* 136 ſeq.
Suidnicenſium *Literatorum hiſtoria.* 332
Syllogiſmo *an locus in ratiocinatione practica?* 86
Symbolicorum *Librorum autoritas aſſerta.* 367 ſeq.
Symbolum *Apoſtolicum a quo ſcriptum?* 558
Syracides *quando ſcripſerit?* 553
Syringæ *vermicularis in urethra caruncula deſcriptio.* 357
Szathmarus (*Mich.*) *notatus.* 424

T.

Tapperi (*Nuardi*) *cum Soto controverſia.* 300
Tempeſta (*Ant.*) *pictoris vita.* 254
De Templis *veterum Chriſtianorum Diſſ.* 243
Terræ *S. Chronicon editum.* 53
Terſeri (*Jo.Elai*) *vita & ſcripta.* 353 ſq.
Tertulliani *Apologeticus qua ætate ſcriptus?* 516
De Tertulliano *Diſſ.* 243
Teſtamenti *Novi Gr. nova editio vindicata.* 134
Veteris ſtilus quomodo ex Nov. Teſt. explicandus? 226
Teſticuli *tumentes an recte reſecentur?* 599
Theatrum *Olympicum Palladii deſcriptum.* 12
Thebeſius (*Ge.*) *paulo vehementior.* 211
ejus Annales Lignicenſes editi. 206
vita. 207
Theologi *quæ ſint requiſita?* 164
Theologia *an detur?* 72
quid ſit? ibid.
Poſitiva an differat a Scholaſtica? ibid.
Scholaſtico-Dogmatica an ſit neceſſaria ad ſalutem æternam? 73 ſeq.
an proprie dicenda ſit ſcientia? 74
ſit ſcientia practica, an ſpeculativa? ibid.
De Theologia *Scholaſtica Diſſ.* 283
In Theologiam *Moralem Symbolicam Introductio edita.* 230
Theoria *medica cum experientia neceſſario conjungenda.* 301
Therapevtæ *Philonis qui fuerint?* 204. 242
Thermarum *in malo hypochondriaco uſus.* 306
De Thorunenſis *urbis Inſignibus Diſſ.* 132

Digitized by Google

Thoyraſii (*Rapini*) *Epitome Operis Rymeriani edita.* 295
in ejus Hiſtoriam Angliæ Obſervationes editæ. ibid.
Threni *Italicis verſibus adſtricti.* 423
Titianus (*Werner.*) *Autor Annalium Noveſienſium.* 51
Tobiæ *Liber an ſit Canonicis adſcribendus?* 551
Toletanæ *Eccleſiæ Primatus vindicatus.* 145 ſeq.
Tornæi (*Jo.*) *ſcripta.* 353
Torricelli (*Jo.Evang.*) *vita.* 263
Traditio *humana & divina quomodo diſcerni poſſit?* 65
Traditiones *ſacræ an ſint admittendæ?* 64 ſeq.
De Tragœdia *hodierna Diſſ.* 13
Tragœdiarum *quæ olim in Italia ratio fuerit?* 10
De Tragœdiarum *dictione Hiſpanorum ſententia.* 405
Trajectenſium *Pontificum geſta edita.* 51
Trevirenſium *Archi-Epiſcoporum geſta edita.* 50
Trinitatis *myſterium explicatum.* 377 ſq.
Trumphi (*Ge.Wilh.*) *de turbis Eccleſiæ Goslarienſis Diſſ. edita.* 526
Tumores *glandularum epidemici.* 599
Turonenſe *Chronicon editum.* 54
Tuſculi *veteris reliquiæ.* 405
Typi *Vet. Teſt. quomodo ſint explicandi?* 29. 424
Typographorum *Hiſpanenſium in libris imprimendis inſcitia.* 405 ſeq.

V.

Vacuum *num detur?* 114
an rarefactione & condenſatione probetur? 115
Vagabundi *quomodo ſint exſtirpandi?* 585
Vaillantii *ad Nummos Coloniarum Rom. Appendix.* 191
De Valentiniana *hæreſi judicium.* 128
Vaſallus *unde dictus?* 261
Venæſectionis *in malo hyſterico contumaci ſæpius repetitæ effectus qualis?* 505
Venena *num ſint, quæcunque corpori ſunt noxia?* 18
temporanea. 19
an dentur? ibid.
acuta. 22
ſterilitatem inducentia. 24
Venenorum *accurata hiſtoria quomodo ſit adornanda?* 17
diverſitas. 19
lentorum catalogus. 20
exhibitio difficulter detegitur. ibid.
Venerea *lue laborantium Patronus Jobus.* 38
Veritas *moraliter certa quomodo æſtimanda?* 86
Vermes *an omnium morborum cauſa?* 362
cutanei Morlachorum. 599
Vermiformis *inteſtini cæci appendix ſine noxa animalium ablata.* 273
Vermium *cutaneorum origo.* 599
Villaregii *Epiſtolæ editæ.* 56 ſeq.
De Vincentii *Lirinenſis Commonitorio judicium.* 244
Vinearum *Hungariæ topographica deſcriptio.* 133
De Vineis *Hungariæ Diſſ. recuſa.* ibid.
Virgilii *Carmina Gallice reddita.* 103
Georgica quando cæpta & abſoluta? 104 ſeq.

Digitized by Google

Virgilii *loca quædam illuſtrata.* 105 ſq.
Æneis cum Homeri Iliade comparata. 106
Virium *menſura nova.* 60
In Viſcerum *morbis ſanandis aquæ frigidæ uſus.* 270
Vitembergenſis *Academiæ Profeſſores LL. OO. incluti.* 231
Vivallii (*Laur.*) *vita & carmina.* 352
Vivicomburium *Mariæ, Ottonis III Imp. uxoris, in fabulis habendum.* 292
Unctio *extrema quo tempore introducta?* 245
Vocis *humanæ theoria.* 362
Vouet *(Sim.) pictoris vita.* 254 ſeq.
Ad Vulnera *frequentior aeris acceſſus an conducat?* 272
In Vulneribus *ſanandis aquæ frigidæ uſus.* 270 ſeq.

W.

Waldenſes *unde dicti?* 294
Wallii (*Laur. Ol.*) *ſcripta.* 351
Waſaborg *(Guſt.) vita.* 353
Weiſii (*Godofr.*) *de Coſacis Diſſ. recuſa.* 132
De Wenceslai *Imp. exauctoratione Acta edita.* 50
Wilhelmi I, *Principis Auriaci, vita edita.* 250 ſeq.
De S. Willibrordi *Commemorationis feſto ſingularia.* 51
Wimpfenienſis *civitatis hiſtorica relatio.* 586
Wolfiana *Philoſophia Tabulis comprehenſa.* 317 ſeq.
ejus innocentia. 318 ſeq.
Wolfii *(Jo. Chriſt.) elogium.* 601

Z.

Zamoſcii (*Jo. Sarii*) *de Senatu Rom. Libri recuſi.* 212
de eo ſingularia. ibid.
Zampieri *(Domin.) pictor nobilis.* 253
Zangerus (*Jo.*) *de Exceptionibus recuſus.* 14 ſeq.
Zannfliet *(Corn.) Chronicon Leodienſe editum.* 52
Zanni *unde dicti?* 9
Zigabeni *(Euthym.) hiſtoria.* 293
Zingæ, *Conchenſium Reginæ, hiſtoria.* 501

ERRATA.

Pag. 11 lin. 12 pro *cenſetur* lege *cenſetur.*
lin. 22 ſeq. pro *Arlequinus. Prodit* lege *Arlequinus prodit.*
69 lin. 19 pro *exprientiam* lege *experientiam.*
284 lin. 3 pro *Rebuspuhlicis* lege *Rebuspublicis.*
Poſt *pag. 432* errore typographi ſequitur *pag. 493,* & poſt *pag. 584* iterum *581.*
Pag. 521 lin. 20 pro *Menasdriani* lege *Menandriani.*
581 lin. 9 poſt *emendationes* pone *hiſtoria.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google